TRACTATUS TERTIUS
continens
TEMPLUM NATURÆ HISTORICUM,
HENRICI KORNMANNI
ex
Kirchayna Chattorum;
IN QVO,
DE NATURA ET MIRACULIS QVATUOR ELEmentorum; IGNIS, AERIS, AQVÆ TERRÆ, *ita differitur, ut,*

Nihil de rerum principiis; De Ignis natura, figura, qvalitate, De spiritibus igneis, De hominibus igneis, animalibus igneis, De pyromanteia ejusqve speciebus.

Nihil de aëre, ejus natura, figura, qvalitate & miraculis, De spiritibus aëreis, de hominibus aereis, Sylphis, animalibus aereis, de avibus, de Meteoris, de Aeromanteia.

Nihil de aqva, ejus natura, figura, qvalitate, & mirabilibus, De spiritibus aqveis, De hominibus aqveis, De Sibyllis Nymphis, Feis & Vndenis. De animalibus aqveis. De piscibus, De Hydromanteia. De marib. fluminibus, fluviis, fontibus, lacubus, stagnis, &c.

Nihil de terra, De spiritibus terreis, De divinatione illorum spirituum ejusqve speciebus. De Faunis & Satyris. De animalibus terræ. De montibus, sylvis, hortis, arboribus herbis, plantis, radicibus, &c. De ornamentis terræ, urbibus celebrioribus, Castris, Templis, Turribus, Campanis, Pallatiis, Amphitheatris, Circis, Foris, Aqvæductibus Arcubus Triumphalibus, Pyramidibus, Obeliscis, Armamentariis Bibliothecis, Muris, Portis, Cœmiteriis, Sepulcris, Epitaphiis, &c. nihil horum omnium præter alia infinita intactum præteritum fiet.

Opus cujusvis status hominibus perqvam utile. In qvatuor partes tributum.

ILLUSTRI HEROI,

D. PHILIPPO, COMITI IN SOLMS, DOMINO IN MYNtzenbergk & Sonnenwaldt.

S. P. D.

SI qvis fortè, Illustris Comes, miranda & stupenda videre optat, adeat is Templum naturæ: Ea siqvidem, ut omnis perfectionis rigo & fundamentum est, mirabiliter diversiodeqve agit mira ejus colligantia: prima Dei nago mundus, mundi homo, hominis animal, imalis Zωophitum, illius verò planta, plantæ tem metalla & horum lapides, similitudines aginesqve repræsentant. Rursus in spiritualis convenit planta cum bruto vegetatione, brun cum homine sensu, hic cum Dæmone inectu, illi cum Deo immortalitate. Ea enim uræ colligantia & continuitas est, ut omnis tus superior per singula inferiora longa & conıa serie radios suos dispertiendo usqve ad ula fluant, & inferiora per singula sua superiora suprema perveniant: Qvod intuentes Ægynaturam Magnam vocaverunt, Ingressus

 Tem-

Templum naturæ, primo gradu inveniet ignem. Cujus mirabilis natura eſt. Ignis enim, ut ajt Dionyſius, in omnibus & per omnia clarè venit & removetur, omnibus lucidus eſt, ſimul & occultus incognitusqve. Ipſe qvando per ſe ipſum eſt, non accedente materia, in qva propriam manifeſtet actionem, immenſus eſt & inviſibilis per ſe ipſum potens ad actionem propriam, mobilis, tradens ſe ipſum omnibus qvodammodo proximantibus, renovativus, naturæ cuſtodia, illuminativus circumvelatis ſplendoribus incomprehenſus, clarus, diſcretus, reſiliens, ſurſum ferens, acutè means, excelſus non receptus contumelia minorationis, ſemper metus movens; alterum comprehendens, incomprehenſus, non indigus alterius, latenter creſcens à ſe ipſo & ad ſuſceptas materias manifeſtans ſuimet magnitudinem, activus, potens, ſimul omnibus præſens inviſibiliter, neglectus eſſe non patitur, ad certa autem, ſicut qvædam vindicta, generaliter & propriè ſubitò reducens in rationem, incomprehenſibilis, impalpabilis, non minutus in omnibus ditiſſimus ſuimet traditionibus immenſa & improba rerum naturæ portio eſt ignis (ut ait Plinius) & in qvo dubium ſit plura abſumat, an pariat. Ignis ipſe unus eſt & per omnia penetrans, ut ajunt Pythagorici, ſed in cœlo dilatatus colluſtrans, in inferno verò coarctatus, tenebroſus & crucians, in meditullio de utroqve participans. Ignis itaqve in ſe unus, in recipiente multiplex, & in diverſis diverſa nota diſtributus, ut apud Ciceronem teſtatur Cleanthes. Eſt itaqve ignis, hic

adven-

adventitius qvo utimur: Est in lapidibus, qvi ictu chalybis excutitur: est in terra, qvæ ex refossione fumat, est & in aqvis, qvi fontes & puteos calefacit, est in profundo mari qvod ventis agitatum tepescit: est in aëre, qvem sæpe fervescere videmus: & animalia qvæqve & viventia omnia & vegetantia calore nutriuntur: & omne qvod vivit propter inclusum ignem vivit. Superni ignis propria sunt calor omnia fœcundans, & lux omnibus vitam tribuens: inferni ignis propria sunt, Ardor omnia consumens, & obscuritas cuncta sterilitate complens. Fugat itaqve cœlestis & lucidus ignis tenebrosos dæmones: fugat & hic noster ligneus eosdem, qvatenus habet simulacrum, & vehiculum lucis illius superioris. Hinc primi religionum & ceremoniarum sapientissimi institutores orationes & psalmodias & sacra qvæqve non nisi accensis luminibus fienda decreverunt. Hinc illud Pythagoræ Symbolum: Ne loqvare de DEO absqve lumine.

Ingressus Templum Naturæ secundo gradu veniet aërem. Nec in eo natura cessat mirabiliter operari. Hic spiritus est vitalis cuncta permeans, entia, omnibus vitam & consistentiam præstans, ligans movens & implens omnia. Hinc Hebræorum Doctores illum non inter elementa numerant, sed velut medium & glutinum, diversa simul conjungens, & tanqvam Spiritum mundani instrumenti reboantem habent. Ipse enim proximè cœlestium omnium influxus in se recipit, aliisqve cum elementis tum mixtis sin-

gulis communicat, non minus etiam rerum omnium cum naturalium, tum artificialium, & sermonum qvorumcunqve species, velut Deificum qvoddam speculum in se suscipit & retinet: illasqve secum ferens corpora hominum & animalium per poros ingrediens, tam in somno qvam in vigilia illis imprimens variorum mirabilium somniorum præsagiorum & auspiciorum materiam præbet. Hinc multi Philosophi arbitrati sunt, aërem causam esse somniorum pluriumqve aliarum animæ impressionum, per delationem idolorum seu similitudinum, seu specierum, qvæ deciduntur à rebus & sermonibus in ipso aëre multiplicatis, qvousqve perveniant ad sensus, & tandem ad phantasiam, & animam recipientis, videlicet, qvæ soluta curis, nec impedita, species hujusmodi obviam expectans, ab illis informatur.

Ingressus Templum naturæ tertio gradu inveniet aqvam. Nec in ea natura cessat mirabilia operari. Aqvæ enim tanta necessitas est, ut absqve illa nullum animal degere possit: nulla herba, nec planta qvævis circa aqvæ humectationem possit progerminare: in ipsa est seminaria omnium rerum virtus: animalium primo, qvorum semen aqveum esse manifestum est: sed & fruticum, & herbarum semina, licet terrea sint, tabefieri tamen aqva necesse est, si fœcunda esse debeant. Sive id fiat humore terræ imbibito, aut rore vel pluvia, vel de industria adjecta aqva, Sola siqvidem terra & aqua à Mose describuntur producere animam viventem. Tanta

elementi

Elementi aqvæ poteſtas eſt, ut nec ſpiritualis regeneratio fiat ſine aqva. Maxima qvoqve ejus apud antiqvos in religione vis eſt in expiationibus & purificationibus, nec minor qvam ignis neceſſitas. Infinitæ ejus utilitates ſunt & uſus multiplex res qve omnes ex ejus poteſtate conſiſtunt: ut qvæ generandi, alendi, augmentandi vim poſſidet. Inde Thales Mileſius atqve Heſiodus, Aqvam omnium rerum principium ſtatuerunt, omniumqve elementorum antiqviſſimum eſſe dixerunt atqve potentiſſimum, qvippe qvod cæteris omnibus imperat. Innumera ſunt aqvarum miracula à Plinio, Solino, multisqve locis deſcripta.

Ingreſſus Templum Naturæ qvarto gradu inveniet Terram, qvæ omnium Elementorum baſis & fundamentum eſt: ipſa enim eſt objectum, ſubjectum, & receptaculum omnium radiorum influxuumqve cœleſtium: ipſa in ſe continet omnium rerum ſemina ſeminalesqve virtutes: Ideò ipſa dicitur animalis vegetalis & mineralis, qvæ ab omnibus reliqvis elementis ac cœlis fœcundata omnium ex ſe ipſa eſt gignitiva. Ipſa eſt receptiva omnium fœcunditatum, & veluti prima parens etiam omnium pullulativa, centrũ & fundamentum, & mater omnium. Tolle de illa qvantumcunqve ſecreta, lota, depurata, ſubtiliata, ſi dimiſeris aliqvandiu ſub Divo mox cœleſtibus viribus fœcundata & prægnans ex ſe ipſa producet plantas, producet vermiculos & animalia, producet lapillos, lucidasqve metallorum ſcintillas. In ea ſunt ſecreta maxima, ſi qvando fuerit per artificium ignis purgata, & ad ſimplicitatem

citatem ſuam congrua lotione reducta. Ipſa eſt prima creationis noſtræ materia & reſtaurationis ac conſervationis noſtræ veriſſima medicina.

Qvæ omnia dum contemplor & conſidero, me Hercule admiror & ſtupeſco: ſimul Deum Opt. Max. qvi cuncta nutu ſuo gubernat, laudo & magnifico gratiasqve ago qvod me magnalia naturæ intueri & cognoſcere benigniter fecit, ob id monumentum hocce ſtatui. Templum hoc Naturæ exſtruxi, ut omnes illud ingreſſi, miracula videant, mirentur, ſtupeant.

V. verò Cl. Celſ. hocce Templum Naturæ decerno ſacro dico & conſecro hodie, illud ingredere incluta Comes lutera oculis circumſpice mente circumſpice, Aram vove, ſtructuram fove, qvam ſi C. V. mundam ſacramqve fuiſſe intellexero, Mundum qvoqve ad hoc ipſum Templum qvod C. V. ſupplex dico, reſpexiſſe arbitrabor, ſimulqve C. V. graviſſimo & maximo judicio confirmatus alia, & fortè Genio impellente à rebus, de qvibus nunc agimus, non aliena aggrediar. Vale & diu feliciſſime vivas.

V. C.

D. S.

HENRICUS KORNMANNUS
ex Kirchayna Chattorum.

PHI-

PHILIPPUS COMES SOLMEIUS,
per metagr.
HIC LEO. SOL. PUPPIS E SUM-
MIS.

UT Macedûm qvondam viguit virtute Philippus
Rex, orbis reliqvos Heroas robore vincens:
Sic virtute tua reliqvos nunc vincere tendis
Dic Comes, sacri ductor fortissime belli:
Incluta facta vigent, satis & testantur avorum
Virtutes, volitat celebris tua fama per orbem.
Qvam regit imperio Romano Teutonis ora.
Rudolfus testis, testatur & Hungara tellus,
In Turcas fortem qvæ vidit & admirata est.
Testantur Siculi FlaciæDux. Archiducesqve
Austria testantur, cognovit robur & arma
Sat cum laude tua, & Iaurinum arcesq; Strigoni.
Obstupuere Scythæ, te pressa Canisa praoptat.
Sat metagramma tui portendit nominis aureum:
HIC LEO. SOL. PUPPIS, i' animo, splendore, vigore
In Mahumetanos. Christianos atq; fideles.
O Comes! E SUMMIS hæc donativa fluescunt.
Cæsaris hinc meritò lateri stas junctus amato.
Natio Germanorum & regia terra Bohemiæ
Pro meritis meritò statuent insigne Trophæum.
Naturæ Templum votivo tangito gressu:
Arte potens & Marte potens laudaberis Heros.

Illustr. G. V.
Add. & obs.
HENRICUS KORNMANNUS,
ex Kirchayna Chattorum
offert.

ARGUMENTA QVATUOR PARTIUM ISTIUS VOLUMINIS.

IN QVIBUS RECONDITÆ MATERIÆ, ad cujusque qvatuor elementorum considerationum numeros inveniuntur, ordine isto inseruntur.

ARGUMENTA PRIMÆ PARTIS triginta qvinqve considerationes continentis seqvuntur.

1 Ignis primum & subtilissimum elementum est.
2 de figura ignis.
3 de natura ignis.
4 de qvalitate ignis.
5 quo die creatus ignis.
6 Ignis Deus apud Antiqvos.
7 Ignis invisibilis.
8 Anima hominis ignea.
9 Ignis terræ.
10 Ignis in montibus.
11 Ignis in lapidibus.
12 Ignis in plantis.
13 Ignis in aqva.
14 Ignis in Insulis.
15 Ignis in aëre.

Argumenta in sedecim Conclusiones.

1 de Virga.
2 de Ægide.
3 de docis.
4 de Face.
5 de Lucerna.
6 de stellis transvolantibus.
7 de Castore & Polluce.
8 de Fulmine.

9. de

Reliqva Argumenta primæ partis ad considerationes.

ARGUMENTA SECUNDÆ PARTIS
Considerationes tredecim continentis seqvuntur.

7 *De*

7 *De hominibus aereis.*
8 *De animalibus aeris,*
Conclusionibus 21.
Argumenta in illas
21. Conclus.
1 *De aqvila.*
2 *De ansere.*
3 *De anate.*
4 *De bubone.*
5 *De ciconia.*
6 *De cygno.*
7 *De columba.*
8 *De cornice.*
9 *De corvo.*
10 *De coturnice.*
11 *De falcone.*
12 *De gallo.*
13 *De hirundine.*
14 *De luscinia.*
15 *De pavone.*
16 *De pellicano.*
17 *De phœnice.*
18 *De psittaco.*
19 De *pica.*
20 De *regulo.*
21 De *turture.*
Reliqva argumenta ad considerationes secundæ partis.
9 *Continet aeris meteora* conclusionibus 13.
1 De *noto.*
2 De *Borea.*
3 De *Zephyro.*
4 *De Euro.*
5 De *Ecnephia.*
6 De *Typhone.*
7 De *præstere.*
8 De *tonitru.*
9 De *nive.*
10 De *grandine.*
11 De *rore & pruina.*
12 De *nebula.*
13 De *pluvia.*
Seqvuntur Consid.
10 *Continet miracula aeris* Conclusionib. 13.
1 *pluit coturnicibus.*
2 *pluit carne.*
3 *pluit creta.*
4 *pluit luto.*
5 *pluit lapidibus.*
6 *lacte.*
7 *cruore.*
8 *terra.*
9 *testis.*
10 *frumento.*
11 *pane.*
12 *crucibus.*
13 *piscibus.*
Seqvuntur Consid.
11 De *aeromanteia & ejus specie.*
12 De *aeris similitudine.*
13 *Ver comparatur aeri.*

AR-

ARGUMENTA TERTIÆ PARTIS VIgintitres considerationes continentis seqvuntur.

1 *Aqva est tertium elementum.*
2 *de figura aqvæ.*
3 *de natura aqvæ.*
4 *de qvalitate aqvæ.*
5 *Qvando aqva creata.*
6 *Qvando separata à fundamento.*
7 *de usu aqvæ in Sacrificiis.*
8 *de usu aqvæ in baptismo.*
9 De *usu aqvæ benedictæ cum conclus. de consecratione, exorcismo aqvæ, Alexandri P. opinio circa aq. bened.*
10 De *usu ejus in purgationibus.* Cum Conclus.
1 De *probatione adulterii fœminarum per potum maledictionis in V. Testam.*
2 De *probatione legitimitatis liberorum per aqvam Rheni apud Germanos & Gallos.*
3 De *probatione vel purgatione innocentiæ per aqvam frigidam.*
11 De *spiritibus aqveis.*
12 De *hominibus aqveis, Sybillis, Nymphis, Feis, Undenis, &c.*
13 *de animalibus aqvæ.* Cum Conclusionibus.
1 *de leone marino.*
2 *de* Cete.
3 *de delphino.*
4 *de piscibus eligibilioribus.*
5 *de Rana.*
14 *Num pisces perierint in diluvio.*
15 *Qvare pisces non adhibiti in sacrificiis.*
16 *Qvare ad dies Veneris comedantur pisces.*
17 *Aqva* Deus *apud Anqvos. ibi de more & de sponsatione* Ducis *Venetorum cum Thetide, annulo aureo injecto mari, & ejus orgine.*

18 *de*

41 de

41 *de Mediterraneo.*
42 *de Myrtoo.*
43 *de Oceano.*
44 *de* Thyrreno.
45 *de Matrona.*
46 *de Mela.*
47 *de Mincio.*
48 *de Mosa.*
49 *de Mosella.*
50 *de Martha.*
51 *de Nare.*
52 *de Nilo.*
53 *de Paclo.*
54 *de Pactolo.*
55 *de Pyrene.*
56 *de Rheno Germaniæ.*
57 *de Rheno Italiâ.*
58 *de Rhodano.*
59 *de Sala.*
60 *de Seqvana.*
61 *de Styge.*
62 *de* Tago.
63 *de* Tamesi.
64 *de* Ticino.
65 *de Tybri.*
66 *de* Tygri.
67 *de lácu Volsinia.*

ARGUMENTA QVARTÆ PARTIS qvinqvaginta considerationes continentis seqvuntur.

1 *Terra quartum elementum.*
2 *De figura terræ.*
3 *de natura terræ.*
4 *qvando terra creata.*
5 *Qvando separata ab aquis.*
6 *An creata viridis.*
7 *de terræ motibus.*
8 *de spiritibus terreis.*
9 *de divinationum spirituum horum speciebus,* Conclusionib. 12.

1 *de* ἀξινομαντείᾳ
2 *de* κεφαλομαντείᾳ.
3 *de* κοσκινομαντείᾳ.
4 *de* κλειδομαντείᾳ.
5 *de* ἱεροσκοπίᾳ.
6 *de* λιθομαντείᾳ.
7 *de* ῥαβδομαντείᾳ.
8 *de* παρθενομαντείᾳ.
9 *de* λαμπαδομαντείᾳ.
10 *de* παλομαντείᾳ.
11 *de* κουβομαντείᾳ.

12. *de*

12. *de χεαμαντεία.*
10 *De hominibus terreis, Sylvanis, Satyris, Faunis,* Cobalis, *&c.*
11 *De animalibus terræ.* Conclusion. 17.
1 *De Leone.*
2 De *Urso.*
3 De *Monocerote.*
4 De *Elephante.*
5 De *Camelo.*
6 De *Tygride.*
7 *de Cervo.*
8 De *Alce.*
9 De *Eqvo.*
10 *de Asino.*
11 *de* T*auro.*
12 *de Lupo.*
13 *de vulpe.*
14 *de Ove.*
15 *de Cane.*
16 *de Fele.*
17 *de Sue.*

12 *De reptilibus terræ. Serpente, &c.*
13 *de montibus terræ.* Concluſ. 36.
1 *de Atlante.*
2 *de Ætna.*
3 *de Acroceraumiis.*
4 *de* A*rarath.*
5 *de Alpibus.*
6 *de Appennino.*
7 *de Basan.*
8 *de Calvaria.*
9 *de Carmelo.*
10 *de Caucaſo.*
11 *de columnis Herculis.*
12 *de Eryce.*
13 *de Euganeis collibus.*
14 *de Faliſco.*
15 *de Gargano.*
16 *de Hebron.*
17 *de Hermon.*
18 *de Helicone.*
19 *de Hecla.*
20 *de Ida.*
21 *de Lybanus.*
22 *de Miſenus.*
23 *de Moria.*
24 *de Neanis.*
25 *de Oeta.*
26 *de Olympo.*
27 *de Parnaſſo.*
28 *de Pariſylippo.*
29 *de Fratto.*
30 *de Proculo.*
31 *de Sinai.*
32 *de Sion.*
33 *de Soracte.*
34 *de Tonitruo.*
35 *de Veſuvio*
36 *de Thabor.*

14 *de*

7 d

6 de

9 *de*

9 *de arcu Fabiano.*
10 *de arcu* Trajani.
11 *de arcu Domitiani.*
38 C*onsid. de columnis* Conclus. 9.
1 C*olumna Laterani.*
2 De *columna* Traja*ni.*
3 *de columna* Cæs.
4 *de columna Antonini.*
5 *de columna bellica.*
6 *de columna* Lactaria
7 *de columna Milliaria.*
8 *de columna Rostrata.*
9 *de columna* C. Med. *Florent.*
10 *de columnis Venetis.*
39 C*onsid.* D*e statuis.* Conclus. 11.
1 D*e statua belli.*
2 D*e stat. Nabuchodonosor.*
3 *de statua Augusti.*
4 *de* C*olosso Solis.*
5 *de colosso Apollinis.*
6 *de colosso Neronis.*
7 *de simulachro Marforci.*
8 *de stat. Herculis ænea.*
9 *de stat. Laocoontis.*
10 *de stat. Cleopatræ.*
11 *de simulachro* Pas*qvini.*
12 *de stat.* S*atyri.*
13 *de stat.* T*yberis & Nili.*
14 *de stat. in Palat. conservator. Farnesiorum.*
15 *de statua Rolandi in civitat. German.*
40 C*onsiderat. de eqvis & eqvestribus statuis.* Conclus. 11.
1 D*e eqvo Imp.* T*rajani.*
2 *de eq. Cæs. Constant. & Domit.*
3 *de eqv. L. Veri.*
4 *de eqvo æneo in Pallat. Rucelui.*
5 *de eqv.* P*hidiæ & Praxitelis.*
6 *de eqvestr. stat.* C*osmi* Med. *Flor.*
7 *de eqvis inaurat. Ven. in Templ.*
8. *de eqvest. stat. Bartol. Cleon. Venet.*
9 *de eq. stat. Nicolai* Borsi *Ferrar.*

5 De

CATALOGUS AUTHORUM, QVI IN HIS QVATUOR Libris citantur.

Abbas Panormitanus
Abrahamus Ortelius
Alexander ab Alexandro
Albertus Krantzius
Alcuinus
Albertus Magnus
Almadel' Arabs
Alcadmus
Albericus de Rosate
Alexander Papa.
Antonius Florentinus
Amalarius Fortunatianus
Andreas Angelus
Anaximenes
D. Ambrosius
Æneas Sylvius
Antonius Tibaldaus
Andreas Alciatus
Angelus de Clauassio
Ancharanus
Ammianus Marcellinus
Angelus Rochus
Aristoteles
Aristophanes
Arnaldus de Villa noua
Athenens
D. Augustinus
Avicenna
Aulus Gellius
Ausonius
Aubertus Miraus
Adamus Lonicerus.

B.

D. Basilius
Balthasar Diaz
Baldus
Baptista Fulgosius
Baptista Mantuanus
Bartholomaus anglicus
Bartholomaus Chassaneus
Bartholomaus Keckermannus
Bartholomaus Marlianus

Bar-

Bartholom. de Saligniaco
Rartholomaeus Sibylla.
Bartolus
Baldus Angelus Abbatius
Beda
Benedictus Rosberg.
Bernhardus à Brettenbach.
Blondus Flavius
D. Bonaventura.

C.

Callistratus
Caesar Baronius Card.
Campegius
Carolus Magnus
Casparus Goldvurm.
Caelius Rhodiginus
Cedrenus
Claudianus Poëta
Cleanthes
Ciriacus Anconitanus
Conradus Cebes
Cyrillus

D.

Dares Phrygius
Dictes *Cretensis*
Digesta
Dion Cassius
Diodorus, Siculus
Dioscorides
Dominicus *Venetus*
Donatus.

E.

Eusebius
Eborensis
Epiphanius
Evagrius
Eustasius

F.

Franciscus Irenaus
Franciscus Albertinus
Franciscus Patricius
Franciscus Schottus
Ficinus
Flavius Vopiscus
Fortalitium fidei
Fulvius

G.

Galenus
Gemma frisius
Gervasius Tribellesius
Georgius Fabricius.
Glycas
Gregorius Turonensis
Gregorius Nazianzenus
Gregorius Jodocus Bergomas
Gregorius Groitschius
Gregorius Nyssenus
Georgius Mohr de Nigro Monte
Gregorius Lylius Anglus
Gregorius *Cracovius*

Gui-

Leander Albertus
Leonhardus Aretinus
Lindanus
Lucretius
Lucanus
Ludovicus Novius
Ludovicus Demontiosius

M.

M. T. *Cicero.*
Marcus Venetus
M. Attilius *Serranus*
Martinus Smetius
Marianus *Victorius*
Martinus Delrius
Martialis
Marqvardus de Susannis
Mela
Moses

N.

NAtalis Comes
NathanChytræus
Nauclerus
Nicolaus de Lyra
Nicephorus
Nicolaus Venetus
Nicolaus Perottus
Natalis Taillepied.
Nonius Marcellus *Saja.*

O.

ODeardus Barbosius
Olaus Magnus
Onuphrius Panvinius.
Orosius
Ovidius Naso

P.

PApinius Statius
Passionale S. Ursulæ
Pausanias
Petrus Appianus
PetrusBonfons
Petrus Binsfeldius
Petrus Hispalensis
Peregrinus
Persius
Phlegon Trallianus
Philo Judæus
Philippus Theophrastus Paracelsus
Philippus Bergomas
Philippus Camerarius
Pictorius
Pindanus
Plato
Plutarchus
Plinius
Platearius
politianus
Pomponius
Priscianus.
Procopius
Propertius

Q.

Q.

Quintilianus

R.

Rabanus Maurus
Rabbi Moses
Raimundus Marlianus
Raphael Volateranus
Reginon
Rembertus Dodoneus
Richardus
Ruffus Ephesius

S.

Sabellicus
Salvianus
Seneca
Sext. Pompejus
Servius
Schola Salernitana
Solinus
Solomon
Sophronius
Scotus
Strabo
Strozius Cicogna
Svetonius
Svidas

T.

Theophylactus
Tacitus
Textor Ravisius
Tertullianus
Thales
Theopompus
Titus Livius
Timeus Locrus
Thomas Aqvinas
Trogus

V.

Valerius Cordus
Valerius Polydorus
Valentinus Fabricius
Victor à Carben
Virgilius Maro
Ulpianus

W.

Wendelinus Helbach

Z.

Zonaras
Zacharias Lippelo-jus.

PRIMA

PRIMA HUJUS OPERIS PARS, QUÆ TERMINOS Ignis declarat & diffinit, aliasqve doctrinas ad ignis cognitionem necessarias demonstrat.

TRIGINTA QUINQUE CONSIderationes continet.

PRIMA CONSIDERATIO.

Ignis & primum subtilissimum elementum est.

VARIÆ discrepantesqve Philosophorum sententiæ fuêre de numero Elementorum, ut prolixè refert Aristoteles *lib. 3. de cœl. c. 5. tex. 43. & seqq.* Verùm qvatuor sunt Elementa & primaria fundamenta rerum omnium corporalium, IGNIS, TERRA, AQVA, AER. Ex qvibus omnia elementa in istis inferioribus componuntur, non per modum coacervationis, sed secundum transmutionem & unionem, rursusqve cum corrumpuntur, in elementa resolvuntur; nec plura nec pauciora esse post Hippocratem, Plato, Aristoteles, & pleriqve Physici omnes statuerunt. In-

Inventi tamen fuêre ex veteribus pythagorici, ut refert Aristot. *lib. 2. de cælo, c. 13. text. 73.* & Plutarch. 3. *de plac. philos. c. 11.* & ex recentiorib. Cardanus *lib. 2. de subtil.* L. Valla & alii qvi Tria tantum elementa statuunt, ignem è numero Elementorum penitus excludunt. Verum pro ignis existentia hac ratione propugnatur. Dato uno contrariorum alterum etiam dari necesse est. Ex Arist. *lib. 2. de cœlo. c. 3. t. 18.* Keck. sistem Logic. *lib. 1. c. 296.* ne si unum tantum sit id impunè grassetur & alia exedat. Proinde si terra existit, qvæ corpus est gravissimum & infimum, oportet esse & ignem omnium levissimum & supremum, qvia è duobus contrariis alterum majorem obtinet perfectionem, alterum minorem, & hocce alterius velut privatio, ac secundum ordinem naturæ posterius Conymbric. *in comment. phys. ad præd. Arist. loc.* His igitur positis duobus extremis, danda erunt duo intermedia aër videlicet & aqva, ex qvibus hæc cum terra gravitate, ille cum igne levitate conveniat hæc igni naturali frigiditate ille terræ humiditate nativa adversetur. Secundò svadetur hoc ex coagmentatione seu generatione corporum mistorum ad qvam ignis necessariò reqviritur, ut scilicet calore & siccitate sua multa humiditatis accessione extrinsecus facta, certum modum temperamentis statuat, vitalem spiritum foveat, frigus terræ & aqvæ temperet. Hæc verò à calore aëris provenire neqveunt, prout vult Cardanus, cum ipsemet

met aërem frigidum faciat. Tertio summus calor debetur alicui elemento. Debetur autem is non aëri,qvi humiditatem summam, calorem remissum vendicat. Nec aqvæ qvæ summum frigus, humiditatem remissam obtinet. Neqve terræ qvæ siccitatem summam, frigus verò remissum habeat. Ergò igni, proinde ignis qvartum elementum erit. Qvartò probatur hoc à perfectione totius universi,qvia absq; igni defecta & manca esset mundi universitas, pulcerrimo, nobilissimo, adqve agendum maximè apto elemento destituta Basil. *hom.3. Hexam.* Qvintò demonstratur à qvatuor primarum qvalitatum συζυγίαις, à qvatuor humoribus, à qvatuor temperamentis, à qvatuor qvalitatibus remotioribus, à qvadripartita primarum tactilium qvalitatum varietate, à multitudine lationum simplicium, qvæ qvatuor sunt, à meteororum ignitorum generatione deniqve ab igne nostro usuali. Sextò idem docuit D. Hieronymus *Epist.*128. Thomas *in* 1.2. *q.* 102. *art.* 4. *ad* 4. Philo Judæus *lib.* 3. *de mund. opific.* Itaqve ignis Elementum revera existit, nec ex consvetudine tantum,ut Scribonius vult, *lib.* 1. *Phys.* aëris regio summa ignis nomine dicta fuit. Unde ignis elementum cùm sit, supra omnia elementa ad Lunæ globum insidet, excellentiorisqve naturæ gradum inter Elementa obtinet.

SECUNDA CONSIDERATIO.

Figura ignis.

IGnis Elementi figura ſicut mundi totius eſt rotunda, motuqve cœli correptus circumagitur una cum proximo lunæ globo. Qvi tamen ſua ſponte ſurſum rectis lineis ſubvolans Pyramidis formam refert : ſed in motum cœleſtis regionis incidens in orbem retorqvetur. Cornel. Valer. *in phyſ. inſt. c. 15. de igne 4.* Pythagoras & illum ſeqvuti Timæus, Locrus atqve Plato igni figuram, Pyramidem videlicet qvatuor baſium triangulorum, & totidem angulorum ſolidorum, & duodecim planorum tribuerunt, ut refert Corn. Agr. *lib. 2. de occult. phil. c. 23. de Geometricis figur.*

TERTIA CONSIDERATIO.

Natura ignis.

UNum qvodqve Elementum duas ſpecificas qvalitates habet, qvarum priorem ſibi propriam retinet, in altera tanqvam media convenit cum ſeqventi. Eſt enim ignis calidus & ſiccus. Terra ſicca & frigida, Aqva frigida & humida. Aer humidus & calidus. Atqve hoc modo ſecundum qvalitates contrarias elementa ſibi contraria ſunt ut ignis aqvæ , & terra aëri. Adhuc ſecundum alium modum elementa ſibi contraria ſunt. Nam qvædam gravia ſunt , ut & alia Fera & Aqva , Aer & Ignis qvamobrem priora paſſiva poſteri-

ora

orâ verò activa Stoïci nuncupârunt. Proinde adhuc Plato ſecundum alium modum diſtingvere tres unicuiqve aſſignat qvalitates. Igni videlicet acuitatem raritatem & motum. Terræ autem obtuſitatem denſitatem & qvietem. Et ſecundum has qvalitates contraria ſunt Elementa Ignis & terra. Reliqva autem Elementa ab illis qvalitates mutuant, ita ut aer duas accipiat qvalitates ignis raritatem & motum, atqve unam terræ videlicet obtuſitatem, contra aqva duas qvidem terræ, obſcuritatem & denſitatem, & unam ignis videlicet motum. Sed ignis aëre duplo rarior, triplo mobilior, qvadruplo acutior. Aer autem duplo acutior aqva, triplo rarior, qvadruplo mobilior. Proinde aqva duplo acutior terrâ, triplo rarior, qvadruplo mobilior. Qvemadmodum igitur ſe habet ignis ad aërem, ſic aër ad aqvam, & aqva ad terram, rurſusqve ſicut terra ad aqvam ſic illa ad aërem, atqve hic ad ignem. Atqve hæc eſt radix & fundamentum omnium corporum naturarum, virtutum & operum mirabilium. Et qvi has elementorum qvalitates, & eorundem mixtiones cognoverit, facilè perficiet opera miranda atqve ſtupenda.

QVARTA CONSIDERATIO.

Qvalitas ignis.

AD omnium mirabilium operationum, ait Hermes, duó ſufficiunt, ignis & terra. hæc eſt patiens, illa agens, Ignis, ut ait Dionyſius, in

omnibꝰ & per omnia clare venit & removetur, omnibus lucidus eſt ſimul & occultus incognitusqve. ipſe qvando per ſe ipſum eſt, non accedente materia in qva propriam manifeſtet actionem, immenſus eſt & inviſibilis per ſe ipſum potens ad actionem propriam, mobilis tradens ſe ipſum omnibus qvodammodo proximantibus, renovativus, naturæ cuſtodia, illuminativus, circumvelatis ſplendoribus, incomprehenſus, clarus, diſcretus, reſiliens, ſurſum ferens, acutè means, excelſus, non receptus contumelia minorationis, ſemper motus movens, alterum comprehendens, incomprehenſus, non indigus alterius, latenter creſcens à ſe ipſo, & ad ſuſceptas materias manifeſtans ſuimet magnitudinem activus potens, ſimul omnibus præſens inviſibiliter, neglectus eſſe non patitur, ad certa autem ſicut qvædam vindicta, generaliter & proprie ſubito reducens in rationem, incomprehenſibilis, impalpabilis non minutus, in omnibus ditiſſimus ſuimet traditionibus immenſa & improba rerum naturæ portio ignis eſt, ut ait Plinius, & in qvo dubium ſit, plura abſumat an pariat. Ignis ipſe unus eſt & per omnia penetrans, ut ajunt Pythagorici, ſed in cœlo dilatatus colluſtrans, in inferno vero coarctatus tenebroſus, & cruicians in meditullio de utroqve participans. Ignis itaqve in ſe unus in recipiente multiplex, & in diverſis diverſa nota diſtributus, ut apud Ciceronem teſtatur Cleanthes. Eſt itaqve ignis hic adventitius qvo utimur. Eſt in lapidibus, qvi ictu chalybis excutitur. Eſt in Terra,

ra, qvæ ex refoſſione fumat. Eſt & in aqvis qvi fontes & puteos calefacit, eſt in profundo mari, qvod ventis agitatum tepeſcit. Eſt in aere qvem ſæpe ferveſcere videmus & animalia qvæqve & viventia omnia & vegetantia calore nutriuntur, & omne qvod vivit propter incluſum ignem vivit. Superni ignis propria ſunt ardor omnia fœcundans & lux omnibus vitam tribuens. Inferni ignis propria ſunt ardor omnia conſumens & obſcuritas cuncta ſterilitate complens. Fugat itaqve cœleſtis & lucidus ignis tenebroſos dæmones fugat & hic noſter ligneus eosdem, qvatenus habet ſimulacrum & vehiculum lucis illius ſuperioris. Qvin & illius qvi ait: ego ſum lux mundi, qvi verus ignis eſt & pater luminum, à qvo omne datum optimum venit ſplendorem ignis ſui emittens & communicans primo ſolis & cæteris cœleſtibus corporibus, & per hæc tanqvam per media inſtrumenta illum in hunc ignem noſtrum influens. Sicut ergò tenebrarum dæmones in tenebris ipſis robuſtiores ſunt, ſic boni dæmones qvi ſunt angeli lucis, incrementa ſuſcipiunt à luce, non ſolùm divina, ſolari & cœleſti, ſed etiam ejus qvi apud nos eſt ignis. Hinc primi religionum & ceremoniarum ſapientiſſimi inſtitutores orationes & pſalmodias, & ſacra qvæqve non niſi accenſis luminibus fienda decreverunt. Hinc illud Pythagoræ Symbolum, Ne loqvare de Deo absqve lumine. Juſſeruntqve ad fugandos malos dæmones apud cadavera mortuorum, lumina ac-

cendi & ignes, nec illa amoveri, qvousqve perfectis sacro ritu expiationibus terra cendantur. Ipseqve omnipotens in veteri lege exqvirebat omnia sua sacrificia igne offerri, atq; ut in altari ignis semper arderet, qvem etiam apud Romanos Vestæ sacerdotes perpetuum servabant custodiebantqve.

QVINTA CONSIDERATIO.

Qvo die creatus ignis.

ATTESTANTE Mose in descriptione creationis mundi, Lux dicente domino, facta est in primo die, qvod & de angelorum creatione qvidam intelligi volunt, ex 38. Jobi capite, qvia Deus ibi se ab astris matutinis & filiis Dei laudatum fuisse asserit, cum fundamenta terræ poneret, qvæ primo utiqve die constituta sunt. Qvamvis ad diem tertium eorum creationem aliqvi reponunt moti illo Apostolico, *Col.* 1. ubi per Christum condita esse affirmantur, tam ea, qvæ sunt in cœlo, qvam qvæ in terra visibilia & invisibilia, throni, dominationes, principatus & potestates, cum enim angeli sint in cœlo eosdem habitaculo suo constructo & exornato priores non fuisse censent. Putant Rabini ignem Tartareum seu infernalem secundo die fuisse creatum, qvod ibi non legatur. Vidit Deus qvod esset bonum, sicut in aliis diebus, , cum itaqve Deus nolit excidium humanum non placuisse ipsi atqve sic omissum esse.

Sexta

SEXTA CONSIDERATIO.

Ignis Deus apud antiqvos.

PAGANI, ut refert Salomon, *Sapient.* 13. Aut ignem aut ventum, aut citatum aërem, aut aſtrorum orbem, aut vim aqvarum aut lumina cœli, rectores mundi Deos eſſe putaverunt. Chaldæi de qvibus legitur in qvadam hiſtoria ſcholaſtica, cum & ipſi adorarent ignem, qvem ipſi appellabant Deum Deorum ad hoc etiam cogebant alios hoc modo. Offerebant enim qvibuscunqve negantibus ignem eſſe Deum & alium Deum pugnantibus pugnam. Ita qvod ſi Deus eorum ab aliqvo vinceretur, ejus culturam admitterent. Si verò ignis eorum Deus aliorum idola conſumeret, illi ad ignem ſemper colendum ſe obligarent. Qvapropter Canopei qvi idolum Beli adorabant, depoſuerant de capite idoli ſui auream coronam, & ſuper caput ejus vas qvoddam teſtaceum poſuerunt, & illud multis foraminibus perforaverunt, & cum cera obturaverunt, & illud aqva impleverunt. Venerunt igitur Chaldæi ad illud idolum examinandum & poſuerunt in ignem, ſtatimqve in foraminibus cera liqvefacta, deſcendit aqva & ignem extinxit, & ſic prævaluiſſe creditum fuit idolum Canopi, cujusdam civitatis Ægypti, Deo Chaldæorum. Hinc & Abrahamus ſuffocato in Uhr Chaldæorum Aram fratre ſuo in igne, qvia ignem colere noluit, cum & ipſe projectus fuiſſet in i-

gnem à Deo liberatus eſt, ut exponit Hartm. Schedel. *in Chro. ab initio mundi ætat. 3. fol. mihi 22.* Et Perſæ Deum ignem coluerunt, ut teſtatur Alex. ab Alex. *lib. gen. dier. 6. c. 4.* qvæ etiam Magorum opinio fuit, cui Thales adſtipulatur qvi ignem tam religioſe coluerunt ut cremare corpora ducerent nefas, ne contagio cadaveris deorum maximum violarent. *idem lib. 6. c. ult.*

SEPTIMA CONSIDERATIO.

Ignis inviſibilis.

IGNIS ille elementalis qvia tenuiſſimus eſt, non venit ſub aſpectum. Non eſt hic ignis noſtro ſimilis, qvo nihil eſt edacius, ſed purus qvidam fervor, qvi nec cernitur ut noſter ignis, qvia rariſſimus eſt, nec alimento eget, cum ſit ſimplex aliisqve rebus alimentum præbeat potius qvàm accipiat. Noſter verò imaginem duntaxat illius, qvandam refert qvod calidus ſit & ſiccus, qvi tamen aëri & terræ, ac cæteris qvalitatum concretioribus craſſioribus admixtus humanis uſibus ſervit prodeſt hujus elementi vis ad aqvæ & terræ frigus in concretis corporibus temperandum ad vitalem qvaſi ſpiritum fovendum, ad coqvendum, ad maturandum.

Deus ignis conſumens.

Deut. 4. & Paul. ad Heb. 12. & ideò dicitur *Exod. 3.* Apparuit Dominus Moyſi in flamma ignis de medio rubi.

Octa-

OCTAVA CONSIDERATIO.

Anima hominis ignea.

ANIMA correſpondet terræ per ſenſum. Aqvæ per imaginationem, aëri per rationem cœlo per intellectum, exigitqve anima in illorum harmoniam ſecundum qvod temperantur hæc in hoc mortali corpore. Hinc Alexander M. qvi in India prælio circumventus lumen & ignem ex ſe profundere viſus eſt. Theodorici pater ignis ſcintillas ex toto corpore profudiſſe legitur, ita ut ſcintillantes flammæ hinc inde etiam cum ſono proſilirent.

NONA CONSIDERATIO.

Ignis terræ.

ESt & ignis in terra, qvæ ex refoſſione fumat, de qvo *Agrippa de occult. phil. lib.* 1. *c.* 5.

DECIMA CONSIDERATIO.

Ignis in montibus.

CAUSAM ignis qvi è montibus vomitur potius qvàm è vallibus inqvirere aut aſſeqvi non eſt difficile, ſi cogitemus valles minus cavernoſas eſſe, nempe locis omnib' obſtruſis longè magis qvam ſint in montibus, qvi eminentes rarioris materiæ ſunt qvàm ima vallium, & ideo etiam ſaxoſi magis ſalebroſi & rimis undeqvaqve ſuam inanitatem demonſtrantes. Eò igitur

tendit ignis non in ſolida loca, ad qvæ erumpendi aditum facilem non invenit. Sunt tamen in campis thermæ plurimæ ex eisqve ignis exhalat, ſenſim & paulatim, cum in montibus furat impetu ſuo ob cavitates, per qvas vim ſemper acqvirens erumpit. Eſt hæc ratio, cur in montibus potius qvàm campis hujuſmodi euomantur ignes. Ratio verò qvomodo hujusmodi ignes tanto miraculo generentur, ut in monte Æthna Siciliæ omnium Europæ celebratiſsimo eſt. Ventorum vis multa per ejus viſcera permeantium ignẽ excitat in ea, qvæ occurrit ſulphurea & aluminoſa materia. De illo ob id multa tradidere omnes qvi de montibus ſcripſere. Ariſt. *de admir. c.* 36. ſic habet: Ignis undam in monte Æthna neqve mediocrem exiſtere aiunt, neqve eſſe continuam. Solin. *c.* 10. In æthnæ vertice hiatus duo ſunt, crateres nuncupati, per qvos eructatus erumpit vapor præmiſſo prius, fremitu, qvi per æſtuantes cavernarum latebras longo mugitu intra terræ viſcera diu volvitur, nec ante flammarum globos attollit, qvam interni ſtrepitus antecedant. Mirum hoc eſt nec illud minus qvod in illa ferventis naturæ pervicacia mixtas ignibus nives profert, & licet vaſtis inundentur incendiis, apices canicie perpetua brumalem dedinet faciem. Itaq; invicta in utroqve violentia, nec calor frigore, nec frigus calore, diſſolvitur. S. Auguſtinus *de civ. Dei, lib.* 3. *c.* 31. legimus inqvit, apud Ethnicorum hiſtorias æthnæis ignibus ab ipſo montis vertice uſqve ad littus proximum decurrentibus,

bus, ita ferbuisse mare ut exurerentur rupes, & pices navium solverentur. Hoc utiqve non leviter noxium fuit, qvamvis incredibiliter mirum. Eodem rursus æstu ignium tanta vi favillæ oppletum esse Siciliam, ut Catinensis urbis tecta obruta & oppressa diruerent. Hactenus ex illo, & sanè hoc contigerat paulò ante seditionē C. Gracchi ac ut habet Orosius *lib. 5. c. 10. & 12.* multi mortales incendio ab sumti sunt, coactiqve fuere desertis suis qvam longissimè aufugere: atqve ita fit ut illius ignis vis Jure censeatur etiam suo calore frigida dissoluisse, qvando etiam mare ipsum in fervorem converterit.

Julius Ethnicus, *M.* Æmilio. L. Aurelio Coss. Æthnæ mons terræ motu ignes super verticem latè diffudit, & ad insulam Lyparas mare efferbuit, & qvibusdam adustis navibus vapore plerosqve in navaleis exanimavit, piscium vim magnam exanimem dispersit, qvos Lyparenses, avidius epulis appetentes, contaminatione ventris consumti sunt, ita ut nova pestilentia vastarentur iusulæ, Senec. *natur. lib. 2. c.* 30. memorat montem Æthnam aliqvando suo multo igni ingentem vim arenæ urentis effudisse involvisseqve diem pulvere populosqve subita nocte terruisse cum plurima fuissent tonitrua & fulmina *Plinius. lib. 2. c.* 106. In montium, inqvit, miraculis ardet Æthna noctibus semper, tantoqve ævo ignium materiæ sufficit nivalis hybernis temporibus egestamqve cinerem pruinis operiens Et *lib. 3. c. 8.* Mos inqvit, Æthna nocturnis mirus incendiis, crater ejus pater

ter ambitu ſtadiorum 20. favilla Taurominium &Catanam uſqve pervenit fervens, fragor verò ad Maronem & Gemellos colles. Ejus, igitur incendii cauſam Trogus lib.4. ſic adfert: Sicilia, inqvit, eſt terra cavernoſa & fiſtuloſa, qvo fit ut ventorum flatibus pateat. unde ignis concipitur. Intrinſecus ſulphur habet & bitumen, ubi ventris per ſpiramenta cavernarum incubuit diu luctatus concipit ignem. Sic Æthnæ durat incendium, Hæc ille motus ergo ventorum incendii cauſa eſt. Strabo etiam ſcribit, ſe in ejus montis cacumine fuiſſe, & omnia diligenter luſtraſſe. Feruntqve in ſummo vertice mirabiles eſſe mutationes, interdum erumpente igneo fulmine, aliqvando vel flamma vel obſcuro fumo. Id verò ſummam habet admirationem, qvod illius ignis calor neqve ullo frigore temperari, neqve frigus depellere poteſt. Et veroſimile eſt in iis locis qvædam eſſe Tartari oſtia aut loca punientis animab' deſtinata qvod & Surius tradidit *comment. ſuo anno domini 1537.* Eſt etiam inſignis in Italia Veſuvius Campaniæ, de hoc Solin. c. 40. Qvod in Campania Veſuvius in Sicilia æthna, hoc in Lycia mons Chymære eſt mons nocturnis æſtibus fumum exhalans, hæc ille, atqve eo fumo Plinius ſenior extinctus eſt cum conflagrationis ejus cauſas experiri vellet.

In Islandia inſula mons eſt occidentem verſus Hecla dictus, à qvo non longe abſunt fodinæ ſulphuris, qvod inde copioſiſſimè plenis navibus evehitur. Mons ille cum fuerit haud ſe-

ſecus atqve horrenda tonitrua inſonat, projicit ingentiam ſaxa ſulphur evomit cineribus egeſtis terram circum circa tam longè operit, ut ad 20. lapidem vel milliare coli non poſſit. Sunt ibi multæ voragines ita cineribus opertæ, ut vix evitari poſſint ab illis, qvi ut ejus incendii naturam explorent, propius montem accedunt, è qvibus pleriqve vivi à voraginibus abſorbentur. Emergit illic ignis qvidam qvi aqvam abſumit, ſtuppam non abſumit. *Sur. de loc.*

UNDECIMA CONSIDERATIO.

Ignis in lapidibus.

E Silice ignem excutere potuit Pyrodes uti habet Plinius *lib. 7. c. 56.* Legitur & Judicum c. 6. etiam à lapide ignem ſponte manaſſe, cum etenim Gedeonem Angelus ſub qvercu ſalutaſſet & ejus juſſu carnes & panem ſupra petram poſuiſſet, & thus deſuper fudiſſet, aſcendit ignis de petra, qvi carnes ac panes conſumſit, atqve ita fit, ut omnibus ſacris literis hoc pateat ex rebus frigidisſimis, ignem etiam manare divino tantum miraculo. In Lyciæ Hephæſtris rivis lapides tæda flammante tacti, qvin & arenæ ipſæ in ipſis aqvis ardent. *Plin. lib. 2. c. 106.* Conſimilis eſt ignis in Nymphæo. Ibi enim è petra flamma egreditur, qvæ Pluviis accenditur, Theopompo teſte. At admirabilius eſt, qvid de hujusmodi illo igne tradit Ariſt. *lib. de admir, c. 34.* ſic. In locis montanis Apolloniatidis juxta Atitatriam

(is

(is Nymphæi locus eſt)petram qvandam eſſe ajunt, ex qva ignis emanans non cernitur,at cum in illam oleum effunditur, continuo flamma exurgit. Sunt & ignei lapides, ex qvibus ignis extrahitur, & in ipſum qvandoqve reſolvitur, aut ex ipſo geniti ſunt, ſicut lapis fulminis, & lapis pyrites atqve asbeſtus.

XII. CONSIDERATIO.

Ignis plantis.

SUnt & plantæ herbæqve igneæ naturæ, ut Enula campana, Agrimonia, Aqvilegia, Arum, Pimpinella, Latier, Ocymum, Carduus benedictus, Centaurea, Camomillum, Urtica major, Veronica, Chamædris, Aſarum, Lupulus, Lingva cervina, Erica, Hyſſopus, Lauendula, Majorana, Salvia arſtolochia, Pulegium ſerpillum Ruta, Roſmarinus, Synapi, Satyrion, Herba S.Ioannis, Pes leonis, Sanicula, Pyrola, ut refert Ad.Lonicerus *in ſuo* Herbario *de diſtillat. aqv. in fin.*

XIII. CONSIDERATIO.

Ignis in aqva.

DEI opus eſſe præcipuum vel ex eo patet, qvod Lactantius habet, *lib. de ira Dei, c.* 10. Vaniſſimum eſt ſi ignis & aqva naturam ex Atomis eſſe credamus. qvid qvod duriſſimi rigoris materiæ, ſi ictu vehementiore collidantur ignis excuritur; nam in ferro aut ſilice atomi latent? Qvis incluſit? aut cur ſua ſponte non emi-

emicant? aut qvomodo semina ignis in frigidissima materia permanere potuerunt? Omitto silicem & ferrum: orbem vitreum plenum aqvæ si tenueris in sole de lumine qvod ab aqva resulget ignis, accenditur etiam durissimo frigore, num etiam in aqva ignem esse credendum est, &c. Nota Sal in se uno continet aqvæ & ignis elementum, & hoc è duobus est, unum ut tradidit S. *Hilarius in Comment. in Matth. cap.* 4. qvod est summopere admirandum, simul hæc duo tantum consistere, aqvam & ignem, sic frigidum & calidum, ac proptera sal in igne crepitat, qvia humor aqvæ resistit, qvanqvam salis qvædam species est Agrigenti, qvi qvoniam plus ignis qvàm aqvæ habet contra alias saleis species facilimè ejus aqva illa in igne dissolvitur, & ideo ille unus non crepitat in igne sicut reliqvæ salis species, ob resistentem in eis eqvam: propterea enim reliqvæ species salis in aqva positæ, qvia plurimum aqvæ habent, minimum ignis, in aqvam facilius dissolvuntur, in igne crepitant aqva resistente. Hujusmodi Agrigentini salis esse naturam tradit *Solinus c.* 10. *& plinius lib.* 31. *c.* 7. ita & Tragasæus sal in igne nec crepitat nec exilit qvia aqvæ permodicum habeat, *plinio auctore ibid.* Sic igitur mirum est hoc in sale, qvocunqve ignem frigidæ aqvæ tenacissime in hærere. Exemplum aliud in sacris, 3. *Reg. c.* 18. Elias adversus prophetas Baal in altari tantũ aqvæ imposuit, qvantum qvatuor hydriæ caperent, ter superfudit holocausto, adeo ut aqvæ currerent circum altare

tare, & fossa aqvæductus in circuitu altaris repleretur. Cecidit ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna & lapides, pulverem qvoqve & aqvam, qvæ erat in aqvæ ductu lumbens. Aliud exemplum *Macch.* 2.c.1. cum desolatione Hierosolymitana sub Antiocho facta in Persidem ducerentur sacerdotes, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle ubi erat puteus altus & siccus, & in eo imponentes eum studuerunt, ut omnino ignot⁹ esset locus. Cùm autem præteriissent anni multi, & placuit Deo ut mitteretur Nehemias à regis Persidis nepotes sacerdotes illorū, qvi absconderant misit ad reqvirendam ignem & non invenerant nisi aqvā crassam & jussit eos haurire & afferre sibi & sacrificia, qvę imposita erant jussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqva & ligna, & qvæ erant superposita. Utiqve hoc factum est, & tempus affuit, qvo sol refulsit, qvi prius erat in nubilo, accensus est ignis magn⁹ ita ut omnes mirarentur. Cum autem consumtū esset sacrificium ex residua aqva Nehemias jussit lapides majores perfundi, qvod ut factum est, ex eis flamma accensa est, sed & ex lumine qvod refulsit ab altari, consumta est.

XIV. CONSIDERATIO.

Ignis in Insulis.

SUnt & Insulæ in qvib. ignis flagrat. Cum etenim undeqvaqve aqvis circumdentur, ob qvarum copiam vix ulla ignea cintilla superesse posſit, nihilominus sæpè in ipsis insulis majores qvam alibi comperti sunt ignes, majoresqve

qve qvam in Mediterraneis, patet hoc ab Æthnæ incendio Siciliæ ab igne Vulcani. Sed & Lyparis Insulæ in qvibus perpetuus flagrat ignis. Addit præterea Aristoteles *de admirandis lib.*32.in ea terram esse,in qva si olla cooperiatur, qvicqvid fuerit injectum,statim coqvitur. At nec in Italia tantum est illa ignium copia,verum etiam in Indicis Insulis præcipuè qvæ nuncupata est Del Moro proximè Tolo in regno regis Ternates. Erumpit enim ibi ignis caliginosus, cinerũ densidate tanta,ut & domos diruerit,arbores in annos plures steriles esse per egerit, omnia animantia enecaverit,aspera in vias çqvas permutaverit lapidum cinerumqve aggestu. Tum in eodẽ Ternates regno in insula Malucco ignis erumpit non minore fragore qvàm in gentibus erum pere solet à bombardis, ejectis etiam lapidibus molari magnitudine uti, de his utrisq; scripsit Balthasar Diaz ex Malacca 1556. Et Adamantinus ille mons Juculæ Tenarissæ inter Fortunatas, qvi & longè prospectantibus vias dirigit suo igne, per lucem omnibus prodest, per ustionem nulli obest. Et insula Nicopora non procul à Iava perpetuò igne flagrat ut Odoardus Bardosus memorat.

XV. CONSIDERATIO.

Ignis in aere.

IGNEORVM meteororum omnium una eademqve materia est calida & sicca exhalatio. qvæ propter tenuitatem & levitatem si calidisima sit, in supremam aeris regionem penetrans, ibi ab igne, sole, & motus celeritate.

incenditur, ut Cometæ Capræ, Trabes, si verò minus calida propè terram inflammatur, ut stellæ castores, vel in suprema infimæ regionis parte ut stellæ transvolantes, si calidior ad mediam regionem evehitur, unde fiunt fulmina, virgæ ardentes, &c. Variæ sunt autem formæ ex diversa exhalationis in aërem pertractæ situ ac figura & copia. Sunt enim aliis aliæ plus aut minus incensæ, itemqve aliæ diuturniores aliis, & vel concitatiores vel remissiores.

CONCLUS. I.

Virgæ.

VIRGAE sunt raræ qvædam inter se distantes ac latæ diffusæ longeqve serpentes flammæ tanqvam stipulæ qvædam incensæ, unde & stipulas qvidam appellarunt.

CONCLUS. II.

Æges.

ÆGES seu Capræ sunt Globi qvidam ignei qvi dum paulatim inflammantur initio ferè globosi, post in longum progredientes flamma protenduntur..

CONCLUSIO III.

Doci.

DOci seu Trabes sunt latæ qvædam & in longum æqvaliter porrectæ flammæ.

Con-

CONCLUSIO IV.

Fax.

FAx ſeu lampas dicitur flamma lampadis formam referens, qvæ niſi in terras cum cadit, ante non conſpicitur. Ejus duas formas Plinius facit *lib.2.c.* 26. Seneca fulgurum nomine utramqve conplectitur.

CONCLVS. V.

Lucerna.

LVCERNA ſuperiore qvidem parte veluti candela qvædam incenſa videtur, non autem inferiore, qvod ejus materiam deſuper ignis attingens, paulatim ſerpendo conſumat, donec ea tota ſit inflammata.

CONCL. VI.

Stellæ tranſvolantes.

STELLÆ tranſvolantes à Seneca vocantur, qvas Plinius Stellarum diſcurſum appellat, qvæ gignantur cùm exhalatio inflammata ſurſum nitens, à nube deorſum repulſa diſtrahitur ac decurrit, & cadere videtur.

CONCLUS. VII.

Caſtor & pollux.

UT vocat Plinius *lib.* 2. *c,*37, ſtellæ geminæ, vulgo fatuus & erraticus ignis dicitur, pro-

pè terras in aëre proximo hærens è craſſa & humida conſtans exhalatione, diutius perdurans: qvi vento non nihil agitatus cum decliviora loca petat, viatorem dicitur noctu ſeqventem ad aqvas & valles in præcipitia ducere. In magnis tempeſtatibus navium antennis aliiſve partibus tanqvam ſtellæ qvædam inſidere cernuntur, qvæ ſi geminæ ſunt proſperæ putantur. Sin unica ſit: Helena vocatur & infelix creditur.

CONCLVS. VIII.

Fulminum fulgurum ſeu fulgurationum eadem eſt generationis cauſa.

CUm exhalatio calida & ſicca & craſſa ſimul cum vapore humido ſurſum elata mediam aëris regionem attigerit: ſi vapor in denſam frigidam nubem loci frigore denſatus undiqve exhalationem illam cingat atqve conſtringat ipſa jam in anguſtum coacta locum, interiore calore reluctante, frigoriqve concludenti ac prementi reſiſtente magis æſtuat, excitatoqve ſpiritu tandem & natura vires aſſumente exitum, magno ac terribili fragore (qvem tonitrum appellamus) nubem perrumpit & violenter exſiliens inflammatur, atqve hinc ille ſubitus apparet ſplendor, qvi fulgur dicitur. Exſiliens autem è nube flamma, ſi ad terras perferatur, fulmen appellatur, & fulgetrum ſi longiore

re tractu nitatur. Finis horum est exhalationum pestilentium consumtio. Nam pestilens plerumqve ac fœtidum fulmen est, qvoniam è crassa ac glutionosa exhalatione gignitur. Perrumpit ac perscindit dura, magis qvam mollia velut metallum saxum, pecuniam intacta sæpè crumena, qvod ideò fit, qvia duriora magis resistunt, & in hæc illud vim suam acrius exercet, qvæ qvidem vis in illo tartareo pulvere bombardico incenso facile cerni potest. Qvod autem citius splendor ille cernatur, qvam tonitru percipiatur, cum tamen eodem tempore utrumqve fiat. Ea causa est, qvod aspectus tenuior sit, & sine aëris motu formas adspectabiles statim apprehendat. Audiendi vero sensus tardior, non nisi per aeris impulsionem ad aures pervenientis percipiat.

CONCLUSIO IX.

Cometæ.

COmetæ existunt, cum in supremam aëris regionem evecta exhalatio sicca & crassa cogitur, orbiumqve cœlestium impulsu agitato aere ignis attactu accenditur, paulatimqve inflammati æqvabiliter, nec subitò desinit propter materiæ copiam, qvæ continua qvadam similis materiæ cœli motu ac solis calore attractæ accessione crescit. Hinc fit ut qvo copiosior est exhalatio hoc diuturnior sit cometa, qvem Plinius *lib. 2. c. 23.* ut minimum

ſeptem, ut ſummum octoginta dies cerni ſcribit. A figuris cometis nomen inditum eſt, qvod videantur ſtellæ crinitæ, qvas Latini, teſte Cicerone, Cincinnatas etiam vocant. Eorum color pro exhalationis, vel raritate vel denſitate, alias rubet, alias pallet, ſed qvia noctu ardent ac ſcintillare conſpiciuntur color ſæpè videri mutatur. Autumni tempore ſæpius generantur. Variæ ſignificationes eorum commemorantur, ſed præter æſtum ſiccitatem & ſterilitatem, qvæ cometæ ferè nunciant reliqva Deo nobis minanti nota ſunt. Cometarum ſpecies ſunt: Pogoniæ qvæ barbæ figuram. Acontiæ, qvæ Jaculi. Xiphiæ qvæ mucronis. Ceratiæ, qvæ cornuum ſpeciem referant.

Eſt & aliud genus igneorum, qvæ cum nullum habeant ignem, ardere tamen in aere videntur.

CONCLUS. X.

Chaſma.

CHaſma fit cum exhalatione denſa & glutinoſa in ſuprema regione aeris excalefacta cœlum ſubito ſplendore aperiri videtur.

CONCL. XI.

Nocturnus ſplendor.

NOcturnus ſplendor fit accenſa exhalatione aliqva tenui ac rara, qvo repente magna

gna cœli pars illuſtratur & cito deſinit. Plinius lumen de cœlo viſum appellat.

CONCL. XII.

Nubes.

NUbes eſt copioſa exhalatio vi ſolis evecta & in media regione aeris frigore coacta, qvæ interiore calore,qvo fuit excitata ſuſpenditur.

CONCL. XIII.

Corona.

COrona ſive Halos, eſt circulus in nubibus, apparens,qvi lunam ſolem aliamve ſtellam ex majoribus aliqvam, cui ſubeſt,ambit, ſed lunam ſæpius, efficitur hic circulus ex nube rara ac tenui qvàm ſtella ſuis radiis mediam trajicit, idqve tantum ſereno tempore: qvi ſi paulatim evaneſcat, ſerenitatem ſignificat, ſi denſitate nigreſcat,pluviam.

CONCL. XIV.

Parelia.

PArelia ſunt imagines qvædam à ſole nubibus impreſſæ, qvæ fiunt aëre tranqvillo cum æqvabilis aliqva nubes & humida, nec denſa nimium nec rara, ſolis radiis illuſtrata, effigiem illius refert.

CONCL. XV.

Iris.

IRis ſive cœleſtis arcus fit, cum in cavam & roridam nubem tenuem atq; æqvabilem,qvæ

liqvescere jam cœperat, & ex adversum soli positam, ejus radii reflectuntur, qvi qvoniam rotundam in ea nube figuram efficiunt, arcuatam qvoqve imaginem spectantibus exhibent. Qvo propinqvior est sol horizonti & iris major apparet, minor est, cum videlicet sol ab horizonte est remotior.

CONCL. XVI.

Lineæ perpendiculales.

Lineæ perpendiculares, seu virgulæ varii coloris eodem modo qvo irides, nisi qvod hæ lineæ rectæ in longum porriguntnr, non ut illæ, curvantur in arcum, qvod ex eo fit, qvia nubes in qvibus apparent, non ut in iride concavæ, sed planæ sunt, qvibus linearum imagine radii solis imprimuntur.

XVI. CONSIDERATIO.

Spiritûs ignei.

Secundum Magorum traditionem tria genera sunt spirituum, qvorũ primos super cœlestes vocant atqve mentes à corpore penitus sejunctas & q. intellectuales sphæras, Deum unum tanqvam ipsorum firmissimam stabilissimamq; unitatem, sive centrum colentes, qvapropter illos jam etiam Deos nuncupant, propter divinitatis participationem qvandam, qvia semper

per sunt Deo pleni divinoqve nectare ebrii. Hi circa unum Deum solum versantur, nec mundi corporibus præsunt nec inferorum ministrationi adaptantur, sed susceptũ a Deo lumẽ inferioribus ordinib. influunt, singulisq; singula officia distribuunt. Hos secundo ordine proximè seqvuntur cœlestes intelligentiæ, qvos vocant dæmones mundanos, sc. ultra divinum cultum mundi sphæris accommodatos unicuiqve cœlorum & stellarum præsidentes, unde eos in totidem distribuunt ordines, qvot in mundo sunt cœli, & qvot in cœlis sunt stellæ, & vocabant pro stellarum tam nomine qvàm virtute. Tertiò ponunt dæmones qvasi ministros, ad ea qvæ sunt in inferioribus disponenda, qvos Origenes vocat invisibiles qvasdam virtutes, qvibus ea qvæ sunt super terram disponenda credita sunt. Sæpe enim nemini conspicui, itinera & negotia nostra qvæcunqve dirigunt, sæpe etiam præliis intersunt, clandestinisqve subsidiis optatos amicis præbent successus qvippe conciliare prospera, infligere adversa pro libito posse dicuntur. Illos simili modò in plures ordines distribuunt, ut alii Ignei, alii Aqvei, alii Aërei, alii Terrei sint, qvę qvidem qvatuor species dæmonum, juxta qvatuor cœlestium animarum vires, mentem, rationem imaginationem, naturam scilicet vivificam & motricem computantur. Hinc ignei cœlestium animarum mentem seqvuntur. Unde ad sublimiora contemplanda concurrunt, ut

tradit Cornel. Agrippa. *lib. 3. de occult. philosoph. c. 16. de intelligentiis & dæmon. &c.* Ex ordinibus qvoqve angelorum ignei sunt Seraphin & virtutes potestates. Hi spiritus ignei circa superiorem pervagantur aërem, qvi ignis sphæræ proximus est, imò in ipso igne demorantur. His nonnulli diversas illas qvæ in aëre conspiciuntur impressiones atqve ostenta adscribunt, qvorum ingens numerus tam antiqvis, qvàm recentibus monumentis est consignatus, ut recenset qvædam Strozzius Cicogna *in Theat. univ. nat. lib. 3. c. 5.* Ait Cardanus igneos hos spiritus nunqvam impunè apparere, sed clades semper & maxima mala prænunciare. Ab igneis his spiritibus antiqvi fulgurum ac fulminum sumserunt observationem, cujus exqvisitam diligentiam Plinius eo processisse dicit, ut etiam numerum dierum Hetrusci prædicerent, cujus qvidem superstitionis hoc apud eos est exemplum. Anteqvam mortem Augustus obiret, decidens fulmen è nomine Cæsar primam litteram sustulit, ut Aesar tantum relictum sit. Aruspies consulti intra centum dies Augustum moriturum prædixerunt. Hetrusca enim lingua Æsar Deum significabat, C. autem, apud Romanos centum, centesimo die Deum dici debere Cæsarem, qvod nulli viventium convenire poterat, argumentum clarissimum fuit eum illa die interiturum. De spectro igneo mirabilem narrat historiam Cardanus. Redibat, inqvit, amicus

qvi-

qvidam meus fide dignus Mediolano Gallaratum, & erat jam nox, ſed cœlum atrum obſcuriores noctes faciebat, pluebatqve leniter & Ipſe è regione oppidi alterius Buſti qvatuor millia paſſuum aberat adhuc Gallarato: qvum viſus eſt ſenſim videre ſplendorem vocesqve bubulcorum à ſiniſtro latere increbeſcere: ac brevi qvum ſeps intermedia eſſet, jam videt currum totum flamma conjectum, vox bubulcorum erat Cave cave, qvo oſtento territus calcaria eqvo addit, ſed ſeu curreret ſeu citato pede progrederetur, ſemper illi è regione currus obverſari videbatur, ipſe vero qvum interim ſupplicationes ad Deum recitaret, tandem poſt horæ fermè ſpatium pervenit ad eccleſiam ſeu ſacram ædem B. Laurentii, qvæ extra portam oppidi eſt, atqve ibi ſub terra omnia mergi viſa ſunt, currus boves bubulci flamma.

XVII. CONSIDERATIO.

Homines ignei.

IN qvolibet elemento ſtatuit Ph. Theoph. Homines & creaturas qvi in ſuo Chao ambulent & habitent. De igneis exemplum admirabile eſt Anno 1536. die Martis 21. In *Sicilia* non procul ab oppido Taurominitano mercatori Siculo iter facienti decem fabrorum habitu occurrerunt, ac paulo poſt alii decem, tandem vero unus Vulcano ſimilis. Rogati à Mercatore, qvo tenderent? Reſp. Ætnam ver-

versus ad fabrilem officinam. Heic Mercator, mirum sibi videri, qvomodo eo in monte qvidqvam fabricari possint, qvi altissima nive esset obtectus, respondens Vulcanus, Ignotæ tibi, inqvit, meæ sunt vires, qvàm non multò post cum aliis experieris, simul cum dicto evanuit: unde mercator totus horrore rigescens ægrè in proximam domum correpsit, & seq. die leto concessit. Sub vesperam Ætna mons tanto cum fragore moveri & cinerem ac flammas evomere cepit, ut Taurominitani ultimum mundo finem instare rati latibula undiqve qværerent, nec ullum satis tutum invenirent: tandem verò indictis ad D. Agathæ supplicationibus fusisqve ad Deum precibus tempestas præter omnem expectationem cito conqvievit. *Strozz. Cicogn. d. loc.*

XVIII. CONSIDERATIO.

Animalia in igne.

SUnt animalia numero qvatuor, qvæ victum percipiunt tantum ex uno elementorum, ut talpa terra, Alec aqva, Chameleon aëre, & Salamandra igni: ut probant versus seqventes:

Talpa terra cibus Chameleon aëre vivit,
Alec unda fovet, flammæ pascunt Salamandram.

XIX.

XIX. CONSIDERATIO.

Aves in igne.

MIra refert Baptista Fulgosius *in suis Collect. de dictis factisq; memorab. lib.* 1. *tit. de mirac. c. de avib. animalibusqve aliis admirand.* ubi de farfallis avibus, qvæ à Græcis Pyraustæ nominantur, qvæ in Cypro in metallorum fornacibus inveniuntur, per medias flammas illæsæ volant, & si forte longè, ab ignibus auferantur, parvo temporis momento intereunt, res profecto mira hujusmodi aves in violento, qvod alia viventia omnia perimit, elemento vivere. De volucribus Creticis tradit Solinus c. 16. Ignem impunè involare, Carystiæ nuncupantur.

XX. CONSIDERATIO.

Inventor ignis.

ASserit Plinius *lib.4.c.*12. In insula Delo ignem primum repertum. Fabulantur Phœnices à Protogono eum compertum ex constrictione lignorum, de qvibus meminit Eusebius Cæsar. *depraparat.evang .lib.1 c.7.* sed falso. Auctor enim nemo alius nisi solus Deus. Nam Genes. c.3. statim ejectis Adam & Eva à Paradyso flamma gladii forma constituta ibi est ne ulterius liceret alicui eò reverti. Præterea Abel tempore sacrificium ab eo dicatum

tum est adipe agnorum oblato *Gen. 4.* qvi sane non nisi per ignem offerri consuevit, ut liqvefiat & offeratur. Ignem enim sacrificio adhibitum etiam Abelis sacrificio videtur tradidisse S. Augustinus, adversus Faust. *lib* 22. *c.* 17. Tum à Tubal organa facta fuere. Tubalkain qvoqve malleator & faber fuit in cuncta opera æris & ferri, qvæ non nisi igni confici potuerunt. Ignis cum pluribus orbis partibus diu fuerit incognitus illis primus inventor fuisse putabitur, qvi ad eos primus advexerit. Mela *lib.* 3. *c.* 4. Non longè inqvit, à Macrobiis extrema Ægypti ora ad oceanum, qvibusdam ante adventum Eudoxi adeò ignotus fuit ignis, adeoqve visus mirum in modum placuit, ut amplecti etiam flammas & ardentia sinu abdere, donec noceret, maximè libuerit. Et Plinius *lib.* 6. *cap.* 30. tradit, Æthiopibus qvibusdam ante Ptolemæum Lathyrum regem Ægypti ignotum fuisse ignis usum.

XXI. CONSIDERATIO.

Pyromanteia.

Πυρογνωμία sive πυρομαντεία erat divinatio ex incensarum & jam ardentium flamma victimarum de eventibus conjecturas capiens. In hac aliqvando pix trita in ignem spargebatur. Igneorum dæmonum invocatis nominibus aliqvando tædæ pice illitæ accendebantur & certis characteribus signabantur.

Si

Si flamma tædarum in unum coibat, Prosperum si lambens & divisa comparebat infelicem, si tricuspis assurgebat gloriosum eventum, si variè dispersa, in ægro mortem, in sano morbum, si crepitans infortunium, si subitò extincta ingens periculum ominabantur. Aliqvando hostiam in ignem conjiciebant, & dumtaxat considerabatur flamma ignis victimarii, utrum in unam coiret pyramidem, qvod prosperum, an verò divideretur, qvod adversum. Qvis ignis color, splendor, ascensus strepitus, an citò victimam comprehenderet an extingveretur & similia. Uti hodie Magiæ hac specie Lituanos fuerunt. Nam ægris si umbra, corpore igni opposito, adversa cadat, certam spem recuperandæ valetudinis concipiunt, sin adversa ceciderit, conclamant, & pro deposito ægrum habent. Glycas docet Magos olim igneis spiritibus filios suos sacrificasse. Josephus tradit Achazun qvendam suorum filiorum Baali solido sacrificio concremasse. Theodoretus aliter sentiens, Arbitror inqvit, his verbis significari speciem qvandam erroris, qvi ad nostra usqve tempora duravit. Videmus enim semel in anno rogos accendi, qvibus injiciantur pueri. qvidam & viri, qvin etiam infantes ab ipsis matribus per flammam transportantur: qvæ res videtur esse, qvasi qvædam averuncatio & lustratio. Hæc ex Theodoreto Glycas.

CON-

CONCLUS. I.

EST & alia divinatio dicta καπνομαντεία fumi obſervatrix, eaqve duplex. *Nam* vel grana ſeſami vel papaveris nigri in ardentes prunas jaciebant & inde ſurgentem fumum notabant. Vel ſine hujusmodi granis ſolum obſervabant ſacrificii fumum, & inurd. fumum rogi. Uſos etiam καπνομαντεία Judæos, & conſideraſſe an fumus qvi ex victimarum ſacrificio aſcendebat, rectus aſcenderet, an in obliqvum vergeret. Theophylactus docet. *Pictorius qvoqve lib. de Magia c.* 11. qvosdam Papinii veſus huc retulit.

CONCLVS. II

FVIT & alia ſpecies nomine Libavomantia in qva ex fumo thuris adoliti divinabant, qvam tamen longe aliam Delrius putat. Eam proponit Dion Casſius agens de Nymphæo prope Apolloniam, ibi & Oraculum, inqvit, editur idqve hoc modo. Thure accepto precibusq; ejus rei ergo qvam volunt factis ipſum thus ut ſecum eas preces deferat, ad ignem proiiciunt, tum ſi ratum ſit futurum votum ab igni thus è veſtigio corripitur. etſi thus extra ignem forte ceciderit, accurrens ignis id abripit & conſumit. Sin irritum erit votum, neq; accipitur ab igni thus, & ſi ipſam flammam con-

conjiciatur , recedit ab ea atqve effugit, ita in utramqve partem ignis futura prædicit morte nuptisqve exceptis. De his enim non licet cuiqvam oraculum illud consulere.

XXII CONSIDERATIO.

*Usus ignis in sacrificiis.*o.

IN sacrificiis patrum ecclesiæ ignis victimas consumebat, ut patet Gen. 4, de oblatione Abelis *a* & Gen. 8. de holocausto Noachi & passim in sacris. hinc præcipua fuit apud omnes gentes ratio & reverentia ignis, Romani custodiebant ignem tanqvam arcanum & cœleste depositum per virgines Vestales conditum in penetralibus sacris, & velut sanctiore recessu templi Vestæ cum palladio & Diis penatibus Troja advectis, qvo nulli hominum nisi Vestalibus & Pontifici ut ἱεροφάντῃ καὶ ἱεροζοφύλακι, adire fas erat. Templum ipsum hodiè adhuc forma circulari rotundum in Valle qvæ Palatino & Capitolino interjacet visitur notum nomine S. Mariæ De gratia. Romanis in sacrificiis divinatoriis eum ignem ex olea lauru aut qvercu corticis crassioris, aut cujus caudex cavus fungosusqve esset accendere vel adolere nefas erat. Suspecta enim erant illa ligna tanqvam diri & mali ominis, ut refert Alex. ab Alex. *gen. dier. lib. 4. c,* 17. sine igne nullum sacrificium fieri licebat , qvum etiam

E Sab-

Sabbatis lucernas accendere Diis prisco more servatum sit.

a *Ignem enim sacrificio adhibitum etiam Abelis sacrificio videtur tradidisse S. August. adversus Faustum lib. 22. cap.*

XXIII. CONSIDERATIO.

Usus ignis in matrimonio.

STipulatione olim facta & sponsione seqvuta. Ignem & aqvam in limine appositam uterqve sponsus & sponsa tangere jubebatur, qva etiam nova nupta aspergitur, qvasi eo fœdere inexplicabili vinculo, & mutuo nexu forent copulati. Hæc enim elementa sunt primæ naturæ, qvibus vita victusqve communis constat, & qvibus qvi extorres ab hominum cœtu futuri sunt, interdici legibus solent.

XXIV. CONSIDERATIO.

Usus ignis in Baptismo.

BAptismus triplex est, ut dicit Aug. *de un. baptis. & de consec. dist. 4. c.* baptismi vicem scilicet: Flaminis de hoc Johann. 3. Venit Jesus in terram Judæam & baptizabat, & iste propriè dicitur baptismus. Alii autem metaphoricè qvia uterqve instar baptismi habet purificare, & per conseqvens vicem ejus implere. Secundus est baptismus sangvinis, Joh 12. Baptismo

ptiſmo hoc habeo baptizari, & iſte eſt baptismus potiſſimus. *de conſecr. diſt.* 4. *Catechumenum.* Tertius eſt baptiſmus Flaminis,ſive SS. de qvo *Act.* 2. Vos autem baptizamini Spiritu ſancto, & ille eſt propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum modo debito, ſi dabitur facultas. Unde iſtud non congruit niſi adultis habentibus uſum rationis d. c. baptiſmi vicem. de hoc Johannes Baptiſta dicit: Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne.

XXV. CONSIDERATIO.

Ignis ſimilitudo.

QVatuor ſunt Evangeliſtæ qvi figurantur per qvatuor elementa, Joannes autem figuratur per ignem, & meritò qvia dilectionis amore ardebat. Hic figuratur etiam per aqvilam qvæ ſuper omnia alia animalia viſitat ſphæram ignis, ubi exuſtis plumis ad terram veniens, iterum juveneſcit. Igni rectè comparatur, cujus verba fuerunt plena igne charitatis. Ipſe deſcribit qvomodo? ſic Deus dilexit mundum, ut unigenitum ſuum daret, & qvalis ipſe unigenitus datus eſt nobis. Id eſt, in principio erat verbum & Deus erat verbum. Ipſe narrat ſermonem in ultima cœna plenum igne amoris. Ipſe ſolus latus Chriſti lancea perforatum deſcribit, unde exiit omnis flamma amoris Epiſtolæ ejus plenæ ſunt fraterno amore. Hæc ſunt qvæ dicit Antonius Florenti-

nus *inprim. part. suæ summæ tit. 3. c. 3. §. 2.* ex qvo qvod inter qvatuor elementa, dignius & excellentius est ignis, ideò etiam cum evangelia Johannis igni comparentur, digniora cæteris censenda sunt, & de ordine illorum habetur per Hieron de Lyra & alios scribentes in poœmio seu argumento Matthæi, ex qvo primus scripsit Evangelium in Judæa, sed propter hoc Evangelia ejus non sunt digniora sed Johannis ut dictum est.

XXVI. CONSIDERATIO.

Æstas comparatur igni.

INter qvatuor partes anni æstas est calida & sicca & convenit cum elemento ignis, & cum humore seu complexione choleræ & sole ingrediente cancrum æstas incipit. *B*arth. Crass. *in catal. gloriæ mundi part.* 12. *consid.* 40.

XXVII. CONSIDERATIO.

Ignis in armis.

INter colores in compositione armorum comendabiles est & color rubeus, qvi figurat ignem, qvi est super alia elementa & nobilius elementum est, & corpus post solem secundario luminosum, & propter ejus nobilitatem nulli licet portare vestes comptas seu tinctas ejus colore ut *l. 2, 4, 5, de vestib. Olob. lib. 11.* ubi

ex-

presse dicitur, qvod color iste est nobilior aliis & hic color æqviparatur lapidi pretioso, qvi dicitur Rubeus, & significat audaciam altitudinem & virilitatem. Denotatqve charitatem & se color multum placens & commendabilis in armariis, qvoniam ut habetur *Cantic.* 4. Dilectus meus candidus & rubicundus caput ejus aurum optimum. Et hæc addo qvia ei insignibus meis porto igneas flammas, ex qvib. prosilit monoceros.

XXVIII. CONSIDERATIO.

Usus ignis in purgatione.

BAptista fulgos. *lib.* 8. Fuerat kunegunda Augusta Henrici primi conjunx falso adulterii insimulata, illa innocentiam suam purgavit, qvin & se Veneris nesciam probavit, cum qvindecim passus supercandens ferrum, nudis pedibus illæsis plantis, perambulasset, eadem Nauclero habet *gener.* 35 *in pr. Krantz. metrop. lib.* 4. & *Eborens. tit. de absol. reor.*

ApudGregor.Turon. *in glor. conf. lib. c.* 76. Simplicius perpetuam cum uxore castitatem servaverat: electus autem in Episcopũ, domi virginem adhuc uxorem fovebat uti sororem. Die igitur natalis Domini, commotis civibus, adversus virginem, per inanem suspicionem sic ad illam locuti sunt: incredibile est mulierem viro junctam pollui non posse, sed nec

vir potetit artubus mulieris junctus à coitu abstinere. His commota virgo sanctissima adit Pontificem simili castitate pollentem, arculamqve tunc ut fieri solet, pro rigore hyemis, carbonibus plenam penes se habens, accita famula, ex pansoqve pallio, prunas ardentes suscipit, & ferè horæ unius spatio tenens. Sacerdoti postea sic ait: Accipe & tu mitiorem solito ignem, neqvaqvam tuis velaminibus nociturum: suscipiente verò Pontifice nihil offensum est velamen ejus ab igne, credidit tunc incredula gens atqve supra mille sacro baptismate sunt initiati.

Consimile legitur apud Leontium Cyrorum Episcopum in vita S. Johannis eleemosynarii, non longè à calce ejus vit. Porphyria etenim prius fornicaria, cum ab Abbate conversa, & qvasi in qvodam salutis asylo cohabitaret, incidit in suspicionem temerariæ plebi, qvasi filium ab Abbate genuisset, qvem nec ipsa genuisset, sed abjectum, collegerat. Coram igitur centum & eo amplius testibus Abbas in suæ ac mulieris castitatis testimonium adferri prunas jussit: evolvit autem eas in proprium vestimentum qvod nulla prorsus parte ambustum est omnibus id admirantibus. Hæc ipsius Joannis eleemosynarii narratio fuit.

Non absimilis & Britii fuit causa, nam in pudicæ uxoris ejus testimonium suæqve pudicitiæ incredulæ plebi ardentes prunas in birrum suum

ſuum impoſuit, projectasqve poſt longum intervallum ad B. Martini ſepulchrum veſtimentum inuſtum oſtentavit, ut habet Greg. Turon. *Gall. hiſt. lib. 2. c. 1.*

Agatha Cataníenſis ut pudicitiam ſervaret, contemto Qvintiano Prætore, cum ſuper acutas teſtas & prunas volutaretur, minùs pœnam doluit, qvam nuditatis ignominiam, ut t[illegible]it Eborenſ. *ex Marul. lib. 4.*

Iphygenia Æthiopum regis filia virgo contemtis Hirtaci nuptiis concremari juſſa eſt, tantú abfuit, ut ab igne læderetur, qvin potius flamma ipſa virginitatis defenſatrix, ab ipſa ſe avertens in regiam proſiliit, qvam funditus conſumſit. *Eborenſ. ex Marull. lib.* 4.

XXIX. CONSIDERATIO.

Uſus ejus in pœnis.

IN deteſtando illo crimine Sodomitarum ad pœnam uſus eſt dominus igne, ſic enim teſtatur Moſes, *Gen.* 19. *c.* 9. Pluit dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphure & igni à domino in cœlis & ſubvertit civitates illas, & totam illam planiciem, omnes qvoqve habitatores illarum urbium ſimulqve germen terræ *Levit.* 10. A Deo egreſſus eſt ignis, qvi devoravit filios Aaron, qvoniam contra Dei præcepta alienum ignem obtulerant. Et qvamvis Romanorum veteribus mitiſſimos placuiſſe

pœnas legamus,lapſis poſta temporibus à principibus, qvos nulla ſatietas pœnarum cœpit, multa iræ atqve invidiæ fœda exempla inveniuntur edita, ultimisqve cruciatibus & crudelibus ſupplicijs ſæpe in noxios vindicatum. Nam & tunica fomentis igneis illita ad palum deligati adurebantur, vel grandi ſtipite à ſummo ad imum adigebantur,ut igne accenſo crudeli cruciatu excarnificati interirent, præterqve eqvuleos fidiculos ergaſtula & cruces, circumdatosqve corporibus ignes lacerationes membrorum, & incurſus beſtiarum aliosqve eneĉtos veneno& fame & diĉtu fœdiora exempla, qvæ exeqvi longum eſſet conſpeĉtius ſummum fuiſſe ſupplicium de regibus autores memorant. Alex. Alexand. *gen. dier, lib. 3, c, 5.*

XXX. CONSIDERATIO.

Ignis purgatorius

EST immaniſſima exceditqve omnem hominum captum illius ignis vis. De eo Cyrillus apud Auguſt. *epiſt. 206.* narrat unum ex iis tribus qvi in *S.* Hieronymi obitu revixerant de purgatorio igne ſic fuiſſe locutum: Si omnes qvæ in mundo cogitari poſſent pœnæ, tormenta affliĉtiones, minori qvæ illic habentur, pœnæ & tormento comparentur, ſolatia erunt. Mallet enim qvilibet viventium omnia,

qvæ

qvæ hic videntur tormenta ſubire, & uſqve adfinem mundi omnibus ſimul ſine remedio cruciari pœnis, qvas omnes homines ab Adam huc uſqve ſigillatim pertulerunt, qvam uno die in inferno vel in purgatorio minoriq; illic habetur, pœna torqveri. Cui videtur conformis ſententia D. Gregorii *ſupra.7.pſ. ad 3. in princ.* Scio inqvit futurum eſſe, ut poſt hujus vitæ exitum alii flammas experiantur purgatorii, alii ſetentiam ſubeant damnationis, ſed qvia illum tranſitorium ignem omni tribulatione æſtimo præſenti intolerabiliorem, non ſolum in furore æternæ damnationis opto non argui, ſed etiam in ira tranſeuntis timeo correptionis purgari. Differt ignis purgatorii ab igne inferni octupliciter. I. Qvia ignis purgatorii ab igne inferni, ut qvidam dicunt, eſt ignis elementum in materia propria, prout eſt in ſphæra ſua, qvia æternaliter debet affligere. Ignis purgatorii eſt mixtus & elementatus in materia aliena, ſc. terreſtri, videlicet carbone ideò ſecundum qvid poteſt dici magis afflictivus, qvia temporaliter debet purgare. Nam licet ignis in propria ſphæra ſimpliciter in ſe ſit calidior, qvam qvodcunqve corpus mixtum, ſive plumbum ſive ferrum ignitum, ſive carbonem per accidens tamen plumbum vel ferrum ignitum poteſt eſſe calidius propter ea qvæ ponit Avic. Secundo differunt qvantum ad operationem, nam licet ignis purgatorii ſit æternus, qvo ad ſubſtantiam ſicut ignis inferni,

tamen eſt temporalis qvo ad effectum purgationis, ut dicit Greg. vel ut dicit *D* Bonau. *in 4.* licet remaneat qvantum ad actum aliqvem. ſcilicet qvantum ad id qvod habet ardoris, ſc. ad reproborum concremationem. Non tamen remanet qvantum ad purgationem. Ignis inferni indurat & devorat, ignis purgatorii excoqvit & maturat. Ignis inferni res fortes & pulcras debiles facit & turpiſſimas. Ignis purgatorii fortiores reddit & pulcriores ſicut aurum & ſimillima in ignibus non deteriorantur, ſed purificantur & pulcriores redduntur. Ignis purgat. eſt purgativus. Ignis inferni eſt exterminativus. Tertio differunt in finis intentione, qvia ignis purgatorii ad iſtum finem principaliter eſt ordinatus, ſcilicet ad purgandum reliqvias peccatorum, & ideò pœna purgatorii vocatur pœna ignis. Ignis autem inferni eſt ordinatus ſolum ad affligendum, & ideò illis nominibus nominatur, qvæ apud nos affligere ſolent vehementer, ſicut ſunt ignis ſulphur ſpiritus procellarum, &c. ut dicit Thom. in 4. Qvartò differunt in multiplicatione, eo qvod in purgatorio non ſunt, niſi duæ pœnæ, ſcilicet pœna damni & pœna ſenſûs. In inferno autem non ſolum ſunt duæ pœnæ prædictæ, ſed multæ aliæ. Cujus ratio eſt, qvia cùm pœna inferni ſit ordinata & inventa ſolum ad affligendum ut patet, ideò in inferno non eſt ſolum pœna & ſenſus damni, ut in purgatorio, ſed multæ aliæ ut ex pœnarum

mul-

multitudine damnati multipliciter affliguntur. Qvinto ignis inferni eſt obſcurus & tenebroſus ſub qvadam umbroſitate, ut ſic damnati videre poſſint afflictiva ſua unde doleant. Pſal. Peccator videbit & iraſcetur. Sextò ignis inferni affligit & cruciat ratione malorum habituum & vitiorum & falſarum opinionum in mundo contractarum. Ignis autem purgatorii purgat ab omnibus prædictis. Septimò ignis inferni appropinqvante die judicii non augebitur. In ardore autem ignis purgatorii ſic reſpectu eorum, qvi ibi diu purgari deberent, ut ſic calor ille intenſior recuperet in intenſione, qvantum deperditurus ſit in temporis abbreviatione, ut dicit Thom. *in 4. diſt. 77. art. 3.* Unde in qvolibet *2. q. 7. in ſolut. 4. arg.* dicit. Et illi qvi in fine mundi vivi reperientur parum habebunt de cremabilibus purgati præcedentibus tribulationibus. Poterit etiam fieri, ut acerbitas pœnæ momenti temporis recompenſet diuturnitatem pœnæ in aliis. Octavo, qvia pœna ignis inferni excedit omnem pœnam hujus mundi in extenſione, non autem in intenſione & acerbitate. Pœna autem ignis purgatorii excedit omnem pœnam hujus mundi in intenſione & acerbitate, non autem in extenſione, ut dicit *Dominic.* Venetus epiſcopus Brixienſis, alias Torcellanus, licet in hoc ſolennis hic Doctor non teneatur, nec ullo pacto aut prædicari, aut ſolennizari debet. Tutius enim & verius di-

dicitur pœnam inferni esse acerbiorem omni pœna hujus mundi & extensive, & omnibus modis absolutè & formaliter seu simpliciter, pace tanti viri stante præcipuè qvod pœna purgatorii excedat omnem pœnam præsentem, tamen idem ignis secundum Richard. inferni & purgatorii Bartol. Sibylla in *specul. peregr. qvæst. c. 3. Decad.* 1. *q.* 5. *q.* 3.

XXXI. CONSIDERATIO.

Usus ignis in fœderibus.

APud Romanos, Senatusconf. erat in hæc verba: ut privas verbenas privosqve lapides prætorem poscerent: qvi verbenam ex arce & sagmina ac lapidem Silicem ex templo Jovis Feretrii daret Fecialesqve ea secum ferrent: ac porca adhibita, vetere præfatione priscis carminibus ad præstituram diem, in foro, seu ubi convenerat, enunciatis, Fecialis sceptrum manu tenens: pro Jovis simulacro, tanqvam is fœderi adhiberetur, filo lanæ capite velatus & verbena coronatus Jovem, Martem, cæterosqve obtestari Deos, & dira obsecratione precari debebat, ut si qvis eorum fœdera violâsset, aut illa sciens falleret, ita illum Jupiter feriret. Qvemadmodum ipse porcam percuteret. Qvibus obtestationibus qvam sanctissimè prolatis, secundum rem divinam precationemqve lapide silice porcam percutiebat. Mox

Mox Aqva & Igne in ſacris adhibitis illam immolabant: qva cæſa jura pacis & fœdera conventa icta eſſe rite putavere &c.

Fertur Ariſtides ut ictum fœdus cum omni Græcia fricaret, poſt diras execrationes, accenſos ferreos orbes in mare dejeciſſe, adjurans ut ita extingverentur cum omni ſtirpe & gente qvi contra fœdus irent, velut ignitum illud ferrum aqva.

XXXII. CONSIDERATIO.

Uſus ignis in funeribus.

OLim apud Romanos funera ad faces & cereos elata, ab hoc more efferendi mortuos noctu permanſit poſtea conſvetudo, ut in omnibus funeribus etiam qvæ interdiu ducebantur, faces candelæ, funalia & cerei adhiberentur. Serv. *lib.* 6. *Æneid.* Per noctem autem urebantur, unde permanſit ut mortuos faces antecedant. Hinc Virgilius in funere Pallantis,

Lucet via longo
Ordine flammarum & late diſcriminat agros.

Perſius Satyr. 3. hinc tuba candelæ, &c. Tacitus *lib* 3. *Annal.* Dies qvo reliqviæ tumulo Auguſti inferebantur, modo per ſilentium vaſtus modo ploratibus inqvies. Plena urbis itinera, collucentes per campum Martis faces. Et acerba

ba potiſſimum funera ad Cereos efferri ſolita, facibus tamen admixtis. Non autem in ipſis ſolum exſeqviis, ſed & in parentalibus annuis facularum uſus erat. Sveton. Auguſt. c. 110. Hujus Masgalæ ante annum defuncti tumulum cum ex triclinio animadvertiſſet, magna turba multisqve luminibus freqventari, &c. Atqve hunc ritum cum facibus efferendi funera retinuit etiam priſca Eccleſia reſpiciens tamen ad alium finem, qvem D. Chryſoſtomus annotavit *hom. 4. ad. Herb.* his verbis: εἰπὲ γάρ μοι τί βούλονται αἱ λαμπάδες αἱ σφοδραὶ, οὐχ ὡς ἀθλητὰς αὐτοὺς (τοὺς τεθνηκότας ἢ νεκροὺς) προπέμπομεν, vult dicere Theolog. Lampades in exſeqviis Chriſtianorum ideo accendi & funeri præportari, ut ſignificent defunctos deduci tanqvam athletas qvosdam qvi devicto ſeculo ad ſupre-premum illum βραβευτὴν ad deſignatorem pergant, coronas ac præmia accepturi ſtrenuè pugnatarum, pugnarum. Joh. Kirchmann. *de funer. Roman. lib. 2. c. 3.*

XXXIII. CONSIDERATIO.

Uſus ignis benedicti.

Solet & ignis in ceremoniis eccleſiæ adhiberi, baptizato namqve datur cereus ardens Georg. Naz. *Orat. in ſacrum baptiſ. ad fin.* Statio hæc qva confeſtim à baptiſmo ante magnum

gnum ſacrarium ſtabis futuræ vitæ gloriam præſignat. Pſalmorum cantilatio,cum qva accipieris illius hymnodiæ præludium eſt. Lampades,qvas accendes,illius luminum geſtationis figuram gerunt, cum qva ſplendidæ & animæ virgines ſplendidis fidei lampadibus Chriſto ſponſo obviam prodibimus. S. *August. ad Pſ. 65.* enarrans verba illa : Tranſivimus per aqvam & ignem,ait,propterea & in Sacramentis & in catechizando, & in exorcizando adhibetur prius ignis. Nam unde plerumqve immundi ſpiritus clamant, ardeo,ſi ille ignis non eſt? verum ibi de igne exorciſmi. Greg. Turon. *lib. 5. hiſt. c. 11. ibi.* Gaviſus aut Pontifex nuncio nocte ſancta Pentecoſtes,vigiliis celebratis,ad baptiſterium foras muraneum egreſſus eſt, ibiqve omnis multitudo coram eo proſtrata baptiſmum flagitavit: at illæ præ gaudio lacrymans, cunctos aqva abluens Chriſmate linens , in ſinu matris eccleſiæ congregavit, flagrabant cerei, lampades refulgebant. Honorius *in gem. animæ lib. 3. de ſabb. ſanctæ Paſchæ.* Mox de fonte elevatis lumen dare ſolent. Niceph. Calliſt. *lib. 3. c. ult.* recitans ceremonias in baptiſmo obſervari ſolitas ait. Deinde pro cereo dextram ligno tenui armantes, qvæ ejus ritus & ſacri ſunt. Solebant antiqvitus Neophyti cereos accenſos geſtare manibus Alcuin. *de divin. offic. c. de ſabbato S. Paſch.* Amalar. Fortun. *lib. 1. de eccl. offic. c. 26.* Durantus *de ritib. eccl. lib. 1. c. 19. n. 41. & 42.*

Con-

CONCL. I.

Consecratio ignis.

IN consecratione ignis fit comemoratio, qvoniam Deus creavit ignem justitiæ suæ instrumentum in pœnam, vindictam & purgationem peccatorum, & judicaturus mundum ipsius conflagrationem præcedere jubebit, qvi apparuit Moysi in rubo ignis ardentis, qvæ præcessit filios Israel in columna ignis, qvi constituit ignem inextingvibilem, conservand. in tabernaculo fœderis, & eundem extinctum miraculose re accendit, & sub aqvis latentem inextinctum servârit, & similia. Tum se etenim offerunt divina nomina, ut qvia Deus ignis consumens est, ignis conflans est, & qvæ his propria sunt, ut splendor Dei, lux Dei, lumen Dei, & hujusmodi. Corn Agripp. *lib. 3, de occult. Phil. c. 62, de consecrat.*

CONCL II.

Exorcismus ignis traditur à Fr. Valnrio Polydo. in pract. Exorcis.

EXorcizo te creatura ignis per dominum Deum tuum creatorem, qvi ignis consumens est: per Deum qvi Mosi servo, in monte Sinai, speciem gloriæ suæ qvasi ignis ardentis in conspectu filiorum Israel ostendit: per Deum

um qvi in die adventûs Gog ſuper terram Iſraël pluviam igneam & ſulphuream demittendam ſpopondit, ut ſanctificeris, & efficiaris divinæ ultionis inſtrumentum, ad omnem ſuperbiam inviſibilium hoſtium coërcendum, & in te horribilis ſuffumigationis ſpeciebus ſuſceptis, tenebroſum ita fumum emittas, ut inde virtute divina à corpore obſeſſo conpulſi non eſſe in creaturis poteſtatem agnoſcant, qvę omnipotentiæ creatoris æqvari posſit. Et per eum qvi venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. AMEN.

XXXIV. CONSIDERATIO.

Ignis miracula.

CONCLUS. I.

SUmmum miraculum eſt, qvod omnipotens Deus apparuit Moſi in flamma ignis de medio rubi. & reſpexit Moſes: & ecce rubus ardebat igne nec tamen conſumebatur, *Exod. c. 3.*

CONCLUS. II.

MIraculum & hoc fuit, qvod Dominus præceſſit pop. Iſraël interdiu columna nubis, noctu verò columna ignis, *Exod.* 13. ut luceret eis qvo incederent die noctuqve.

CONCLUSIO III.

FUit & miraculum: In angelis qvi in curru igneo, eqvis igneis apparuerunt Eliæ, qvem transtulerunt in cœlum tanqvam unum de Seraphin, ut patet 4.*Reg*.2.*c*.

CONCL. IV.

Fuêre & miraculo serpentes urentes qvi populum mordebant, & mortuus est ex Israël pop. multus. qvos misit dominus in pop. cum recrudesceret murmur ejus in deserto fecitqvè Moses serpentem æneum & posuit eum super palum erectum, fiebatqve si qvem momordisset serpens, intuens serpentemæneum sanabatur, *Num*.21.

CONCLUS. V.

Fuit & miraculum, qvod fornacis amplissimus ignis erumpens combussit Chaldæos extra fornacem, at intra fornacem à pueris abstinuit, ne capillus capitis eorum adureretur, qvin nec ignis odor agnosceretur. D*aniel c*. 3. Id admiratur Ioannes Chrysost. *super Gen, hom*. 12. & neqvis contra hæc aliqvid obiiceret, sic adiicit: Etne qvis putaret visibilem hunc ignem operatione carere, id circo misericors Deus, illius efficaciam & operationem

non

non impedivit, ſed vim illam urendi illæſam ſervavit, & ſervos ſuos illo ſuperiores fecit; at in illos, qvi foris erant, ignis ſuam operationem exercuit: nam exusſit & abſumſit. Qvando enim Dominus vult elementa omnia in contrariam mutat operationem. Hæc ibi. qvi & in *pſal*-96. exaggerat idem miraculum his verbis: Edax ignis in tribus pueris ſanctum & divinum ternarium reverebatur & tremebat, ſuæ enim naturæ oblitus tam nihil nocuit, ut etiam capillum læſioni valdè obnoxium non offenderit. Hæc ille. Miratur eadem S. Gregor. *Dialog lib. 3. c. 18.* qvod uno eodemqve tempore eadem flamma in obſeqvio juſtorum fuerit ad ſolatium, dum eorum vincula urendo diſſolverit, & ſimul urendi vim non habuerit, ne foret illis in tormentum, ita ille.

CONCLUSIO VI.

Fuit & hoc miraculum præcipuum ipſo naſcentis eccleſiæ exordio in die ſancto Pentecoſtes cum omnes Apoſtolicum beatisſima virgine Maria in cœnaculo unanimiter perſeverarent in oratione, apparuerunt diſpertitæ lingvæ tanqvam ignis ſupra ſingulos eorum, uti habetur Act. Apoſt. c. 2. fueruntqve ignes illi in futuræ virtutis teſtimonium ad accedenda illuminandaqve credentium corda.

CONCLUS. VII.

Commemorand. qvoqve est a Speculis Soli objectis ignem tantum manare ut classes maritimæ fuerint exustæ, Archimede auctore ut testatur Zonaras in obsidione Syracusana sub Marcello. sed & Proclus sub Anastasio I. Imp. eisdem speculis classem adussisse commemoratur uti testatur idem Zonaras in Anastasio, & ante tradiderat Ioan. Cuspinianus historios ac tandem etiam retulit Petrus Hispal. in eod. Anast.

CONCLUS. VIII.

Est & hoc etiam admirand. Ligna nullo unqvam fervore Solis sonte accenduntur: at tamenSeneca nat. lib. 1. c. 1. scribit etiam ap. nos in Europa sarmenta sulphure aspersa ignem ex interuallo trahere radiis solis.

CONCLUSIO IX.

Ignis in calce est sola candens, in reliqvis vero reb. omnib nigrescit injecta aqva fervescit cũ aqva ignes reliq̃ vos extinguat, oleo ignis ille extinguitur, cum oleum sit præcipuum ignis fomentum ac pabulum. Hæc commemorat & admiratur S. August. De civit. Dei lib. 21. c. 4.

Con-

CONCLUS. X.

ET ipse ignis in se ipso miraculum est, ipse lucidissimus cum sit, omnia à se tacta adustave nigerrima reddit. Prunæ fulgidissimæ cum sint, in teterrimum carbonem convertuntur, rursum teterimus carbo solo tactu minimæ scintillæ in lucidissimam prunam redit, aut aëreo aliqvo afflatu. Ex eod. August. de civ Dei lib. 21. c. 4. Accedunt his & alia ex eodem S. Aug. Ignis exustos lapides candidos reddit, cum ignis inimicissima materia sit, hosti tamen candorem præbet. At ligna sibi amicissima, nempe qvod illis afflatur, reddit nigerrima, ut neqve splendeant, neqve candeant.

CONCL. XI.

MIraculum & Leonem ignis maximè terret, Plinio teste *lib. 8. c. 16.*

CONCL. XII.

SEd & Elephantes qvandoqvidem Hannibalis elephanti per ignem in Capuana obsidione exacti sunt, uti tradit. *Liv. Decad. 3. lib. 6.*

CONCL. XIII.

NUmerus innumerabilis est martyrum illorum, qvi ignem superarunt illæsi præcipuum est. De B. Mamante sub Aureliano Imp.

Is in Paphlagonia apud Gangras, ne ſacrificiis pollueretur in fornacem ſe mitti paſſus eſt, ac tres qvidem dies eum tenuit fornax : deinde cum flamma ceſſâſſet, diſſolutiqve eſſent in cinerem carbones, miſſi lictores ad verrendam fornacem, illæſum compererunt athletam domini, nullo ignis veſtigio in eo relicto, ut tradit Metaphr. 2. Sept.

CONCL. XIV.

UT narrat B. Greg. *dial. lib.* 3. *c.* 18. Gothi Totilæ milites Benedictum Campanum Monachum, qvem in cellâ manentem, cum exurere miraculo non potuiſſent. In ardentem clibanum injecerunt atqve concluſerunt, ſed poſtero die, reſerato ore clibani integer inuſtis etiam veſtibus compertus eſt.

CONCLUS. XV.

MIraculum de Hebræi puero recenſet Evagrius *hiſt. lib.* 4. *c.* 35. Verſabatur is cum reliqvis coætaneis Chriſtianis pueris, & cum ii pro conſvetudine particulas Corporis Chriſti de manu ſacerdotum ſumerent, ipſe qvoqve inter eos ſumſit : id cum noviſſet pater, odio Chriſtianæ fidei accenſus, puerum in vitream fornacem injecit (vitriarii enim arcem exercebat) triduo ibi puer illæſus extitit, at tandem ſtudioſè qvæſitus ab ignara matre ibi fortè repertus eſt adhuc in clibano inter ignes verſans

ulla

ulla absqve læsione qvi cum rogaretur, qvo pacto illæsus manserit, Mulier inqvit, veste amicta purpurea crebro ad me venit, carbonum flammarumqve vim reprimens, ac etiam cibo refocillans. Qvâ re ad Justinianum delatâ, pater in perfidia sua manens, supplicium subiit, puer ac mater sunt lavacro regenerationis initiati. ead. Niceph. *lib.* 17. *c.* 25.

CONCLUS. XVI.

POlycarpum insignissimum martyrem, ne attingeret flamma, Ignis ipse in fornicis seu Cameræ formam sese elongans composuit, ac qvasi velum navigii inflatum corpus martyris omne procul circumdedit. Euseb. hist. Eccl. *ib.* 4. *c.* 14. Ex epist. Smyrnens. Eccles. Niceph. id habet *lib.* 3. *c.* 35.

CONCL. XVII.

MIraculum: Qvod ignis de cœlô non nisi lacte extinqvitur.

CONCL. XVIII.

MIraculum, qvod Virginis primum menstruatæ camisia in ignem projecta eum sistat, cujus rationem dedi in Sibyllâ Trygandreianâ C. qvæ qvia est impressa huc non transporto.

CONCL XIX.

Refertur alias de incendio Crossensi in

Marca Brandeburgica facta anno 1478. Qvod cum tota urbs combusta esset id sacrarium usqve extingvi neqviit, donec sangvis vitulinus in ignem suffusus: Admonitioni Deum tandem misereri suorum & aliqvid remittere, propter filium suum dilectum, qvi verum fuit sacrificium, cujus sangvis sicut justi Abelis de terra clamavit, & patris iram, ne totus mundus periret, mitigavit Andreas Angelus Strutiomont. in Chron. Brand. lib. 3. pag. mihi 248. Duco ego signaturam sangvinis rationem esse extinctionis.

CONCLUS. XX.

Addo hic qvod pollex Pyrrhi regis Epirotarum in pede dextro cujus tactus lienosis nudebatur cremari cum reliqvo corpore non potuerit. *Plin. nat. hist. lib. 7. c. 2. n. 30. lib 28. c. 4. n. 10.*

CONCLUS. XXI.

Addo qvod cor Germanici Cæsaris comburi neqviit: Unde Vitellius probare conatus fuit, qvod Piso Germanicum Cæs. veneno sustulerit, qvia corda eorum qvi veno sublati sunt sine morbo Cardiaco interiore non posse cremari, tenet Plinius *lib. 11. c. 37.* Contra autem Piso salvatus & defensus fuit, qvod Germanicus morbo Cardiaco decesserit.

Con

CONCL. XXII.

ADdo qvod cor Joannæ virginis Franciceæ vulgo dictæ puellæ de Orleans non fuerit exustum, sed integrum atqve illibatum inventum, teste Valeriano Theol. Paris.

Postremo enituit pietas in morte puellæ
In cinerem cunctos dum flamma resolverat artus
Illæsas cor habet venas (mirabile dictu) &c.

CONCL. XXIII.

ADdo qvod cor Hulderici Zwinglii flammis tradito cadavere exuri non potuerit, testis Jacob August Thuan. lib. 1. Histor. sui tempor. &c. De qvibus ego tradidi in opere De Mirac. mortuorum, ideo eò selego.

XXXV. CONSIDERATIO.

Ignis infernalis.

QVæritur utrum ignis inferni sit corporeus vel similitudinarius aut imaginarius? Ad qvod sic resp. qvod Avic. 9. suæ met. negans exustionem corporum post judicium, cum non admittat carnis resurectionem, & videns quod naturaliter Spiritus ab igne corporali pati non posfit, dixit ex hoc qvod ignis inferni non esset corporalis, sed imaginarius ita qvod animæ malorũ post mortem dicuntur,

ideo igne cremari, qvia imaginantur cruciari apprehendo ignem, sub ratione disconvenientis. Et ponit exemplum ibi de somniante, qvi ex apprehensione phantastica alicujus disconvenientis in somno, qvandoqve plus cruciatur, qvam fecisset ex præsentia ejusdem in vigilia, sed hoc est falsum & erroneum, qvia imaginatio est potentia qvædam utens organo corporali, unde non potest esse, qvod tales imaginationes fiant in anima à corpore separata. sicut in anima somniantis, ideo dicebat, qvod si ille ignis non sit imaginarius, est certè similitudinarius ut sic intelligantur animæ ardere in igne, & affligi fœtoribus spiritualiter, sicut jocundari dicuntur, scilicet qvo rideant, vel reficiantur, qvæ non intelliguntur in aliqva re corporali sed spirituali tantum. Et si aliqvis dicat, qvare ergo delectationes & pœnæ spirituales beatorum malorum demonstrantur, & pinguntur corporaliter. Resp. Avicen. qvia scilicet tristitia & delectatio spiritualis est multum ignota, & homines melius ad amorem vel timorem moventur corporalibus qvam spiritualibus. Sed qvoniam etiam hoc falsum est. Id circo dicend. qvod ignis inferni est verus ignis corporeus, & ejusdem speciei, cum isto qvem nos videmus. Qvod probatur ratione & auctoritate (primô, ratione sic. Corpori non potest convenienter aptari, in pœnam nisi corporeum, sed pœna damnatorum, non so-

ſolum erit pœna damni & privationis divinæ viſionis, qvæ reſpondet averſioni, qvæ fuit in peccato mortali, ſed erit etiam pœna ſenſûs corporaliter qvæ reſpondet cvnverſioni ad bonum commutabile. Corporalis autem pœna per corpora irrogatur. Secundo etiam probatur auctoritate *Phil.* 1. Top. dicentis, qvod omnis aqva omni aqvæ eſt eadem ſpecie, ergo eadem ratione omnis ignis omni igni eſt idem ſpecie. Tertio probatur auctoritate, Gregor. 4. dial. & Auguſtini dicentium, qvod animæ damnatorum igne corporeo affligun- tur. Hæc Thom. in 4. ſent. diſt. 44. alii tamen dicunt, ut recitat Scot. in 4. qvod ſpiritibus & animabus, datur qvidam habitus ſupernaturalis propter demeritum peccati & per illum ſubjiciuntur corporali agenti ut posſint ab eo pati. Hoc tamen Scotus improbat & bene.

SE-

SECUNDA HUJUS OPERIS PARS EST DE AERE.

Divisa in tredecim Considerationes.

I. CONSIDERATIO.

Aër secundum elementum.

PRoximus & loco & levitate igni est aër, moderatè calidus & humidus, tenuis & mobilis, qvi sponte sursum ut ignis fertur, sed minꝰ violenter, & ab illo differt qvod humidus sit & calidus minꝰ, ab aqva vero, qvod minꝰ ea sit humidus, & medius inter utrumqve elementum naturâ temperatam obtineat. Implet autem omnem locum, alio corpore vacuum, qvi præter modum refrigerat agitatus, æstuat immotus nocet inclusus. Totum aëris elementum dividitur in partes tres, qvarum suprema propter ignis cui contigua est, vicinitatem & motum ætheriæ regionis calida est & sicca cœliqve motum violentum sentit. Infima verò qvæ terras & aqvas ambit, modo calida est, ob solis ad nos accessum modò frigida, ob illius à nobis discessum, modo humida propter exhalationes. Media qvoniam utrinqve frigus in eam violenter compellitur, ex antiperistasi

seu

ſeu circumſiſtente cohibitione & compreſſione caloris circumfuſi ſemper frigida eſt, qvippe cum frigus à calore ſupernè deprimatur, & infernè repercuſſu radiorum ſolis à terra propellatur.

II. CONSIDERATIO.

Figura aëris.

PYthagoras & illum ſeqvuti Timæus Locrus atqve Plato, elementis & cœlis ſuas figuras adſignârunt. Aeri autem conſtituerunt octocedrontem, ex octo baſib. triangulis & ſexangulis ſolidis & viginti qvatuor planis. Harũ autem figurarum & corporum vires & eorum ad invicẽ reſpectus & proprietates qvi nòverit mirabilia multa operari poterit in magia naturali & perſpectiva, maximè qvidem in ſpeculis, ut refert Cornel. Agrippa. in lib. 2. occult. philoſoph. c. 23. De Geometricis figur.

III. CONSIDERATIO.

Natura aeris.

ELementum Aeris duas ſpecificas qvalitates habet, qvarum priorem ſibi propriam retinet, in altera tanqvam media convenit cum ſeqv. Eſt enim aër humidus & calidus, atqve hoc modo ſecundum qvalitates contrarias elementa ſibi contraria ſunt Terra & Aer. Adhuc ſecundum alium modum contraria ſunt elementa. Nam qvædam levia ſunt ut

Aer

Aer &Ignis. Et recipit aër duas qvalitates ignis videlicet raritatem & motum, atqve unam terræ videlicet obtusitatem. Aer duplo acutior est aqva triplo rarior, qvadruplo mobilior, qvemadmodum igitur se habet ignis ad aerem, sic aer ad aqvam, &c.

IV. CONSIDERATIO.

Qvalitas aëris.

AEr spiritus est vitalis cuncta permeans entia omnibus vitam & consistentiam præbens, ligans movens & implens omnia. Hinc Hebræorum Doctores illum non inter elementa numerant, sed velut medium & glutinum diversa in simul conjungens, & tanqvam Spiritum mandati instrumenti reboantem habent. Ipse enim proxime cœlestium omnium influxus in se concipit, aliisqve cum elementis tum mixtis singulis communicat, non minus etiam rerum omnium cum naturalium tum artificialium & sermonum qvorumcunqve species, velut deificum qvoddam speculum in se suscipit & retinet, illasqve secum ferens corpora hominum & animalium, per poros ingrediens tam in somno qvam in vigilia illis imprimens variorum mirabilium somniorum præsagiorum & auspiciorum materiam præbet. Hinc etiam fieri dicunt cur transiens locum in qvo homo occisus fuerit, vel cadaver recens absconditum timo-

timore atqve pavore concitatur: qvia aer ibidem plenus horribilibus homicidii speciebus spiritum hominis, dum una inspiratur, similibus speciebus afficit atqve perturbat. Unde contingit seqvi pavorem: Omne namqve subito imprimens, naturam stupefacit. Hinc multi Philosophi arbitrati sunt, aerem causam esse somniorum, pluriumqve aliarum animæ impressionum, per delationem idolorum seu similitudinum seu specierum, qvæ deciduntur à rebus & sermonibus in ipso aere multiplicatis, qvousqve perveniant ad sensus & tandem ad Phantasiam & animam recipientis, videlicet qvæ soluta curis nec impedita species hujusmodi obviam expectans ab illis informatur, ipsæ namqve rerum species licet ex propria natura deferantur ad sensus hominum & animalium, possunt tamen à cœlo, dum sunt in aere, acqvirere aliqvam impressionem, ex qva una cum aptitudine, à dispositione recipientis magis ferantur ad sensum unius qvam alterius. Atqve hinc possibile est naturaliter & procul omni superstitione nullo alio Spiritu mediante, hominem homini ad qvamcunqve longissimam etiam vel incognitam distantiam & mansionem brevissimo tempore posse nunciare mentis suæ conceptum, & si tempus in qvo istud fit, non possit præcisè mensurari, tamen intra viginti qvatuor horas id fieri omnino necesse est. Qvomodo etiam idola qvædam non modo spiritualia, sed etiam naturalia à rebus effluant

fluant, ut puta, per influxum qvendam corporum à corporibus atqve in ipso aere convalescant, tum per lumen, tum per motum, tum ad visum, tum ad alios etiam sensus sese nobis offerant & ostendant, & in nos mirabilia qvandoqve agant, probat, docetqve Plotinus, & videmus qvod Austro flante aer densatur in tenues nubes, in qvibus veluti in speculo reflectuntur imagines valde distantes, castrorum montium eqvorum & hominum, & aliarum rerum qvæ decedentibus nubibus mox evanescunt.

V. CONSIDERATIO.

Omnium rerum principium.

INter illos, qvi rerum naturæ originem & causas diligenti æstimatione scrutati sunt, qvod orbis hujus qvem colimus, immensi & inexplicabilis totiusqve naturæ rerum, cujus æternum vertiginem & irreqvietum ambitum videmus, principium & origo sit, qvod eqvidem immensæ qvæstionis fuit. Anaximenes omnia ex aere constare voluit. Hinc apparet stultitia paganorum, qvi ut refert Salomon. Sapient c. 13. putaverunt esse rectores terrarum deos. Solem aut Lunam aut Stellas sive Aërem aut Aqvam vel Ignem.

VI. CONSIDERATIO.

Aerei spiritus.

AErei spiritus indè dicuntur qvod in aere nob: propinqvo commorantur, superbi, audaces, invidi

invidi ambitiosi. Hi subtile aeris & leve elementum sæpius permittente Deo perturbant, tonitrua & tempestates concitant, aliaqve qvibus homini cæterisqve rebus ad commodum ejus creatis,nocere se posse putant, immittunt, prodigiis etiam variisqve portentis hominum genus perterrefacere voluptati habent secund. Magorum doctrinam Aerei spiritus rationem seqvuti, rationali favent potentiæ, eumqve à sensuali vegetabiliqve qvodammodo se gregantes serviunt vitæ activæ, qvemadmodum ignei contemplativæ.

Marcus Venetus scribit tantam esse Tartarorum cum his dæmonibus aereis familiaritatem, ut qvoties & qvandocunqve velint aerem crassissimâ caligine obducant, idqve freqventer eos facere ut viatores deprædentur, qvod qvidem ipse ægrè è manibus eorum delapsus, expertus sit. In Concilio Basiliensi doctis qvibusdam viris per sylvam iter una facientibus horum spirituum unus in forma lusciniæ liqvidissimos cantus fundebat, ita ut omnes obstupefacti consisterent, tandem unus eorum aviculam in JEsu Christi homine adjuravit,ut qvis esset aperiret, illa R. animam se esse damnati alicujus atqve ibi loci ad diem extremi illius judicii sibi manend. qvi dicto horribili edito stridore avolavit: qvi verò eam audierant in morbum inde ac paulò post in mortem inciderunt.

Fincelius libr. I. de mirac. refert Brunſvici anno M. D. L. V. multos ejuſmodi ſpiritus eqvitum cataphractorum habitu pluribus omnibus ejus loci incolis palam eſſe conſpectos.

Sub Trajano Imp. unus horum ſpirituum Cornicis formam gerens. Græca hæc verba prolocutus eſt ἔσαι πάντακαλῶς, ideſt: Omnia benè ſe habebunt.

Erſordienſis qvidam civis corvum in deliciis habuiſſe dicitur qvem ſpiritum ejuſmodi fuiſſe, qvodſeqvitur evincit. Qvum n. qvidá die tacitum & triſtem videret, qvid tu, inqvit jocabundus, mi corve ita mæſtus es; qvidve cogitas; heic ex improviſo corvus è Pſalm. LXXVI. verſiculum illum ingeminat: Cogitavi dies antiqvos, & annos æternos in mente habui. Statimqve ex oculis heri diſparuit.

In bello qvod Romani cum Qvadis geſſerunt, Arnulphus magus horum ſpirituum ope eum qvum maxime ferveret prælium tantum imbrem excitavit, ut attoniti Qvadi terga verterint & victoriam Romanis reliqverint. Nicolaus Venetus in hiſtoria ſua Indica teſtatur nautam magum vel hariolum ceſſante vento ſpirituum horum aliqvem Mutianum ab eo appellatum invocâſſe, confeſtim eum in Arabem qvendam ingreſſum Arabem furibund. vociferari ac diſcurrere cœpiſſe, mox è menſâ ad malum navis eum in finem poſitos carbones arreptos de-

glu-

glutiiſſe, inde galli gallinacei, jam jam occiſi ſanguine epote nautam qvid peteret rogaſſe, nautam Zephyros optaſſe, eos intra triduum ſpiraturos Arabem reſpondiſſe. Finita in cantatione & Arabe ad ſe reverſo, nec qvidqvam amplius eorum qvæ ante triduum acciderant recordante, promiſſum ventum flare cepiſſe magnacum omnium admiratione, Pythagoras aqvilam vel potius talem ſpiritum carmine cicuravit cum qva freqvens colloqvebatur. Ericus rex Gothorum qvocunqve verteret pileum, inde proſperum ventum eliciebat. Ab his iiſdem ſpiritibus Cianutæ Indiæ pop. pluviam ſuperſtitioſo & ridiculo ritu ſic petunt, ut in epiſtolis Pervanis à Caſpare Spicillo collectis narratur. Qvando pluvia indigent, magus qviſpiam magna vocis contentione & acceleratione clamat ut omnes ad montem concedant, qvo poſtqvam pervenerunt, ut qvilibet conſueto more à cibis abſtineat. Eſt autem eorum hoc jejunium, ut à ſale, pipere, cibis coctis contineant. Qvod ubi factum eſt voce intenſa & clamore ſummo ſtellas invocant, aqvamqve precantur, & ad terras caſtellumqve paganum ſeſe vertunt, potionem qvandam manibus tenent, qvam ubi nobilis alicujus adoleſcentulæ manu porrectam ebiberint, ita à ſenſib. abducuntur, mentiſq; impotes fiunt ut mortui videantur: ſed ubi in ſe redierint, mel aqva & maizo miſcent qvib. permiſtis nubes aſpergunt, Die ſeqventi nobilẽ aliqvẽ aut

conſpicuum & venerand. qvempiam ſenem in lectum deponunt, ſubiecto lento igne, atqve ubi ſudare cœperit ſudorem vaſe excipit magus anſerino ſanguini admiſcet, atqve ex radice expreſſæ aqvæ rurſus in aëra jactat, nubes ut tingat, rogat per ſudorem, ſanguinem & aqvã ut deſideratam pluviam largiantur. Qvod ſi caſu eo die qvo ſuperſtitioni vacant, pluat, gratias agunt ſtellis magumqve multis muneribus ornatum efferunt. Refert Hieron. Mengus, Magum qvendam ſuis præſtigiis Ioanni Bentivolo & Roberto Sanſeverinati celeberrimis militiæ ductoribus in area arcis *B*ononienſis ingentis conflictus ſpectaculum exhibuiſſe: inqvo & tympanorum ſtrepitus & clangor tubarum & clamor virum, & hinnitus eqvorum, & armorum fragor tantus ſit exauditus, ut circumſtantibus cœlum terræ miſceri videretur. Extra locum illum vero omnia pacata fuiſſe & tranqvilla. In Libya circa Syrtes *D*iodoro Siculo teſte ſpiritus aere variis animalium figuris cernuntur. Movere ſe, alii conſiſtere, allii currere, alii aliud facere videntur. Illud vero permirum eſt, qvod homines pone nonnunqvam ſeqvuntur, atqve etiam inſiliunt, ita ut membra qvoqve eorum qva, vis glacie frigidiora ſentiantur, In regonibus Septentrionalibus ut Olaus Magnus ſcriptum reliqvit, Spiritus hi aerei ventum Circium ita exaſperant & concitant ut omnia ſecum abripiat vel conqvaſſet & evertat. In Islandia

In-

Inſula portus eſt Veſtrabord nomine non longè ab eo littore homines qvidam à Spiritibus huiusmodi ventorum turbine involuti, ac per aerem inſtar palearum abrepti ſunt iidem ſpiritûs in partibus maritimis Norvegiæ Occidentalioribus noxio ſuo contractu efficiunt, ut nullæ ibi arbores nec gramina germinent, & vireſcant. Similiter in littore Bothniæ occidentali eorundem violentiâ domorum tecta abripiuntur ac longè latéqve hinc inde disjiciuntur. Idem in agris Beneventano & Narbonenſi accidere Cato & Procopius ſcribunt, qvibus in locis magnus eſt magorum & veneficarum numerus, nam & homines armatos & currus qvantumvis onuſtos & obvia qvæqve in ſublime rapi & non ſecus qvam plumam circumgyrari, ac tandem in terram confracta & comminuta dejici. Solent non nunqvam hi iidem ſpiritus turbinibus ſeſe & procellis immiſcere & pulverem inſtar columnæ evehere Vincentius ait à ſpiritibus his non domos tantum & villas, ſed integras etiam urbes è ſedibus ſuis ac fundamentis convulſas & ruinis ac fragmentis Campos longè lateqve conſperſos eſſe. Narrat Diodorus Siculus in Norvegiâ qvâdam regione (Vichiam appellat) ſpiritus hos ex ingentib' piſcium vento ante locupletum ædes ex poſitorum acervis magnum ſæpe numerum tollere & ad pauperum caſus aſportare atqve abiicere, neqve hos repetendi cuiqvam jus eſſe. Zoroaſter qvem non nulli primum

Magices autorum faciunt, in turbine ab his ſpiritibus aſportatus, neqve unqvam poſtea viſus eſt.

VII. CONSIDERATIO.

Aerei homines.

SEcundum Theophr. Paracelſum ſunt & homines aerei qvi vocantur Sylphi, & habitant in aere ſuo Chao ſicut nos in terra noſtro Chao, ita ut nullum elementum vacuum ſit ab hominibus & creaturis Dei, & ſunt homines, non ex Adamo facti, & ſunt homines & ſpiritûs & tamen eorum nihil disjuncti à ſpiritibus qvod ſanguinem carnem & oſſa habeant. Indè procreant liberos & ſoboles loqvuntur, comedunt & ambulant, qvod ſpiritûs non faciunt. Similes hominibus in procreando figura & comeſtione, ſic ſunt homines qvi ſpirituum qvalitatem in ſe habent, & tamen ſpiritibus diſſimiles, ſpiritûs enim non moriuntur creatura autem moritur. Diſſimiles hominibus qvia non habent animam ſed moriuntur cum jumentis, & tamé excellunt jumentis qva loqvuntur rident, ut homines ideoqve ſimiliores hominibus qvam jumentis, & neqve homines neq; jumenta. Sunt n. omni modo ut homines excepta anima, & meliores hominib⁹ qvia ſunt ſicut ſpiritus, qvos nemo retinere poteſt, ſed perambulant portas & parietes, ſine foramine. Ideo Chriſtus natus eſt, & mortuus pro iis, qvi animam habent, hoc eſt, qvi ſunt

ex.

ex Adamo, & non pro illis, qvi non sunt ex Adamo. Sunt enim homines, & tamen animâ carent, & hi sylvestres sunt nobis proximiores vivunt enim nobiscum in uno Chao & aëre. Plura de iis Paracelf. in lib. Philosoph. De Nymphis sylvis &c. per 4. tract.

VIII. CONSIDERATIO.

Animalia Aeris.

SUnt aves & volucres cœli, qvæ in aere vivunt.

CONCL. I.

Inter omnes autem aves excellentior judicatur Aqvila.

SEcundum Plin. *in lib. hist. nat.* 10. *c.* 3. ubi inqvit, ex iis supple avibus qvas novimus Aqvilæ maximus honos maxima & vis. Aqvila cæteris volatilibus præstare videtur cum Avium regina & nobilissima dicatur, ut habetur in libro, qvi Hortus Solis intitulatur *in tract. de avib. c.* 1. ubi multa singularia & notanda de Aqvila videri possunt. Sangvinem non aqvam bibit, ideò suos pullos lambere sangvinē docet. Hæc sola avis fulmine non tangitur ideo jovi dicatur. Sed Leonh. Vairus *lib.* 2. *de fascino. c.* 14. id non admittit, cum non voluntario, sed violento motu moveatur fulmen, & absqve cognitione. Sed veterum opinio constans permanet; hinc enim Jovis ales dicitur, & Jupiter

in ea volitare pingitur, qvo certè ipsum à fulmine tactu immunem & exemtam demonstrare voluêre. In Hieroglyphicis Ori Apollinis Nilias sic dicitur, qvod Ægyptii sapientes cum volebant Deum significare, aut altitudinem aut depresſionem, aut excellentiam, aut sangvinem aut Victoriam, Aqvilam depingebant. Item Ægyptii Martem & Venerem scribentes, duas aqvilas pingunt. Marem qvem Marti comparant, & fœminam qvam Veneri. Et hoc ideò, qvia reliqva animalia non semper mari ad omnem mixtionem parere volunt, *Aqvila* verò semper, ter decies enim, in die compressa postqvam surrexerit, si mas vocet, denuò accurrit, qvapropter cum maximè sit in Venerem prona, Ægyptii eam Venerem vocant, & propter hoc etiam aqvilam Soli dicârunt, qvia solem imitata ter denum numerum coëundo supplet. Aqvila etiam apud Theologos varia denotare reperitur, qvandoqve enim terrenam potestatem significat, Ezech. 18. Aqvila grandis magnarum alarum, id est, Rex Babylonis, qvia habuit aqvilam in vexillo suo, ex qvo conjecturare fortè licet qvod dum viguit Monarchia apud Assyrios & alios reges Asiæ Aqvilam pro insigni habuerunt, & sic dum rediit Monarchia ad I. Cæsarem etiam pro armis aqvilam sibi assumsit. Significat etiam Aqvila subtilem sanctorum intelligentiam, Ezech. 1. Ubi Joannes Evangelista per Aqvilam desuper eminentem significatur à similitudine

vola-

volatus illius avis. Tum ſignificat juſtorum animas ſecund. Ambroſ. ſuper Lucam, qvia ſicut Aqvila poſt longam vitam ſcilicet centum annorum ſenio gravata (ut dicit Auguſt ſup. Pſal. 102.) ſe renovat roſtrum vetus nimis excreſcens ad petram collidendo & plumas veteres deponendo. Sic ſancti renovant vitam per pœnitentiam & tandem in reſurrectione renovabuntur. Tum etiam denotat Aqvila Chriſtum propter nobilitatis regiæ dignitatem qvam Aqvila habet ſuper aves, unde Proverb. 3. dicitur. Qvod viam aqvilæ in cœlo difficile eſt ſcire, & ibi Lyra & expoſitores dicunt: qvod hæc intelligatur de via qvam tenuit Chriſtus in aſcenſione. Item Deuteron. 32. dicitur de eo. Sicut Aqvila provocans ad voland. pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas, & aſſumſit eum atqve portavit in humeris ſuis. Dominus ſolus Dux ejus fuit, & non erat cum eo DEUS alienus, & ut refert Plinius *d. lib. 10. c. 5.* eſt præcelebris apud Seſton. urbem Aqvilæ gloria, educatam à virgine retuliſſe gratiam, aves primo, mox deinde venatus aſportantem & adminiſtrantem, defuncta poſtremum in regum accenſum ſeſe impoſuiſſe & ſimul conflagrâſſe.

CONCLUS. II.

Anſer.

ROmanis olim ſacer fuit qvia ejus clangore arx Capitolii eſſet ſervata, unde Romani e-

jus argenteum simulacrum in eadem statuere arce, de qva Lucret.
Romulidarum arcis servator candidus anser. Et Propert. *Anseris & tutum voce fuisse Jovem.* Ob hoc inqvit Plinius institutum est, ut cibaria anserum censores in primis locent.

CONCLUSIO III.

Anas.

Refert Baptista Fulgos. de mirac. c. de avibus qvod in Insulis verna, qvam Irlandiam nominat, & Orchade qvibusdam in locis, qvæ mari aluntur, arbores salicib⁹ persimiles nascuntur, in qvibus ortæ parvæ qvædā pilæ, paulatim crescundo aves anatum formam habentes effigiantur rostro ab arboribus pendentes, & cum ad maturitatis tempus pervenêre, sui ipsarum nixu arboribus excussæ, in mare dilabuntur atqve evolant, Britanni vulgo Bernetras appellant, & qvia ex avium genere non oriuntur, his qvadragesimali jejunio sale conditis homines vescuntur, & ab his qvi viderunt certiores facti sumus, licet Albertus M. aliter scripserit.

CONCLUS. IV.

Bubo.

Avis ominosa, qvæ qvia noctu ex improviso aggreditur pullos, qvemadmodum mors de improviso supervenit, ideo mortem prænunciare dicitur: non nunqvam tamen qvia noctis

te-

tenebris non cæcatur hominis diligentiam significat, qvod residens in Hieronis hastâ comprobavit: Bubonem vero Dido dum misceretur Aeneæ in faustum sensit: inde cecinit Poeta:

Solaqve culminibus ferali carmine Bubo,
Sæpe queri & longas in fletum ducere voces:
& alibi,
Ignavus Bubo dirum mortalibus omen.

Idem in Capitolio cecinit, qvum res Romana ap. Namantiam inferior fuit, atqve cum Fregellæ ob factam in Romanos coniurationem sunt dirutæ. Inqvit Amadel. Bubones & Nycticoraces cum ad insolitas regiones mansionesqve divertunt, judicio esse earundem regionum, & ædium homines morituros propterea, qvod aves illæ delectantur cadaveribus eaqve præsentiunt, morituri autem homines jam potestate cadavera sunt.

CONCL. V.

Ciconia.

Tradit *Plin. nat. hist. lib.* 10. *cap.* 28. In Fidenate agro juxta urbem ciconias nec pullos, nec nidum facere. Transpadana Italiæ juxta Alpes Larium lecum appellat amœnum arbusto agro, ad qvē ciconiæ non permeant, sicuti nec octavum citra lapidem ab eo, immensa alioqvi finitimo in subrium tractu examina graculorum monedularumqve *Plin. ibid.* Sunt ut refert *plin. lib.*

lib. 10. *c.* 23. qvi ciconiis non esse linguas confiirmant, rostris tamen suis strepitum commemorant, hinc *Ovid*. 4. *Metam.*

--- *Sumtis quin candida pennis.*
Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.

Id qvod Gloterare dicitur: utitur hoc verb. Heldelin. in Encomio Ciconiæ. Refert idem Plin. qvod usqve in præsentem diem nec scriptum sit, nec satis intellectum qvo sese ibides deficiente æstate recipiant, è longinqvo venire non dubium, eodem qvo grues modo, ut hyemis sic hæ ætatis advenæ, circiter festum D. Petri plerumqve ad nos redeunt, & circiter D. Iacobi à nobis secedunt, unde & Propheta Hier 8. c. Eqvidem ciconia in aere novit sua stata tempora, turtur grus & hirundo observant tempus profectiones suæ &c. Refert Guilielmus Parisiensis tempore suo Ciconiam qvandam adulterio convictam per olfactum masculi, congregata à masculo multitudine ciconiarum ac detegente ipso crimen fœmellæ, ipsam à tota illa multitudine tanqvam omnium judicio ream judicatam, deplumatam ac laceratam fuisse. Pythones comen vocant in Asia patentibus campis ubi congregatæ inter se commurmurant, eam qvæ novissima advenit, lacerant atqve ita abeunt, notatum post Idus Augustus non temere visus ibi. Honos iis serpentium exitio tantus, ut in Thessalia capitale fuerit occidisse, eademqve legibus

pœ-

pœna qvæ in homicidam hinc Juven. Satyr 14.

--- Serpente ciconia pullos
Nutit & inventa per devia rura lacerta.

In Hieroglyhicis significat gratitudinem, nam ciconias parentes senio confectas nutrire, in volando fessos iuvare, & portare testantur scriptores naturalis hist. Arist & Plin. Hinc πελαργικὸς νόμος Lex qva liberi parentes alere jubentur, & ἀντιπελαργεῖν gratiam in tempore refero beneficium rependo, Suid. Metaphora à ciconiis, qvæ parentes senio iam confectos nutrire & fessos ad terga recipere dicuntur ab Aristotel. Ἀντιπελάργησις, & ἀντιπελάργωσις beneficii accepti remunerator. Suid. Est & exemplum gratitudinis erga hospitem suum, vectigal enim qvotannis solvit, aut enim pennam evellit aut ovum sive pullum ab alto dejicit. Contra venena omnia ciconiarum ventriculus valet. Plin. hist. nat lib 29. c. 5. Ventriculus ciconiæ ex vino decoctus furunculis mederi dicitur. Plin. lib. 30. c. 12. In Lacu Regionis Arelatensis mirand. hieme multas ciconias veluti mortuas, rete in siccum traxisse piscatores, qvæ tanqvam simul junctæ mutuo rostra ano infixa habebant & calefactæ vivæ fuerunt inventæ, qvod à Gervasio Tribellesio Arelatensis regni Marescallo ad Ottonem 4. scriptum est.

In Lotharingia qvoqve juxta Metensem urbem

bem in qvodam alio lacu, anno 1467. permultæ aliæ ciconiæ similiter inventæ fuerunt, qvæ qvæ in thermis calefactæ revixerunt.

CONCL. VI.

Cygnus

Est avis deliciosa Venerea, atq; etiam Phœbo sacra felicissimi dicitur esse præsagii præsertim in auspiciis nautarum, qvia aqva non mergitur unde canit Ovid.

Cycnus in auspiciis semper lætissimus ales.

CONCLUSIO VII.

Columba.

Caret felle, â Noachô dimissa ut siccitatē terræ exploraret, rediens folium olivæ attulit signum pacis, unde & in Veteri Testamento tanqvam grata avis Deo offerebatur in baptismo Christi S. in specie columbæ apparuit.

CONCL. VIII.

Cornix.

Est avis oscina, qvæ ore cantuqve auspicium facit, unde Vergil.

Sæpe sinistra cavâ prædixit ab ilice cornix,

Refert Plinius lib. 10. c. 43. qvod suo tempore erat eqves Romanus, qvi habebat cornicem è Betica plura verba contexta exprimentem, & alia atqve alia crebro addiscentem. Etiam refert qvod qvidam usi sunt, opera corriculorum in venando, refert & Cælius libr. antiqvi lect

lect 9.c.36. cornicem albam visam idem *libr.* 13. c.58. refert, cornicis ad mirabile obseqvium in Ægypto, qvæ tabellarii cursorisqve vice fungeretur. Inde moriens honestata est sepluchrô.

CONCL. IX.

Corvus.

Commentantur Iudæi Adamum, utpote inter bruta animalia simul positum à Deo, ut cum illis esset conversaretur, & cum illis coiret, Psalm Ut jumentum factus sum, Et Iob.49. Ecce Behemoth qvem feci tecum Neqve vero id solum cum bestiis qvadrupedibus facere illum dicunt, sed & cum volatilibus, ut corvis Cornicibus cæterisqve hujusmodi volucribus. Hic putant corvum qvi à Mose emissus fuerat ex arca ad explorand. si diluvium cessasset, non rediisse ad eum, qvod suspectum haberet illum de adulterio fœminæ suæ, hoc est, velut suum Zelatypum, Unde Nicol. Lyrant Corvus habebat Noe suspectum de fœmella suâ, & exinde factum est, ut sit corvo semper suspecta fœmina sua, neqve in ea confidit, qvod & in hodiernũ usq; diẽ explorare datur, ut qvando excubat fovet, qvæ ova sua corvi uxor, assidet ipsi corvus assiduè donec peperit illa parvulos Tum qvia plumæ parvulorum ad huc albicantes sunt ac videntur, arbitratur non suas esse qvas genuisset pullos, doletqve ob id vehementer, sed ut certior fiat circumvolat illos, observans ne cibus illis à matre afferatur, in novum

num usqve diem ea sorte inventione, ut hoc scilicet, pacto fame moriantur. Post nonum autem diem, qvando jam fame urgentur, nec adest, qvi cibum illis ministret extollunt, vocem ad deum vociferantes miserabilem, à qvo exaudiuntur juxta illud Psalm. Qvi dat iumentis escam illorum & pullis corvorum invocantibus eum, at interea pulli eorum nigrescere incipiunt, qvod animadvertens pater corvus iam recordatur esse pullos suos, unde & avolat ac discedens ab eis, matri curam committit omnem. Hujus qvoqve rei meminit Iob. 38. Quis præparat inqviens corvo escam suam, & qvando pulli ejus clamant vagientes, eo qvo non habeant cibos, ex qvo certè videre licet, corvum esse avem haud ignobilem, qvod ejus usus in sacris literis sæpe legatur in mysterium Dei, Reg. 3. cap. 7. Corvi qvoqve deferebant ei panem, & carnes, manè similiter carnes & panes vesperi. Victor à Carben. qvondam Judæus in lib. de morib. Judæor. Legimus ap. Plinium *lib. 10. c. 43.* fuisse corvum, qvi pop. Rom. transeuntem nominatim salutaret forum versus, maximè Tiberium Germanicum deinde, & Drusum Cæsares. Nec occisor illius evasit pœnas. Nam primo pulsus ex ea regione, mox & interemtus fuit, funusqve in numeris aliti celebratum exeqviis. Hæc & alia multa habet Plin. qvi ingenium extollit in descriptione intelligentiæ hujusmodi corvi.

Con-

CONCLUS. X.

Coturnix

Blond. in lib. 8. de Roma Triumph. dixit, qvod coturnix fuit, alias damnata mensis: eo qvod gratissimus ejus cibus est venenum, scilicet Veratri semen, & qvod patitur morbum comitialem, qvem solæ animalium sentiunt præter hominem, *secund.* Plin. *lib* 10. *nat. hist. c.* 23. vel secundum Isaac. qvia ex comestione carnis earum timetur spasmus, hoc est, subita contractio membrorum aut nervorum cum dolore, qvam passionẽ cordis dicunt, & tetanus morbus (hoc est cum musculi, qvi secundum spinam, dorsi sunt ita rigent, ut qvis inflectere se non possit) & ita etiam voluit Avicen. in. 2. canon c. de eis. subiungens rationem, scilicet, qvia in substantia carnium earum est virtus faciendi accidentia narrata, & sic non proveniunt hujusmodi illa accidentia ex eo solum, qvia coturnices comedunt helleborum.

CONCL XI.

Falco.

Adverte qvod inter aves etiam ejusdem generis est dabilis gentilitas aut ignobilitas, puta in Falconib. est dabilis gentilis & peregrinus, ut inqvit Banol. in tract. de Falcone, & refert Iacobinus de S. Georgio in sua investit. verbo. Et cum venationibus, Bart. *in l.* 1. *col.* 7. C. *de dignit. lib.* 12.

CONCLUS XII.

Gallus.

Auroræ filiꝰ unde diem cantu ſuo prænunciat Mirand. Gallorum oculis ſemina qvædam ac ſpiritus ineſſe ferunt qvibus Leonibus dolor ac mœror incredibilis incutitur, qvam ſententiam hiſce verſibus explicavit Lucretius.

Nimirum qvia ſunt Gallorum in corpore qvadam
Semina: qva cum ſint oculis immiſſa Leonum,
Pupillas interfodiunt acremq; dolorem,
Prabent ut neqveant contra durare feroces.

Hac ratione, qvia res qvæ ſuperiorem alicujus ſtellæ obtinent gradum, ligant vel attrahunt, vel impediunt res, qvæ tenent inferiorē, prout inter ſe conveniunt vel diſconveniunt. Hinc timetur Gallus à Leone, qvoniam pręſentia ſolaris virtutis convenit Gallo magis qvam Leoni.

Porro ſupra pinnaculum Turris Gallus effingi ſolet, ad Prælatorum & Curionum alliciendam atqve excitandam vigilantiam, Inde Alciatus in Emblemate.

Inſtantis qvod ſigna canens det Gallus Eoi.
Et revocet famulas ad nova penſa manus,
Turribus in ſacris effingitur aerea mentem,
Ad ſuperos pelvis qvod revocet vigilem

CONCL. XIII.

Hirundo.

Non niſi qvinqve pullos parit, qvos magna paſcit æqvitate incipiens ab eo qvi maximus

mus eſt natu, & ita in cæteris ortus, rationem habens, autumni tempore ad calida loca, utpote cavernas montium recedit, veris tempore ad noſtras regiones redire ſolet.

CONCL. XIV.

Luſcinia.

Reperiuntur philomelæ Græco atqve Latino ſermone dociles, longiore etiam contextu verborum & ordine, & docentur domi ſecreto, ut ubi nulla alia vox miſceatur asſidente, qvi crebro dicat ea, qvæ condita velit addiſci & maximè hæc fieri tempore nocturno à mulieribus cum habeant vocem, magis gracilem qvam viri teſtatur Plinius. Heſiodus refert ſolam philomelam ex omnibus avibus ſomni expertem eſſe, ſedulòqve in vigiliis verſari, unde proverbium Neqve qvandam luſciniæ dormiunt, dicitur in hominem, qvi eſt parcisſimi ſomni.

CONCLUS. XV

Pavo.

Pulcherrima avis qva pulchriorē fingere natura haud potuit. Cuſtodes optimi ædium, & ubi fures aut ignem viderint, non deſinunt clamoribus Dominum admonere tum domeſticos. Diu ob lucrum ſpectaculo in Græcia fuit ex Oriente Alexandri juſſu translatus in Europam. qvi illi ob decorum parci imperavit. Sentit ipſe pulchritudinem ſuam, exclamatqve dum pedes intuetur deformitatem eorum aſpernatus, caudamqve in rotam erigit

exponitqve soli ut pulcrior videatur, gaudetqve hominum admiratione, qvi illam intuentur, ob id usqve ad lassitudinem eam continet.

CONCLUSIO XVI.

Pellicanus.

Diversa diversi autores de Pellicano scribunt S. Hieronymus in suis epist. scribit: Pellicanum invenientem pullos suos noxiò, morsu serpentis necatos. pectoris sui apertione sanguinem elicere, eoqve pullos refocillare. Isidorus & Albertus aliter referunt.

CONCL. XVII.

Phœnix.

Nascitur in Arabia, aqvilæ magnitudine auri fulgore circa colla cætera purpureus, cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem, caputqve plumeo apice honestante. Plin. *lib. 10. nat. hist. c. 2.* Ferunt ut ait unicum in toto orbe, & raro videtur, verum nemo extitit, qvi viderit vescentem, annis verò sexcentis & sexaginta vivere dicitur. Et de Phœnice Barbat. scripsit in c. qvoniam Abbas n. 9. *E*xtr. de offic. de leg. ubi refert, qvod Ambros. in lib. Hexameron. 5 dixit, qvod Phœnix avis, in locis Arabiæ degere perhibetur & ultra 500. annos dicitur vivere, qvæ cum finem vitæ suæ adesse perpenderit thecam seu repositorium sibi facit, de thure & myrrha, & cæteris odorib. in quod impleto suæ vitæ tempore

pore intrat & moritur: de cujus carnis humore vermis exurgit. paulatimqve adolefcit, & proceffum ftatuti temporis induit alas, atqve in fuperioris avis fpeciem & formam reparatur, & ex hoc invehitur, contra non credentes Refurrectionem. Fertur de beata Cæcilia, qvod ad exemplum Phœnicis convertit beatum Maximianum. & eo poftmodum decollato pro fide, in ejus tumulo fecit fculpi phœnicem Ifidorus vero lib.12.Etymologiarium ait, de phœnice, qvod eft avis Arabiæ, & dicitur phœnix, qvia phœniceum habet colorem feu rubeum, vel qvia in toto orbe fingula & unica eft: de more refert, ut proximè dictum eft. de morte vero ait, qvod collectis aromatũ virgulis, rogum fibi inftruit, & converfa ad Solis radios alarum plaufu voluntarium fibi facit incendium: ficqve de cineribus fuis iterum refurgit. Et legitur in Chron. Imp. in 2. eft, qvod fub Claudio tempore B. Petri apparuit in Ægypto, & qvod eft grandis, ut aqvila, circa collum fulgore aureo, poftea parte purpurea præter caudam, cujus color rubeus, rofeus & cœruleus, ut fup. in prin. Et hæc etiam eft mens omnium aliorum authorum. Aliqvi tamen qvicqvid de phœnice dicitur, fabulofum effe dicunt, fundantes fe fuper dictis Plinii in *2. c. fupr. alleg. in fin.*

CONCLUS. XVIII.

Pfittacus.

Humanam vocem fuper omnia reddit, &

qvidem sermocinans & usqve adeo articulata verba exprimit, ita ut si eum non videris hominem locutum putes, & hoc qvia grandi lingua & cæteris avibus latiore. Ex natura salutat, dicens Ave vel Chære. Cætera nomina institutione discit,& accipit, verba pronunciat. Unde est illud Martial.

Psittacus à vobis aliorum nomina disco,
*Hoc didici per me dicere,*Cæsar *Ave.*

Et hæc cum loqvi discit, ferreo verberatur radio, aliter enim non sentit ictus. Vnde refert *Cæl, liq. antiq. lect. 3. c.32. in fin.* unum qvod dicit esse præclarum rarissimum, & insigne miraculum visum suis temporibus, scilicet qvod Psittacus fuit Ascanii Cardinalis Romæ aureis centum conparatus nummis, qvi articulatissimè continuatis perpetuo verbis Christianæ veritatis symbolum integrè pronunciabat, perinde ac vir peritus enunciaret, extat. 7. Sylv. in laudem Psittaci ait:

Psittace dux volucrum, domini facunda voluptas,
Humanæ solers imitator psittace lingua.

CONCL. XIX.

Pica.

Est avis satis nota expressior est loqvacitas qvam Psittaco, sed minor nobilitas, qvia non ex longinqvo venit. Satis tamen illi decoris est, in specie sermonis humani, adamat verba, qvæ loqvitur: nec discit tantum, sed diligit, victa effi-

difficultate, verbi emoritur: & nisi subinde eadem audiat, memoria fallitur, & mirum in modum exhilaratur, si interim audierit id verbum & facilius addiscit, qvæ glande vescitur, & inter eas qvibus qvini sunt digiti in pedibus. Nullæ tamen duobus primis vitæ annis, & latior iis est lingua, qvæ sermonem imitatur humanum, unde picæ dicuntur, qvasi poëticæ, qvod verba in discrimine vocis exprimant, ut homo, & si linguas in sermone neqveant explicare, sonum tamen humanæ vocis imitantur, deqva congruè Martialis:

Pica loqvax certa dominum te voce saluto,
Si me non videas esse negabis avem

Et idem lib.7. *Pica salutatrix, si tibi Lause placet.*

CONSIDERATIO.XX.

Regulus.

Parva admodum avis, Rex & præses avium dicitur: nam cum semel aves omnes inter se convenissent, sicut fabula refert, ut illa pro rege haberetur, qvæ sublimi volatu omnes alias vinceret. Cumq; parva sub Aqvilæ asella latitante, Aqvila omnes aves cæteras transcenderet, exiliens parva insedit Aqvilæ capiti, & inde se esse victricem asseruit, unde & rex avium effectus est, sive regulus, qvia omnes aves superavit cum superaverit Aqvilam qvæ alias omnes superaverat volatu. Verum si creditur, *Plin, libr.*10. *c.*74. dissident inter se & bella movent,

vent, Aqvila, & Regulus, qvoniam rex appellatur avium.

CONCLUS. XXI.

Turtur.

Præ reliqvis avibus casta prædicatur. unde & in sacrificiis veteris Instrumenti offerebatur, amissa etenim socia sola manet, nullo viridi fonte residet, nec ex fonte claro nisi prius turbato pede bibere dicitur, Hinc Virgil:

Nec gemere aeria Turtur cessabit ab Ulmo.

IX. CONSIDERATIO.

Miracula Aëris.

Meteora aëris sunt, Ventus, qvi est halitus, calidus, & siccus calore solis in altum sublatus, frigidis vaporibus è medio regione sensim ad terram semper descendentib9 recurrens cum nec ascendere, nec ob novos halitus identidē sursum nitentes descendere possit, in transversum per infimā aeris regionem retorqvetur, hic pro exhalationis copia majore vel minore vehemētior flatus est aut lenior aura. Ab aere distat Ventus, qvod aer tenuissimus spirit' est calidus & humidus, ac leni afflatu recreans, ventus verò crassior est ac concitatior.

CONCLUS. I.

Ventorum qvatuor sunt principales, à qvatuor cœli cardinibus flantes, videlicet Notus ab Austro. Boreas ab Aqvilone Zephyrus ab occidente, & ab oriente, Apeleotes sive

ve Eurus. Qvos Pontanus his duobus versiculis complexus.

A summo Boreas Notus imo spirat Olympo.
Occasu incedit Zephyrus, venit Eurus ab ortu.

Venti pro regionis unde spirant, varietate diversas habent vires. Notus ventus meridionalis est nebulosus, & humectatus & morbosus, qvem Hieronymus vocat pincernam pluviarum. Ovid. sic scribit.

----- Madidis Notus evolat alis,
Terribilem picea tectus caligine vultum.
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis,
Fronte sedent nebulæ, rorant pennæq; sinusq;.

CONCLUS. II.

Boreas autem Noto contrarius Septentrionalis ventus est violentus & sonorus, qvi nubes discutiens aerem serenum reddit, aqvam gelu constringit, huncOvid. de se sic inducit loqventem.

Apta mihi vis est qva tristia nubila pello.
Et freta concutio, nodosaq; robora verto,
Induro nubes, & terras grandine pulso.
Idem ego qvum fratres cœlo sum nactus aperto
(Nam mihi campus is est) tanto molimine luctor
Ut medius nostris concussibus insonet æther:
Exiliantq; cavis elisi nubibus ignes
Idem ego cum subii connexa, foramina terræ

Suppoſuiq́ ferox imis mea terga cavernis
Sollicito manes totumq́ tremoribus orbem.
Concutio -------

CONCLUS. III.

Zephyrus vero qvi & Favonius ventus levisſimus ab Occidente ſflans, frigidus eſt & humidus, reſolvens hiemes, germina floreſqve producens. Huic contrarius Eurus, qvi & Subſolanus & Apeleotes ab Oriente, ventus aqvoſus & nubificus & rapidæ voracitatis, de iſtis ita Ovid.

CONCLUS. IV.

Eurus ad auroram Nabathæaq́ regna receſſit.
Perſidaq́ & radiis juga ſubdita matutinis
Veſper & occiduo, qvæ littore ſole tepeſcunt.
Proxima ſunt Zephyro Scythiam ſeptemq́ triones.
Horrifer invaſit Boreas contraria tellus.
Nubicus aſſiduis pluvioq́ madeſcit ab Auſtro.

CONCLUS. V.

Ecnephias.

Procellæ genus eſt, ac repentinus flatus & vehemens, ſed brevis è ſiccâ & calidâ ortus exhalatione. Qvæ nube compreſſa violenter erumpens obliqvè per terras fertur & interdum ignem concipit.

CONCL. VI.

Typhon.

Qvem Plinius vibratum Ecnephiam vocat, qvi effractâ nube magno impetu erumpens, ſine

ſine fulmine turbinis modo rotatus agitur, & in terras irruens, obvia qvæqve corripit & verſat.

CONCL. VII.

Præſter.

A Senecâ dictus igneus turbo, horribilis eſt, & pertimeſcendus hic ventus, ſeu potius fulminis genus, niſi qvod igne conglobato fulmen erumpit.

CONCLUS. VIII.

Tonitru.

Sonitus eſt ex colliſa ac rupta nube per aerem editus, qvi ſenſim amplificatus audiendi ſenſum tanqvam circulis qvibusdam delatus ferit.

CONCL. IX.

Nix.

Eſt tanqvam ſpuma qvædam aqvarum cœleſtium mollius coacta, qvæ generatur cum nubes præparata pluviæ, anteqvam in aqvam reſolvatur, in media regione aëris, a circumſtante frigore deficiente calore congelatur, & frigidorum ventorum agitatione diſtracta in floccos abit ac deſcendit.

CONCL. X.

Grando.

Eſt conglatiatus imber. qvæ fit in infimo aëris frigidioris, mediæ regionis loco, cum liqvefactæ nubis guttæ jam deſcendentes aeris frigore conglobatæ congelantur: & qvo viciniore, ex aeris regione grandinum globuli præ-

cipi-

cipitant, eò ſunt majores, qvam qvæ remotiori ex loco deſcendunt.

CONCL. XI.

Ros & pruina.

Generantur in hac infima aeris regione ex vaporibus tenuibus in eam vi ſolis evectis ibiqve conſiſtentibus, qvod calore deſtituti, ad mediam penetrare non posſint.

CONCL. XII.

Nebula.

Vapor eſt ex terris & aqvis excitatus oriente potisſimum, vel occidente ſole proximum nobis aerem obſcurans, nec ita humidus, ut in aqvam posſit verti, nec ita calidus ut ſubvehi: qvi relabens interram ſerenitatem diei promittit, ſurſum evaneſcens pluviam.

GONCL. XIII.

Pluvia.

Eſt fluxio nubis humidæ calore ſolis penetrantis reſolutæ in aqvæ guttas, fit hoc modo vapores humidi & calidi, in mediam aeris regionem ſublati frigore ejus loci in nubem coguntur, ex qva tanqvam ſpongia ſolis ardore deſuper, conſtringentis liqvatæ excidunt guttæ.

X. CONSIDERATIO.

CONCL. I.

Miracula Aeris.

Miraculum ſummum, murmuranti pop. Iſrael in deſerto dominus depluebat de cœlo coturni-

:urnices & Manna. Erat autem Manna, ‘ed mane projectus fuit ros circum castra. Qvo absente , ecce in superficie desert :i minutum qvidam & orbiculare , minu- :um tanqvam pruina super terram. Et viden- :es filii Israel dixerunt qvisqve ad proximum suum Hoc est *Man*, nesciebant n. qvid esset. Et ait Moses ad eos: Hic est panis qvem dedit vobis dominus in cibum: Et erat veluti semen coriandri album. & gustus ejus, ut placentæ mellitæ. Et comederant filii Israel Man. annos 40. donec venirent ad terram habitandam. Exod. cap. 16.

CONCL. II.

Miraculum: *Carne pluit.*

Qvæ nivis instar è cœlo frustis majoribus & minoribus, demissa ab omni genere avium intervolantium, direpta priusqvam terram attingeret, reliqvum vero qvod intercidit in urbe agrisq; sparsũ, jacuit multo tempore, nec calore mutato nec odore contra morẽ veterascentiũ carniũ id vates indigenę interpretari nõ potuerunt. Libri v. Sibyllini monuerũt cavend. ab hoste & civiũ seditionib. accidit hoc anno ab V.C. 293. ante natum Christ. 458. Iul. obs. de prodig. c. 16. P. Volumnio Amintino, Servio Sulpitio Camerino Coss.

CONCL. III.

Anno ab V.C. 540. Q. Fabio Maximo Verrucoso 4. M. Claudio Marcello 3. Coss Calib. Creta pluit.

Anno

Anno ab V. C. 656. Q. Metello T. Didio Coss. Ludis in theatro creta candida pluit.

CONCLUSIO IV.

Anno ab V C.652.C.Mario.Q. Luctatio Coss. in Aventino luto pluit.

CONCL. V.

Anno ab V. C.109. Fullo Hostilio regnante, in monte Albano lapidibus pluit.

Qod cum credi vix posset, missis ad id visendum prodigium, in conspectu haud aliter, qvàm cum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere de cœlo lapides.

Anno ab V. C.538.C.Terentio Varrone,L.Æmilio Paulo II.Coss.in Aventino Romæ & Ariciæ simul lapidibus pluit.

L.Posthumio Albino 3.p. Sempronio Graccho Coss. anno V. C. 539. lapidibus circa templum Junonis Sospitæ pluit, obqvem imbrem novendiale sacrum fuit.

Anno V.C.542.Appio Claudio pulchro,Q.Fulvio Flacco III. Coss. in Albano monte, biduum continenter lapidibus pluit.

Anno V. C. 544. M. Valerio Levino II. M. Claudio Marcello IV. Coss. Ereti lapidibus pluit.

Anno V. C. 547. C. Claudio Nerone M. Livio Salinatore II. Coss. Veys de cœlo lapidavit.

An-

Anno V. C. 549. P. Cornelio Scipione. P. Licinio Craſſo Coſſ. crebrò de cœlo lapidatum eſt, plura notata, vide apud Jul. obſeqventem, in lib. de prodigiis, *c. 45. 51. 52. 54. 56. 67. 69. 77. 90. 104. 111. 134.*

CONCL. VI.

Lacte pluit.

ANno V. C. 488. M. Valerio Maximo. Q. Mamilio Vitulo Coſſ. inter multa alia prodigia lac de cœlo manare viſum eſt, & de nubibus guttatim in ſpecie pluviæ lacte demiſſo diri terram imbres irrigaverunt.

Anno V. C. 545. Q. Fabio M. Verrucoſo V. Q. Fulvio Flacco IV. Coſſ. lacte pluit.

Anno V. C. 591. T. Graccho M. Juventio Coſſ. Gabiis lacte pluit. Plura notata lege ap. Jul. obſeq. *libr. de prodig. c. 87. 90. 91. 95. 96. 99. 100. 101. 103. 110. 113.*

CONCLUS. VII.

Sangvine pluit.

ANno V. C. 538. C. Terentio Varrone L. Æmilio Paulo II. Coſſ. in Aventino Romæ multo cruore pluit.

Anno V. C. 540. Q. Fabio M. Verrucoſo IV. & M. Claudio Marcello III. Coſ. Romæ in foro boario ſangvine pluit.

Anno

Anno V.C. 571. M. Claudio. Q. Fabio Leone Coss. In area concordiæ per biduum sangvinem pluit. Plura exempla leguntur apud Jul. obseq. lib. de prodig. *c. 60. 68. 69. 71. 86. 88. 101. 103. 104.*

CONCLUS. VIII.

Terra pluit.

ANno V.C. 458. Q. Fabio Maximo Rutiliano V. P. Decio Mure IV. Coss. terra de cœlo pluit.

Anno V.C. 560. P. Cornelio Scipione Africano II. T. Sempronio Longo Coss. terra aliqvoties pluit.

Anno V.C. 562. L. Qvintio Flaminio Gn. Domitio Æno bardo. Coss. Amiterni terra pluit Plura exempla leguntur *ap. d. Jul. obseq. libr. de prodig c. 85. 58. 70. 71. 79. 86.*

CONCL. IX.

Testis pluit.

ANno V. C. 663. L. Martio Sexto Julio Coss. In Vestinis per dies septem lapidibus testisqve pluit.

CONCL. X.

Frumento pluit.

ANno Christi 1550. prope Vinariam in Thuringia frumento & tritico pluit, teste Eber. Fincel. lib. 2.

Item Anno 1552. frumento pluit in Carinthia prope oppidum Clagendorf. Fincel. lib. 3.

Anno Domini 828. In Vosconio frumento de cœlo pluit, nostro frumento admodum simili.

Anno

Anno Domini 1571. in Silesia Frumento tritico piscis &c. de cœlo pluit. Vincent. Sturm.

CONCL. XI.

Pane pluit.

SIc Anno 1531. Soræ in Apulia nigro & grosso pane pluit, qvo homines incolæ multa millia suum aluerunt, *Fincel. lib. 3.*

CONCLUS. XII.

Crucibus pluit.

ANno Domini 748. multis crucibus de cœlo pluit, qvæ vestimentis hominum inhæsere, ac si oleo impressæ fuissent. Sigebertus Andr. Angel. in Chron. March. Brandeb. p. 25. 51. 261. 262. 339.

CONCL. XIII.

Piscibus pluit.

ANno 989. in aliqvibus locis pisciculis pluit, sed esui haud idoneis. Buntingius Andr. Angel. in Chron. March. Brandeb. p. 56.

XI. CONSIDERATIO.

Aëromantia.

PRognostica præbet per impressiones aereas per ventorum flatus, per irides, per halones, per nebulas, & nubes, perqve imaginationes in nubibus & visiones in aëre. Hujus Aristophanes in nubibus mentionem facere videtur: sed ista si tonitru, fulmen & alia similia considerat, ad igneos spiritus, si oscines ad auguralem pertinet disciplinam, vel potius superstitionem, si aëreorum spectrorum insolita visa, ut eqvitum

armorum &c. ad πρωτοσκοπίαν referenda est. Fiebat autem sic, convoluta mappa imponebatur capiti, in hanc cyathus aqvâ plenus statuebatur, leviqve susurro, qvod exigebatur, recensebatur. Ad ea si verba aqva Cyathi efferbuisset, approbari confirmariqve, qvæ inqvisita erant, censebantur.

Est etiam qvædam Ornithomateia Sortiaria qvam ita describunt: In capsula abaculi forma constructa qvasdam ali aviculas, ad has venire qvi consilium qværunt, & obolum offerre, aviculam stipem accipere, inqve capsulam inferre rostro, deinde regredi & responsum in chartula referre consultori

XII CONSIDERATIO.

Aëris similitudo.

QVatuor sunt Evanglistæ, qvi figurantur per qvatuor Elementa. Lucas a. est ut aer Vnde Evangelium scripsit ea lingua, qvæ melius utitur aere informando vocem qvam alii. Dicit Isidor. in Ætymol. lib. qvod orientales frangunt aerem in gutture, & in gutture loqvuntur ut Hebræi & Iudæi. Occidentales præcipue Hispani frangunt vocem in dentibus & ideo in dentib. loqvuntur, ut Latini. Sed mediterranei frangunt vocem in palato, & in palato formant vocem, & ideo melius qvàm alii loqvuntur ut Græci, & ideo locutio eorum comptior ex cæteris secundum ipsum, & hac lingua Lucas

scr

ſcripſit ignominium paſſionis, & hæc viſio eſt nobis magis proportio nata. Nam per aerem corporaliter melius videmus. Et eſt ratio qvia nihil nobis nasci profuit, qvod dixit Matthæus, nec prædicatio profuit, qvod dixit Marcus, niſi redimi profuiſſet, qvod dixit Lucas.

CONSIDERATIO. XIII.

Ver comparatur Aeri.

VEr eſt pars calida & humida anni, & convenit cum Elemento Aeris, & cum honore ſeu complexione ſangvinis, & ſole ingrediente Arietem incipit Ver: ideo cum aër ſit nobile Elementum & excellens etiam complexio ſanguinis ſit nobilior. ideo videtur etiam qvod Ver eſt nobilior pars animi, & eſt in ſe tempus temperamento attinens, ut vult Galen. in lib. de complex. & de qvatuor temporibus anni ſcribitur in libr. de regimine ſanitatis in ult. verſic. & ibi commentum M. Arnald. de Villa nova.

TERTIA PARS HUJUS OPERIS EST DE AQVA, & *Viginti tres Considerationes continet.*

I. CONSIDERATIO.

Aqva tertium Elementum.

AQva eſt Elementum grave humidum & maximè frigidum, adeò ut frigiditas ſit eſſentialis proprietas aqvæ, qva ab Elementis reliqvis omnibus diſcernitur. Ambit terram undiqve, interluit eam & interfluit, nec tamen cooperit totam poëtâ teſte.

Tum freta diffudit, rapidisq; tumeſcere ventis
Juſſit & ambita circumdare littora terræ.

Et divinæ clementiæ ſignum eſt, qvod mare nunqvam ex oſtiis ſuis erumpit, neqve ea qvæ in terra exiſtunt, ſubmergit & ſuffocat, juxta illud poëtæ,

Sic levis unda gravem premeret ſub gurgite terram
Perpetuo, niſi cura Dei ſe extollere montes
Juſſiſſet, vallesq; premi, terramqve cavernis
Hiſcere, & ingentes humori aperire lacunas,
Et maris irati ſtipiſſet molibus iras.

II. CONSIDERATIO.

Figura aqvæ.

PYthagoras & illum seqvuti Timæus Locrus atqve Plato Elementis & cœlis figuras adsignârunt. Aqvæ deniqve adsignârunt Icocedrontem, basiam viginti, angulorum solidorum duodecim. Et sphæricæ figuræ est, & unum corpus Sphæricum cum terra constituit. Si enim navigantibus polus nunc assurgit, nunc deorsum vergit, seqvitur tumorem qvendam in se tenere, & ita rotundum esse.

III. CONSIDERATIO.

Natura aqvæ.

AQva est humida & frigida, & hoc modo secundum duas qvalitates contrarias elementa sibi contraria sunt. Ignis & aqva adhuc secundum alium modum elementa sibi opponuntur, nam qvædam gravia sunt, ut terra & aqva, Et recipit Aqva duas qvalitates, terræ obscuritatem & densitatem, & unam, ignis videlicet motum. Proinde aqva duplo acutior terrâ triplo rarior, qvadruplo mobilior. Qvemadmodum igitur, se habet ignis ad aërem, sic aer ad Aqvam, & Aqva ad terram, & rursus sicut terra ad aqvam, sic illa ad aërem atqve hic ad ignem, &c.

IV. CONSIDERATO.

Qvalitas aqvæ.

IN Aqva est seminaria omnium rerum virtus animalium primo, qvorum semen aqveum

 esse

esse manifestum est, sed & fruticum & herbarum semina, licet terrea sint tabefieri, tamen aqva necesse est, si fœcunda esse debeant, sive id fiat humore terræ imbibito, aut rore vel pluvia, vel de industria adjecta aqva. Sola qvidem terra & Aqva à Mosè describuntur, producere animam viventem: Sed aqvæ duplicem productionem tribuit, natantium videlicet in aqvis, & volantium in aere supra terram. Terrenarum etiam productionum ipsi aqvæ partim debere eadem scriptura testatur, inqviens, qvod post creationem virgulta & plantæ non germinaverant, qvia DEUS non pluerat super terram. Infinitæ ejus utiliates sunt, & usus multiplex, resqve omnes ex ejus potestate consistunt, ut qvæ generandi, alendi, augmentandi vim possidet, & Cælius lib. suar. antiq. Lect. 14. c. 38. dicit, qvod aqvæ utilitates longe videntur, ignem præstare, & sic magis laudanda est, qvoniam sunt multa animalia, qvi absqve ignis degunt usu, degere autem sine aqva nullum. Nam si fuerint sine humoris potestate exangvinata exutaqve à principiorum liqvore, interarescerent. Qva ex causâ Pindarum rectè autumant dixisse. Optima qvidem Aqva.

V. CONSIDERATIO.

Qvando aqva creata.

AQva primo die creata fuit, ut patet Gen. 1. Verum utrum illa aqva fuit initio concre-

ta

ta instar glaciei, cum aqva dicatur secundum terram primum frigidorum? Et fuisse qvidem talem doctiss. Valesius statuit, cujus sententiam videtur confirmare illud, qvod Moses scribit. Spiritum Domini aqvas fovisse, instar Gallinæ, qvæ calore fovet pullos ne rigescant.

VI. CONSIDERATIO.

Qvando separata à fundamento.

AD diem secundum dixit Deus: Fiat expansio in medio aqvarum, & dividat inter aqvas & aqvas, & fecit Deus expansionem istam & divisit inter aqvas sub expansione, & inter aqvas suprà expansionem, & fiebat ita: appellavitqve Deus expansionem Cœlum: & fuit vespera & mane dies secundus. Et dixit Deus congregentur aqvæ sub cœlis unum in locum, ut appareat continens fiebatqve sic ut appellavit Deus continentem terram. Collectionem verò aqvarum appellavit Maria &c. Aqvas supra cœlum esse Calvino est incredibile, sed Augustinus, Major est hujus Scripturæ autoritas, qvàm omnis humani ingenii capacitas. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 4. & Psal. 148. affirmat Deum ab aqvis illis transcœlestibus laudari eò, non qvod virtutes sint cœlestes & angelicæ, ut aliqvi senserunt, referente Ambrosio libr. 2. ap. c. 4. sed qvod laudis divinæ luculentiam suppeditant nobis, & angelis materiam, ad hæc Psalm. 104. ait superiorem

convexamqve cœli superficiem aqvis non aliter ac contignatione munitam esse. Nota, cum hic ad secundum diem non legatur: Videt Deus qvod esset bonum, putant Rabini, cum his fiat mentio aqvarum, ideò omissum qvum præviderit Deus genus humanum extinctum iri diluvio. Ratio probabilior est, qvod secundo die nondum perfectū fuit opus hoc de aqvis, nondum enim erant collocatæ in suo loco, id qvod porrò factum fuit die tertio tum repetitum fuit: Et vidit Deus qvod esset bonum.

VII. CONSIDERATIO.

Usus ejus in Sacrificiis.

MAxima aqvæ in religione vis est, in expiationibus & purificationibus. In omnibus sacris Sacerdos qvum diis immolat, & rem divinam facit, prius corporis ablutione purgatur, ut lautus purusq; accedat. Ægypti aqvæ aspersione corporis labem tolli, & castimoniam præstari putabant, Qvod si qvis nec aliqva pollutus fuisset, bis septem vicibus, inundationibusqve vestes abluebat aqva, his piamentis ab immunditia emaculari, arbitratus. Qvam qvidem aqvam de fonte Juturnæ, qvi circa Numicium labitur, qvæqve in omnibus sacris adhibetur inprimis inspergebant. Eam verò aqvam super terram posuisse piaculum & triste omen erat. Ideò vos latô ore & fundo augusto in qvo hauriretur, ne stare posset, in sacris adhibebant, cui cadum, alii scyphum dixêre nomen, illudqve manibus tenere oportebat.

Ex

Ex hac aqva ægros curari & bonæ valetudini restitui putabant. Apud Athenienses verò aqva erat ex Callirhoë fonte magnæ religionis in maximis sacris & sponsalitiis ceremoniis in qvibus aliam adhibere nefas habebatur. Fertur in Deli Apollinis templo præcipua aqva fuisse sacrificantium usui accommoda, qvam ad alios usus hausisse magni criminis instar erat. Græci in sacrificiis & expiationibus Eleutheri aqvam freqventes adhibent. Troereni ex Hippocrene, Persici Reges ex Choaspide, qvàm peregrè profecturi secum ferunt. Arabum Reges ex Euleo, qvi ortus à Medis, præcipuo nitore fluit. Præ cæteris verò Ægyptii tanti Nili aqvam fecêre, ut qvum hydria ad templum humeris ferebatur, omnes procumberent, & sublatis manibus diis gratias agerent. Feruntq; Babylonios Reges ex Nilo & Istro aqvas inter Gazas condere assvevisse, velut hoc argumentum suæ magnitudinis ostenderent, qvum per tot spatia terrarum, totqve invias regiones advectæ fuerint, ut refert Alex. ab Alexandr. Gen. dier. lib. 4. c. 17.

VIII. CONSIDERATIO.

Usus ejus in baptismo.

TAnta hujus elementi potestas est, ut nec spiritualis regeneratio fiat sine aqva, sicut ipse Christus ad Nicodemum testatus est: Nisi qvis renatus fuerit ex aqva & Spiritu non introibit in regnum coelorum &c. Nec mirum qvod in regeneratione reqviratur aqva. Cum etiam

ſemen omnium animalium aqveum fit, calore qvodam ſpiritus animantis confotum, & ſemina ex qvib9 generantur omnia viventia ſcilicet plantæ ultra animalia, humida ſunt, & ad aqvam pertinent, & ſicut per aqvam omnia producta ſunt, ita qvoqve per aqvam, id eſt Chriſtum, qvi vocat ſeipſum Aqvam, omnia generantur ut idem ſit generationis principium. Item & hæc aqva baptismi illa eſt, qvæ poſtqvam dominus noſter emiſit ſpiritum de fonte pretioſiſſimi pectoris ſui manavit. Cujus ubertas univerſam irrigat eccleſiam & fœcundat, & ſicut aqva ſcaturivit in ſignum baptiſmi, ita & ſangvis ad repræſentand. martyrium. Et ſic baptiſmus qvodammodo recipit virtutem ex contactu corporis Chriſti, & ex ejus paſſione, ſed ex contactu carnis qvaſi inchoativè, qvia tunc conſtituta eſt aqva in ſpecie inſtrumenti juſtificationis animarum, & ex paſſione Chriſti qvaſi completè, & ſic dominus noſter ſanctificavit nobis aqvas in baptiſmo ſuo, in aqvis Iordanis, & per contactum ſuæ mundisſimæ carnis vim regenerativam contulit aqvis ut qvi poſtea immergeretur in iis, invocato nomine ſanctisſimę Trinitatis à peccatis mundaretur, & tunc aqva per conjunctionem verbi plenè ſuſcepit vim regenerativam, ut in c. nunqvā & per gl. in c ex qvo de conſecrat- baptiſatus eſt autem dominus noſter VII. Idus Novembr. trigeſimo anno nativitatis in carne ſecund. Epiphanium in lib, 2. Tom.1. contra hæreſes. Et ſacra-

cramentum hoc institutum est in aqva, qvæ est igni contraria, nam peccatum igni æqviparatur, & sicut ignis extinguitur per aqvam, ita peccatum per baptismum, ut per Abbatem. in c. non ut apponeres, de bapism. & Basil. in homil. 52. dicit aqvam baptismatis habere vim ignis exemplo Heliæ, qvi in ara holocaustorum non per ignem, sed per aqvam victimam totam exussit, & Christo per illud incorporavit, ut per Apost. ad Gal. 3. Qvicunqve in Christo baptizati estis, Christum induistis.

De debita materia baptismi tractat. Summa Angelica in verbo Baptismus, n. 3. ubi vide per tot.

Exempla refert Sophron. in prat. Spirit. c. 176. De Abbate Theodoro qvi in eremo, ubi aqvæ penitus nihil erat, Hebræum arena baptizavit.

Et qvandoqve Deus ubi aqva desit miraculo scaturire facit lacum, ut credentium votis satisfaciat in baptismo conferendo. Vt in Soruba vico ad radices montis, in qvo sita est Cæanensium civitas, in eo baptisterium est, qvod in sanctis Epiphaniis sudat, qvi sudor per tres horas continuis incrementis augetur, & post baptisma peractum decrescere incipit, & tribus aliis horis sensim deficit. Sed & in castello Cudebratis, qvod sub monte Ænoandron. civit. situm est baptisterium in paschali S. Resurrectionis festivitate, cum sit lapis unus, ex se ipso impletur, duratq; aqva illa usqve ad pentecosten

moxqve

moxqve transacta Pentecoste evanescit. Vtraqve ista miracula provincia Lyciæ fiunt. Sophron. in prat. spirit. c. 214. 215.

IX. CONSIDERATIO.

Vsus aqvæ benedictæ.

AQva benedicta aliqvando fit ad reconciliationem Ecclesiæ pollutæ sanguine vel semine, & hæc benedicitur ab Episcopo solũ cum vino & cinere in c. aqvam & in c. proposuisti dę consecr. Eccl. vel al. aliqvando fit ad aspergend. homines vel domûs, & removendã sterilitatẽ rerum humanarum, & ad multiplicationem cæterorum bonorum, & ad defensionem hominum adversus insidias atqve versutias diaboli, & ad delenda peccata venialia. & hæc benedicitur â sacerdotib. cum sale, ut in c. aqva de consecr. dist. 3. Summa Angelica in verb. Aqva, in pr.

CONCL. I.

Consecratio Aqvæ.

In consecratione aqvę fit commemoratio, qvoniam Deus collocaverit firmamentum in medio aqvarum, qvoniam in Paradiso terrestri sacrum constituit fontem, ex qvo per qvatuor sacra flumina irrigatur universus orbis terrarum, qvoniam fecit aqvas justitiæ suæ instrumentum in destructione gigantum, per diluvium generale super omnem terram, & in destructione exercitus Pharaonis in mari rubro & qvoniam eduxit pop. suum siccis pedibus per

per medium maris rubri, & per medium Iordanis, & qvoniam miraculosè eduxit aqvam de petra deserti, & eduxit fontem aqvæ vivæ ex dente molari maxillæ asini ad preces Samsonis qvoniam posuit aqvas instrumentum misericordiæ suæ atqve lavamen salutis in remissionem peccatorum, & qvoniam Christus baptizatus in Iordane, mundavit & sanctificavit aqvas & hujusmodi. Invocando insuper divina nomina adhæc conformia, utputa, cum Deus ipse vocatur Fons vivus, Aqva viva, Flumen vivum, &c. Agrippa in lib.3. occult. philsoph. c.62. de consecrationibus.

CONCLUSIO II.

Exorcismus Aqvæ.

Exorcizo te creatura Aqvæ in nomine Dei patris omnipotentis, & in nomine Jesu Christi filii ejus domini nostri, & in virtute Spiritus S. ut fias aqva exorcizata ad effugiendã omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas, cum angelis suis apostaticis. per virtutem ejusdem Domini nostri Iesu Christi, qvi venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem, Amen. Tradit Valerius Polydor, in practic. exorcistar. in præfat. cap.15.

CONCL. III.

Alexandri Papæ opinio circa aqvam benedictam.

Alexander Papa hujus nominis primus in sua prima epistola præcipit omnibus sacerdotibus

bus exemplo ſui benedicere, res ſenſibiles populis dicens. Aqvam enim ſale conſperſam benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, ac purificentur, qvod & omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam etſi ſale aſperſo per Heliſæum Prophetam ſterilitas aqvæ ſancta eſt, qvanto magis divinis precibus ſacratus ſterilitaem rerum aufert humanarum & coinqvinatos ſanctificat atqve mundat, & expurgat, & cætera bona multiplicat, inſidiasq; diaboli avertit, & à phantaſmatis verſutiis hominem defendit, &c.

CONCLUSIO IV.

Conjuratio Aqvæ.

EXtat apud Hier. Mengum in flagell. dæmon. Exorc. 6. Conjuro te aqva, ubicunqve ſis magna vel parva per JEſum Chriſtum Dei filium, cui te calcabilis ſub pedibus præbuiſti, verbisqve ejus ſemper obediſti, & per virgam Moyſi ad cujus ictum pop. Dei ceſſiſti, & per ſanctum baptiſmum, qvod te fecit, & per aqvam qvæ exivit de ejus latere, à Longino percuſſo, & per ſanctiſſimum ſudorem CHRISTI, & per ſanctam Mariam matrem domini noſtri JEſu Chriſti, & per omnis ſanctos Patriarchas & Prophetas, Apoſtolos, Evangeliſtas, & per omnes ſanctos innocentes Martyres, Confeſſores, Doctores, & Eremitas Dei, & per totam cœleſtem curiam, & per omnes orationes & deprecationes, qvæ qvotidiè fiunt in cœleſti curiâ ad Dominum Deum, qvod retine-

tinere non valeas hunc neqvissimum spiritum, nec faventes ei, sed ipse & omnes sibi faventes detestinanter expellantur cum furore & impetu magno sicut Christus expulit septem Dæmonia de corpore Mariæ Magdalenæ, ut ad infernũ dirigatur in locum inferiorem ubi maneant in perpetuum, & sic cruciatus acrius solito, AMEN.

X. CONSIDERATIO.

Usus ejus in purgationibus

AQva olim in purgationibus adhibita fuit, exemplum est in Pilato, qvi accepta aqva lavit manus coram populo, & sedendo pro tribunali dixit: innocens ego sum à sangvine justi hujus, Matth. 27.

CONCL. I.

Probatio adulterii fœminarum in Veteri Testamento.

UT habetur Num. 2. c. qvando mulier stupri vel adulterii insimulabatur, Moses dari jussit potionem maledictionis, illa sumta, si mulier rea erat stupri, pertransibant illam aqvæ maledictionis, & inflato ventre putrescebat femur ejus, eratqve in exemplum omni populo, si polluta cum alio non erat, potio sumta ei nihil nocebat.

CONCL. II.

Probatio legitimationis liberorum apud Germanos & Gallos.

VEtustissimus Rheni accolarum mos erat talis

talis: Recens natos liberos suos in Rheno flumine solebant explorare clypeo vel galea impositos, fluitantes atqve natantes, ut legitimos, amplectebantur, & educabant, subsidentes autem velut spurios & adulterinos abjiciebant & deserebant, qvâ de causa Græci Rhenum ΖΗΛΩΜΟΝΑ appellare solent. Extat vetus Epigramma Græcum, qvo mos iste Celtarum eleganter describitur. Meminerunt item pulchrè Gregor. Nazianzen. & Claudian. Poeta ad Ruffin. libr. 1. Franc. Irenæus exegesf. lib. 1. c. 17. Gallos gelido amne natos immergere solitos refert Aristotel. polit. lib. 7. cap. 17.

CONCLUS. III.

Probatio vel purgatio innocentiæ per aqvam frigidam.

Fuit & olim in usu, & adhuc apud qvasdam gentes viget probatio & purgatio, per aqvam frigidam, qvæ hoc modo fit, & plerumqve nunc in sagarum criminibus malefica præsumta adducitur ad flumen vel lacum, ligatur manibus pedibusqve in formam crucis, ligata projicitur in aqvam frigidam, si enatat habetur vehementius suspecta maleficii, & iterum qvæstioni subjicitur. Si verò submergitur, ut innocens absolvitur. Et hæc communiter rejecta est, velut perversa & superstitiosa, 2. q 5. c. Mennam ex registro S. Gregorii in epistola ad Brunichildam reginam Franciæ: seqvuntur

Pa-

Panorm. & Ancharan, ſupra d. loc· in.c. fin.de vulgar. purgat. Ioannes *B*odinus lib.4.cap.4. Petrus Bins feld. de confeſſ. malef. ſept. & ult. concluſ.dub.1.per rationes ibi not. qvem ſeqvitur & refert ad verbum Hardu. a Daſſel. in ſuo reſponſo in cauſa pœnali malef. qvod qvia eſt impreſſum, ideo huc non tranſporto. Longè defendit eam Guilielmus Adolphus Scribonius Marpurp. libr.2. de ſagarum natura & poteſtate qvem ego ſeqvor, non tam qvod originarius meus ſit, qvam attentis rationibus ſubſeqq. cum enim hæc ſcripſerim, occurrit forte an ejus liber. Cum Elementum aqvæ ſit materia debita, ſacramenti baptiſmatis, qvo Chriſto incorporamur, cum in ſacramentorum oblationib. qvæ inter miſſarum ſolemnia domino offeruntur, panis & vinum Aqva permixtum, in ſacrificium offerantur, non autem debet in calice domini aut ſolum Vinum aut aqva ſola offerri, ſed utrumqve permixtum, qvod utrumqve ex latere ejus in paſsione ſua fluxiſſe legitur, Unde Ambroſ. in lib de ſacram. qvare in ſacrificio aqva vino miſceatur, Accipite & illud: *D*e latere ejus effluxit Aqva & *S*anguis, aqva ut emundaret, Sanguis ut redimeret, qvare de latere, qvia unde culpa, inde gratia, culpa per fœminam, gratia per Chriſtum, c· in calice de conſecr. diſt. 2. Ex hiſce igitur qvia aqva per contactum dominici corporis ſanctificata eſt c. nunqvam diſt.4. de conſecr. puto maximum illudqve intrinſecum & naturæ occultum dis-

ſidium inter Aqvam & Veneficas ob hanc cauſam, qvia ſagæ veneficæ magi &c. qvando ſe Diabolo devovent, abnegant & abjurant baptiſmum, & fidem in eo Chriſto datum, & reliqva ſacramenta in contemtum Chriſti, de qvâ renunciatione Petr. Binsfeld. in tractat. de confeſſ. malef. prælud. 6. refert exemplum, ex Amphylochio in vita Baſilii M. Qvando igitur ſagæ imponuntur aqvæ, impoſuit illas aqva tanqvam in dignas ſubmerſione, & in mundo prodere videtur, plura poſſunt teſtimonia de aqva proferri ſupr. de potione maledictionis Num. 5. Ezech. Aſpergam ſuper vos aqvam mundam, & mundamini ab omnibus immunditiis veſtris, & ab omnibus ſimulacris mundabo vos. Item in Num. Qvi tetigerit cadaver hominis, & propter hoc 7. diebus fuerit immundus, aſpergatur, de hâc aqvâ die tertiâ & ſeptima, & ſic mundabitur. Item omnis qvi tetigerit humanæ animæ morticinium, & aſperſus ex hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini & peribit ex Iſrael. Et iterum: Et locutus eſt Dominus ad Moſen, dicens, accipe Levitas de medio filiorum Iſrael ipſorum, & purificabis eos, & ita facies eis purificationem ipſorum Circumſperges eos aqva purificationis, & iterum Aqva aſperſionis purificatio eſt: Unde apparet aſperſionem qvaſi aqvæ inſtar Salvatoris lavacri obtinere. Scias diaboli neqvitiam pertinacem, usqve ad aqvam ſalutarem

valere

valere, in baptiſmo verò omnes neqvitiæ ſuæ vires amittere, qvod exemplum criminis in Pharaone qvi vi reluctatus eſt, & in ſua perfidia demoratus, tamdiu reſiſtere potuit, & prævalere donec ad aqvam veniret, qvi cum veniſſet, victus eſt & extinctus. Mare illud ſacramentum baptiſmi fuiſſe declarat, beatus Paulus dicens: Nolo vos ignorare fratres, qvod patres veſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt, & in nube, & in mari, & addit dicens. *H*æc autem omnia in figura noſtri fuerunt. At qvæ & alia maximè majores noſtros reſpexiſſe non dubito, qvod probationem illam per aqvā inſtituerint. Poſthæc in eadem opinione invenio & allego ſereniſſ. & potentiſſ. autorem Dæmonologiæ Jacob. Angliæ & Scotiæ regem in lib. 3. cap. 6. circa fin. ubi Sagarum ſupra aqvam natatum, medium ad inqviſitionem incantatorum rectè adhiberi tradit, adducto exemplo, de homicidio clam perpetrato, & ſangvine ex cadavere occiſi manante, addens ultra abnegationem baptiſmi, qvod ex oculis ſagarum, ne lacrimulam qvidem ullum, qvocunqve modo eas extorqveas, excruciesqve prius qvam pœnitentes ſint, profundere poſſint, cum alias ſexus fœmineus in contrariam partem qvalicunqve occaſione ſit promtiſſimus.

XI. CONSIDERATIO.

Spiritus aqvei.

HI ſpiritus aqvei ſecundum Magorum do-

ctrinam imaginationem ſenſumqve ſeqvuti vitæ ſerviunt voluptuoſæ. Et ſunt qvi aqvas conturbant, ex iis craſſos & peſtiferos vapores emittunt, concitant tempeſtates, demergunt navigia, homines, infantes, præſertim in profundum trahunt, aliisqve multis modis hominum generi inſidiantur. Hi nonnunqvam noctu præſertim lacubus & fluviis inambulantes cernuntur, aut ad fontes Nympharum & Syrenum ſpecie nocturnis puellarum pudicitiæ inſidiatoribus ſe oſtentant. Porrò hi ſpiritûs ſunt, qvi undoſum mare perturbant, vectores è Navibus detrahunt, qvod Palimiro Æneæ Trojani nauclero accidiſſe fertur, naves ſcopulis afflictas ſubmergunt, aut in brevia deſtituunt, qvin etiam Dei qvandoqve permiſſu marinas undas ultra terminos ſuos, & littora ita pro pellunt, ut magna pars terræ aqvis obruatur id factum ſub Damaſi pontificatu legimus, qvando multæ Siciliæ civitates undis hauſtæ & deletæ ſunt. Idem Alexandro VI. Pontifice contigit: bona Italiæ parte, inprimis agro Bergomati & Veronenſi, aqvis reſtagnante. Anno M D X V. triſtiſſimum diluvium complures Europæ regiones ita inundavit, ut ad qvingenta millia hominum miſerè ſuffocata dicantur. Carolo V. Imp. Hollandia & Selandia florentiſſimæ Inſulæ maris ac fluminum eluvione penè obrutæ, certè non exigua parte truncatæ ſunt, qva calamitate non minorem Friſia, parem ferè tum Flandriæ ora maritima

ſenſit,

sensit. Atqve hæ qvidem Deo permittente aqvaticorum ejusmodi & maledictorum spirituum operationes fuere, ad qvorum furorem placand. Amilcar. contra Agrigentinos bellum gerens, sacerdotum turbam mari submersam sacrificavit, ut Diodorus Siculus testatur.

Ollerus Magus Svecus horum spirituum ope incantato osse tanqvam navigio vastissima maria superabat.

Alius Othinus nomine Hadingum Danorum regem eqvo impositum per mare in patriam devehi curavit, atqve ita præsentissimo vitæ periculo subtraxit. De Oddone Danico Pyrata Saxo Grammat. scribit, absqve carina altum pererrantem hostilia sæpè navigia concitatis carmine procellis evertisse, sed & hunc tandem fortior magus eorundem spirituũ vi evertit, & undis submersit.

Pertinax teste Sabellico lib. I. Paulo ante mortem spectrum ejusmodi in piscina vidit nudo gladio ictus intentantem.

Ex hoc genere credibile est fuisse aprum illum, qvi Isaaco Comneno prope Neapolim ad venationem proficiscenti occurrit, statimqve magno cum impetu in mare se præcipitavit, Imperatore penè exanimi relicto.

XII. CONSIDERATIO.

Homines aqvei.

SUnt Sibyllæ seu Nymphæ albæ, Dominæ nocturnæ, Dominæ bonæ, Itali Fatas, Galli Fees vo-

vocant, & earum regina Habundea, qvarum adventu multum prosperitatis, & rerum omniū copiam putarunt superstitiosæ anus domibus contingere qvas freqventârint, & ideo domi suæ illis epulas instruxêre, escariis lancibus, & vasis vinariis omnibus apertis ac disco opertis, ne qvid illis ad sumendum moræ objiceretur, qvalis præpariti illis convivii in vita D. Germani Episcopi mentio habetur. Scribit Plutarchus, & ex eo Sabellicus. Numam Pompilium, qvum nihil domi obsoniorum haberet, præcipuis dignitate Romanis eqvitibus ad se invitatis. Opiparæ cœnæ apparatum exhibuisse hincqve cum Aegeria Nympha. Consvetudinem habere creditum esse.

Ut refert Olaus lib. 3. Hotherus rex Svetiæ & Datiæ inter venandum errore obdensissimam nebulam, ab iis qvi retia servabant longissimè avulsus, in qvoddam sylvestrium virginum conclave incidit, à qvibus proprio nomine salutatus, qvænam essent, perqvirit. Illæ suis ductibus auspiciisqve maximè bellorum fortunam gubernari testantur. Sæpè enim se nemini conspicuas præliis interesse clandestinisqve subsidiis optatos amicis præbere successus: qvippe conciliare prospera adversa infligere posse pro libito memorabant hortatæ eum ne Balderum arcano superum semine procreatum, armis lacesseret. Qvo accepto Hotherus, labentis hospiti tegmine defectus, sub dio se relictum, totiusqve expertem um-

umbraculi mediis repentè campis expositum conspicatur. Præcipuè tamen præpetem puellarum fugam, lociq; versilem situm & fallacem ædis imaginem mirabatur. Deinde aliqvot evolutis annis, idem Hotherus acerrimis contritus bellis extrema locorum de via pervagatus, insuetumqve mortalibus nemus emensus, alium ignotis virginibus habitatum forè reperit specum. Easdem esse constabat qvæ eum insecabili veste qvondam donaverant. A qvib. cur eo locorum venerit interrogatus, infaustos belli declarat eventus, itaqve fide earum damnata, gestarum infeliciter rerum fortunam tristesqve casus deflere cœpit: secus sibi cessisse qvæstus, qvam ab ipsis acceperat promissum At nymphæ eum, qvanqvam raro victor exstiterit, æqvam tamen hostibus cladem intulisse dicebant, nec minoris stragis auctorem fuisse qvam complicem, cæterum ad futuram victoriam, si edulium augendis inimici viribus excogitatum præripere posset. Sic enim omnia ad votum & nutum prosperè ipsi successura. Hoc modo dimissus vires reparat, militiamqve conscribit in hostem, cujus castra dum pervigil observat videt, excessisse tres Nymphas arcanæ dapis gerulas, qvas cursim inseqvens (nam earū fugam roscida prodidere vestigia) tandem tecta qvibus assveverant subit, citharaqve cujus peritissimus erat, dulcissimo ministerio accurati nitoris cingulum potentemqve victoriæ Zonam ab eis obtinuit, at qve itinere qvo venerat

nerat repetito, hoſtem obvium illico letifero vulnere ſudit.

XIII. CONSIDERATIO

Animalia aqvæ.

ANimalia aqvatica ſunt piſces, nam ſicut aer ornatus eſt ſuis animalibus, ſcilicet volatilibus, qvæ poſſunt ex eo reſpirare propter craſſitudinem humoris, & qvorum corpora ſuſtinere poteſt, ſic & aqva ſuis, id eſt natalibus, qvæ qvidem pinnulis ſuis adornantur, & innituntur aqvæ natando ſicut aves pennis ſuis volando. Reptilia etiam dicuntur, qvia omne qvod natat raptandi habet vel ſpeciem, vel naturam. Vnde & Pſalm. 103. David ait. Hoc mare magnum & ſpacioſum manib. illic reptilia, qvorum non eſt numerus, & ut ait Iſidor. lib Ethymol 12. c. 6. pecoribus & beſtiis, & volatilibus ante homines nomina impoſuerunt, qvàm piſcibus, qvia prius viſa ſunt, & cognita. Piſcium vero poſtea paulatim cognitis generibus nomina inſtituta ſunt aut ex ſimilitudine terreſtrium, aut ex ſpecie propria, ſive moribus ſeu colore vel figura aut ſexu, ut ibi per exempla declarat Iſidorus, & ut Plin. inqvit libro naturalis hiſtoriæ 9. c. 2. Complura ſunt in aqvis animalis, majora etiam terreſtribus qvod ibi comprobat, & concludit, ut fera fiat vulgi opinio. Qvicqvid naſcatur in parte naturæ ulla, & in mari eſſe, præterqvam multa qvæ nusqvàm alibi.

Con-

CONCL. I.

Leo Marinus.

SEcundum Iſidor. lib. Ethymol. 12. Tit. de piſcibus dicitur à ſimilitudine terreſtris. Et ſecundum Ambr. Licet Leo terreſtris ſit terribilis, tamen leo marinus eſt dulcis, eandem habens diſpoſitionem & virtutem ſicut in terra.

CONCL. II.

Cete.

SEu Balena eſt major & grandior piſcis, qvi reperiri poſſit in mari, & eſt immenſæ magnitudinis teſte Iſidor. in ante all. loc. Cæteris enim beſtiis maris altius jacit undas. De cujus natur. & excellent. ſcribit Plin. lib 9. c. 6.

CONCL. III.

Delphinus.

DE cujus excellentia ap. Plin. in lib. nat. hiſt. c. 9. 8. ubi amplè commendat Delpinum in celeritate natandi ſupra omnes piſces & volucres in pietate erga partum, cum geſtunt fœtus in in fantia infirmos, qvin etiam parentes fœtus adultos diu comitantur, & parvos ſemper aliqvis grandior comitatur, ut cuſtos. Siqvis eorum captus fuerit, cæteri adnatant ſupplicantum ſpecie captum repoſcentes, & maximè laudatur propter amorem, qvem habet erga hominem, ut per plura & ultra qvinqve exempla comprobat, Plin. d. c. 8. de qvibus aliqva Gellius refert. lib. noct. artic. 7. c. 8. & in lib. qvi Hortus ſanitatis dicitur, in tr. de piſcibus c 27.

Musica arte mulcentur delphini unde Arionem Cytharistam in mari nautis interficere parantibus obtinuit ab illis, ut prius cithara caneret, ad cujus cantum delphinorum gregibus congregatis, cum in mare se projecisset ab ano exceptus est, & ad littus projectus.

Plin. libr. 32. cab. ult. dicit animalium omnium in mari viventium 166. genera esse qvorum nomina ibi describit seriatim, & loca ubi laudatissimi nascuntur pisces. Et Textor. in sua officin. in vers. pisces diversi enumerat. 222. & ibi in suo lib. Cornu copiæ in verb. piscibus, & scribit urbes & portus piscibus abundanter.

CONCL. IV.

De piscibus vero eligibilioribus pro nutrimento naturæ humanæ scribit decem schola Salernit. His versibus.

Lucius & parca, Saxaulus, Albica, teuca.
Gornus, plagita, cum carpa, galbio, Truta.

CONCLUSIO XIV.

Num pisces perierint in diluvio.

Dicit Dominus Genes. 7. c, Ecce ego ego inqvam adduco defluxum aqvarum super terram ad perdendum omnem carnem in qva est spiritus vitalis sub cœlis, qvicqvid est in terra expirabit. Ex qvibus etiam pisces periisse verosimile est. Cum etiam sint caro, argumento Levit. 11. & inferius. Ex omni animanti, omniqve carne bina de singulis duces in arcam ut viva serventur tecum Mas autem & fœmia erunt,

erunt, ex qvibus idem dici poteſt de piſcibus dicto argum. Leu. 11. ubi mundorum & immundorum piſcium fit mentio carnis, & c.7. Ex omni jumento mundo accipies tibi ſeptena marem & fœmina ejus, de jumento vero immundo bina marem & fœmellam ejus, ibi perdam ſuper terram omne qvod vivit, qvod feci, ex qvibus idem dici poteſt. argum Levit. 11. Deut. 14. ubi mundorum & immundorum piſcium fit mentio. argum Gen. 1. ubi piſces creati & animalia dicuntur, & per vocabulum Animal non tantum intelliguntur animalia terreſtria & qvadrupeda ſed etiam piſces argum. Gen. 1. ubi Dominus dixit Moveatur aqva omnibus animalibus. Et per voculam Terra, non tantum intelligitur Tellus & Solum qvod pedibus terimus. ſed univerſus orbis inferior argum, Geneſ 1. In principio creavit Deus cœlum & terram, ubi per cœlum ſuperior regio? aer nubes & c. intelligitur; per terram univerſus orbis inferior, aqva, terra ſive arida, & paulo infer. in hoc c. Ingresſi ſunt in arcam Noah, Sam, Hem & Japhet, filii Noha, & uxor Nohæ, tresqve uxores filiorum ejus cum eis in arcam, ipſi & omne animans, omne jumentum, omne reptile, & omne volatile; omne deniqve volatile omneqve pennatum. Veneruntqve ad Noam in arcam bina ex omni carne, in qva fuit ſpiritus vitalis. Solus Noah ſuperſtes manſit, & qvæ cum eo in arca erant. c.9. Et non erunt ultra aqvæ diluvii ad delendam omnem carnem.

con

CONCL. V.

Rana.

AQvatile animal est origine, vel ut ipsa Dei verba ostendunt, cum dixit Mosi: Extende manum tuam in virga tua super fluvios ac rivos & paludes, & educ ranas super terram Ægypti. Sunt igitur & inter aqvatiliæ conscribendæ: Ut igitur Dei vindictam exercerent, ita constituit dominus ad maximam gentis regisqve eorum ignominiam. Et Varro auctor est in Galliæ civitate incolas ranarum multitudine fuisse propulsos, id testatur Plin. lib 8. c. 29.

Ranæ è luto fiunt, idqve se oculis spectasse Ælianus lib. 2. c. 56. memorat. Narrat enim cum Italia ipse è Neapoii pureolos proficisceretur, se ranas conspexisse, qvarum pars, qvæ ad caput pertinet, repebat qvidem, & duobus pedibus agebatur; altera nondum confirmata concretioni limosi humoris similis trahebatur.

Admirand. loqvacissimum hoc atqve molestissimum animal etiam mutum fieri posse, & tamen id pluribus locis compertum est, nam in Macedonia mutæ sunt ranæ. Plin. lib. 11. c. 51. Sed & in Cyrene prorsus mutæ vivunt. Aristot. de admirab. c. 67. Ælian. lib. 3. c. 34. In Seripho qvoqve ad aqvarum frigiditatem, ut Theophrasto videtur, obmutescunt, unde proverbio datus est locus, cum nimis taciturnum hominem notamus, Ranam Seriphiam appellantes Ælian. lib. 3. c. 36. Verùm si hæ alio importentur, sublata illa tantæ frigiditatis causa canoræ

ræ

ræ fiunt. *Plin. lib. 8. cap. 58.* Ubi reliqva muta ranarum genera commemorat. Sed maximè notatu in dignum eſt, illud qvod tradit libr. 9. cap. 51. ranas ſcilicet ſemeſtri vita reſolvi in limum, nullo cernente & rurſum vernis aqvis renaſci, qvæ fuere natæ, perinde occulta ratione, cum omnibus annis id eveniat.

CONCL. VI.

Rana in ſcriptura in malum ſonat.

LIbro enim Apocal. Joan. Apoſt. cap. 16. ranarum mentio facta eſt his verbis. Et vidi de ore draconis & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ exire ſpiritus tres immundos in modum ranarum. Auguſtin. ib. c. 13. Tom. 19. Ranæ propter horrorem proprium etiam loco immundo ſunt, qvæ cum aqvarum incolæ & indigenæ videantur, non ſolum refugæ & ſiccitatis impatientes ſunt, ſed etiam in ipſis aqvis in aqvæ ſordibus & cœno volutantur: ſic Hypocritæ non in aqvâ, ut putantur degunt, ſed in ſordibus qvas credentes in aqvâ deponunt, &c. Idem in ſermon. 95. In Ranis inqvit heretici intelliguntur, atqve Philoſophi. Philoſophi enim vel hæretici, qvia in Chriſto omnia eſſe falſa dicunt, Ranæ ſunt clamantes in Paludibus limoſis per ſuperbam & inanem contentionem obſtrepitum vocis habere poſſunt, doctrinam veræ ſapientiæ Inſinuare non poſſunt, qvi enim veritati Chriſtianæ contradicunt, & in ſuâ vanitati decepti decipiunt, ranæ ſunt tædium af-

afferentes auribus non cibum mentibus. Hæc ille.

XV. CONSIDERATIO.

Qvare pisces non adhibiti in sacrificiis.

QVidam tenent pisces diluvio non fuisse interemtos, sed proprio loco servatos, ita qvoqve maledicto non fuisse subjectos, sicut neq; aqva qvam inhabitabant. Si enim aqvis terra, & qvæ in terrâ degunt, deleta sunt, aqvæ ipsæ deleri dignæ non habebantur, per qvas cætera delerentur, si à maledicto immune animal piscis fuit simul cum aqvis, qvas inhabitat, neqve deleri neqve offerri illum oportuit: Sangvinem enim profundere piscem ad expiationem, ut cætera animantia, legibus ceremonialibus neqve institutum est, neqve necessarium videbatur: cætera enim omnia sub maledicto animantia, si munda essent, offerri expiationem peccati hominis oportuit in eam criminis significationem, qvæ animanti congruebat, piscem maledicto carentem non oportuit: propterea ubicunqve sacris literis de piscibus actum est ingentia latent mysteria.

XVI. CONSIDERATIO.

Qvare ad dies Veneris & jejunii comedantur pisces.

RAtio hæc est qvum aqva non nutriat, ut ex Hippocratis, Chrysippi, Erasistrati sententiâ scripsit Galenus lib. de aqv. sentit idem Aristot,

ristot. libr. 5. nec pisces nutrire, sed statim aqvam resolvi creditum est.

XVII. CONSIDERATIO.

Aqva Deus ap. Antiqvos.

STultitiæ Paganorum ut refert Salomon Sapient 13. putavit esse rectores terrarum Deos Solem aut lunam aut stellas sive Aerem aut Aqvam vel ignem.

Venerati sunt & Persæ Aqvam, adeò ut ne faciem qvidem ea abluerent, sive potandi gratia, sive irrogandi arbores, sive ut aliascunqve, ut tradit Agathius de bello Gethico. lib. 2. Alex. ab. Alexandro Gen. dier. lib. 6. c. ult.

Addo hic Venetos dominos maris se gloriari summopere, indeqve nolle sub lectos esse Imperio Romano, qvia civitas eorum sita est, in mari Adriatico, & summo venerantur honore mare, nam qvotannnis dominicæ Ascensionis solemni die Dux eorum magna cum pompa splendidoq; procerum comitatu in Thalamego inaurata, & sculpturis picturisqve insignibus exornata, qvam Bucentaurum propter magnitudinem nominant ex urbe ad Adriatici maris præcipuum portum proficiscitur, ubi certis cum Ceremoniis Theridi Sponsaliorum Arrham. annulo aureo mari insecto solvit. Origo autem hujus ceremoniæ talis est Alexandrum III. Pont. Max. Otho Friderici Ahenobarbi filius armis ita persecutus est, ut Venetias profugere coactus fuerit, ubi in mona-

monasterio charitatis, qvum aliqvamdiu ignotus latitasset, tandem agnitus & honorificè inde eductus, Venetorum arma pro se atqve Ecclesia promta ac parata invenit. Gesto bello Otho à Venetis navali prælio victus & captivus Pontifici est oblatus. Tunc Duci Venetorum Sebastiano Ziano Pontifex annulum de manu suâ detractum obtulit dicens: Auctoritate meâ hoc annulo fretus Oceanum tibi subjicies, & qvotannis tibi posterisqve eo die qvo hanc victoriam pro Ecclesiæ defensione obtinuisti, despondebis mare, uti sciant omnes maris tibi dominium concessum, qvia sedis Apostolicæ tuendæ curam & studium fideliter suscepisti: Sit hoc tibi qvasi pignus benedictionis & secundæ sortis in futurum. Narrat hæc Villamontius lib. 1. peregrin. suæ 34. & prior illo Sabell. decad. 1. libr. 7.

XVIII. CONSIDERATIO.

Mirabilia Aqvæ.

UT refert Plinius terras devorant aqvæ, flammas necant, scandunt in sublime, & nubium obtentu cœlum sibi vendicant eædem cadentes omnium terra nascentium causa fiunt. Innumera sunt aqvarum miracula à Plinio Solino multisqve historicis descripta, de aqvarum mirabili virtute etiam meminit Ovid. in his versibus.

Medio tua corniger Hammon.
Unda die gelida est, ortuq; obituq; calescit

Ad-

Admotis Athamantis aqvis accendere lignum
Narratur, minimos cum luna recessit in orbes.
Flumen habent cicones, qvod potum saxea reddit
Viscera, qvod tactis inducit marmora rebus.
Cratis & hinc sybaris vestris conterminus oris
Electro similes faciunt auroq; capillos.
Qvodqve magis mirum, sunt qvi non corpora tantum
Verum animos etiam valeant mutare liqvores
Cui non audita est obscœnæ Salmacis unda?
Æthiopesqve lacus? quos si qvis faucibus hausit.
Aut furit, aut patitur mirum gravitate soporem
Clitorio qvicunqve sitim de fonte levavit
Vina fugit, gaudetqve meris abstemius undis
Hinc fluit effectu dispar Lyncestius amnis
Qvem qvicunqve parum moderato gutture traxit
Haud aliter titubat, qvam si mera vina bibisset
Est lacus Arcadiæ pheneum dixêre priores
Ambiguis suspectus aqvis, qvas nocte timeto
Nocte nocent potæ, sine noxa luce bibuntur.

CONCL. I.

Refert præterea Josephus fluminis cujusdam inter Arceam & Raphaneam urbes Syriæ admirabilem naturam. Qvi cum pleno deferatur alveo per integrum sabbathum mox ceu obturatis fontibus deficiens, per sex integros dies siccum alvei sui transitum præbet, rursusqve septimo die ignotis naturæ causis ad priorem redit aqvarum abundantiam: Qvam-

obrem incolæ illum Sabbatheum nuncuparunt, ob ſacrum Judæis ſeptimum diem.

CONCL. II.

Teſtaturq; nobis Evangelium de piſcinâ probatica, in qvam poſt commotam ab angelo aqvam, qvi prior in illam deſcendiſſet, à qvacunqve ægritudine liberabatur.

CONCL. III.

Eadem vis atqve poteſtas fuiſſe legitur fonti Ionidum Nympharum, qvi in Eliorum agro ap Heracleum pagum juxta Cytheron fluvium extabat, in qvem qvi ægroto corpore deſcendiſſet: abjecto omni corporis vitio ſanus & integer inde exiret.

CONCLUS. IV.

Narrat Pauſanias eſſe in Lycæo Archadiæ monte fontem, qvi Agriæ vocabatur, ad qvem qvoties regionis ſiccitas frugum interitum minaretur, ingreſſus Iovis Lycæi ſacerdos, poſt immolatas hoſtias ſacris precib. ſacros veneratus latices, qvercus ramum manu tenens ad ſacram fontis ſummos latices demittebat: tunc commotis aqvis vapor exinde in aera ſurſum latus in nubes conflabatur, concurrentibusqve nebulis cœlum omne obducebatur nubibus: qvibus paulo poſt in pluviam reſolutis, omnem regionem ſalubriter irrigabant. Verum de aqvarum miraculis præter cæteros autores multos, ſcripſit Ruffus Epheſius Medicus miranda & ap. nullum alium qvæ ſciam autorem reperta.

XIX. CONSIDERATIO.

Uſus ejus inpœna.

CUm Dominus ob malitiam & conſceleratio-nem humanum genus perdere vellet, aqvarum inundatione id perfecit, qva qvadraginta diebus nullo interpellato momento ſemper totum in orbem pluit, adeo ut ſupra omnes montes 15. cubitis omnis ſuperficies terræ obrueretur inundatione, perſeverante eodem tumore ad dies 150. cujus meminit etiam Plato, teſte Euſebio, 7. præparat Evang. lib. 12. c. 10. Gen. c. 6.

Cum dominus punire vellet. Pharaonem, qvi nollet dimittere pop. Iſrael in aqva maris rubri perfecit. Ingreſſi enim filii Iſrael in medium maris in ſicco, & aqvæ illius maris à dextra eorum, & à ſiniſtra eorum fuerunt. Et inſeqvuti Ægyptii in greſſi ſunt poſt eos ad medium maris. Et extendit Moſes manum ſuam ſuper mare, & reverſum eſt mare in alveum ſuum. Et præcipitavit Dominus Ægyptios in medium maris & refluebant aqvæ operueruntqve qvadrigas & eqvites atqve totum exercitum Pharaonis, qvi mare ingreſſi fuerant poſt illos, ut ne unus qvidem ex eis ſupereſſet Exod. 14.

Etjus civile utitur Aqva in pœnam parricidarum. Siqvis enim parentes interfecerit, pœna ejus non ſolennis ut textus habet, id eſt cummunis, aut ſimilis alii delicto eſt, ſed inſutus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & vipera & ſimia, vel in vicinum mare vel in amnem

projicitur secundum qvod regionis qvalitas tulerit,ut omnium Elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, terra mortuo auferatur- L. unic. C. de his qvi parent §. Lex Pompeia de parricid. Instit. de public. judic.

XX. CONSIDERATIO.

Hydromantia.

HYdromantia vaticinia præstat per impressiones aqveas illarumqve fluxus & refluxus, excrescentias & depressiones,tempestates & colores & similia : cui junguntur etiam Visiones qvæ in aqvis fiunt. Genus divinationis à Persis repertum , qvalem refert Varro puerum vidisse in aqvâ Mercurii effigiem,qvæ centum qvinqvaginta versibus omnem Mithridatici belli eventum prænunciavit. Legimus etiam Numam Pompilium hydromantiam exercuisse ; In aqvâ enim Deorum imagines eliciebat , & ab illis futura discebat. Qvod artificium etiam Pythagoras longo tempore post Numam exercuit. Hydromantiæ ex sacræ aqvæ qva abluebantur & decoqvebantur victimæ, coloribus sapore, motu strepitu subitis mutationibus argumenta eventuum colligebat. Meminit Virgil. in Historiâ Didonis.

Vidit thure cremis cum dona imponeret aris,
Horrendum dictu,latices nigrescere sacros.
Fusaq; in obscœnum se vertere vina cruorem.

Hydromantia variis exercebatur modis imple-

plebatur Cyathus aqva annulusqve filo ſuſpenſus ex digito librabitur in aqvam, atqve ita conceptis verbis poſcebatur declaratio vel confirmatio rei qvæſitæ, ſi qvod proponebatur verùm erat, etiam annulus ſuo nutu, non impulſus, feriebat Cyathum conſtitutis ictibus. Vel conjiciebantur in aqvam qvietam lapilli tres, & obſervabantur gyri ad ambitum corporis continentis diffuſi, trifariamqve mixti inter ſe atqve ſimpliciti, ex his erui veritatem poſſe, perſvaſio vulgi obtinuerat.

Alius modus fuit qvo ſtatuebatur cyathus aqva plenus, & verbis immurmuratis obſervabatur, num aqva ſponte efferveſcens effunderetur.

Alii Afri inprimis Feſſani de qvibus Leo lib. 3. deſcrip. Africæ, aqvam in phialam vitream effundebant, eiqve olei guttulam admiſcebant deinde in aqva tanqvam in ſpeculo mira ſe cernere opinabantur, pro oleo nonnulli ad eundem uſum plumbum liqvefactum injiciebant.

Erat etiam olim apud Aſſyrios in magno pretio Hydromantiæ ſpecies Lecanomantia nuncupata à pelvi aqvæ plena: cui imponebantur aureæ & argenteæ laminæ, & lapides pretioſi certis imaginibus & characteribus inſcriptæ.

Huc etiam referri poterit Aruſpicina piſcium cujusmodi olim ap. Lycios capiebatur in loco qvi Dina dicebatur juxta mare in ſacro Apollinis loco ſicca in arena excavatis, in qvem con-

ſultus de futuris aſſatas carnes dimittens, ſubito locus ille aqvis replebatur, magnaqve piſcium multitudo ac admirabilium figurarum hominibus ignotorum apparebat, è qvorum formis vates, qvod futurum eſſet, prædicebat, Hæc Iabius ex Polycharmo in Lyciorum hiſtoriis refert Athenæus.

XXI. CONSIDERATIO

Aqvæ Similitudo.

QVatuor ſunt Evangeliſtæ qvi figurantur per qvatuor Elementa. Marcus autem figuratur per aqvam, nam in civitate qvæ fundata eſt in aqvis ſcilicet Venetiarum, elegit habitationem ſuam: Et per Leonem figuratur, qvi quartanam patitur, eo qvod multo humore abundat, Aqva ſumme nutrit qvartanam. Hic tradit notitiam de Jeſu. ſecundum ſuam ſapientiam, qvæ per aqvam figuratur in ſcriptura, juxta illud Eccef. 15 Aqva ſapientiæ ſalutaris potavit illum. Unde principaliter Marcus deſcribit prædicationem Chriſti, & incipit Evangelium ſuum in aqvis Jordanis dicens: mox poſt exord. fuit Iohannes in deſerto baptizans &c. & in Aqvileja fertur illud ſcripſiſſe Chaſſan. in catal. Gloriæ mundi part. 3. conſid. 35. Marqvard. de Suſan. in tractat. de Iudæis part 3. cap. 1. n 25.

XXII. CONSIDERATIO.

Hiems comparatur Aqvæ.

HYems eſt frigida & humida, & convenit cum elemento Aqvæ, & cum complexione

ne seu humore phlegmatico, & est sole ingrediente capricorum, ut per Archid, Cardin. & Dominic. in c. statuimus 76. distinct.

XXIII. CONSIDERATIO.

Maria.

MAre est elementi aqvæ receptaculum, qvæ unum in locum amplissimum à Deo, cum aqvas ab aqvis divideret, initio mundi conditi jussa secedere omnia flumina recipit.

Est autem maritima aqva amara salsa ac crassa, qvod Sol terrestrem partem à mari exugit, & exsiccat, imò adurit, & dulciores aqvarum partes leniter elevat & absumit. Qvâ ex causa etiam pleriqve latius stagna, qvin & aliqvi fontes salsas amarasqve continent aqvas.

At salsa marinaqve aqva, rebus plurimis differt ab aliis, primum qvidem graviora pondera sustinet, ut Aristot. tradit Mæten. cap. 2. & 3. Aqva inqvit salsa crassior est dulci, cum pingvis sit & turbida, dulcis autem subtilis, cujus judicium est, qvod si vas cereum ore abstructo mittatur in aqvam salsam per horam deinde extrahatur, invenitur oppletum dulci, qvæ illius poros penetravit, cum sit pondere levior, ut est sapore svavior, propterea si sal attritus injectus aqvæ dulci dissolvatur ovum in ea projectum non submergetur, sed natat ob eam, qvam ex sale nacta est aqva crassitiem, cum alioqvi semper ovum aqva dulci mergatur. Hinc illud accidiit in Palæsti-

næ lacu vehementer salso ac crasso, si iniiciatur tum homo, tum bellua qvælibet, etiam revin-ctis membris omnibus nunqvam demergentur, perpetuòqve supernant: & qvod admirabilius est, injectus pannus qvilibet sordidus brevi intervallo mundus redditur salsedinis illius acrimonia, propterea onustæ naves dulcib· aqvis facilius immerguntur, qvam salsis, qvod gravitas aqvæ salsæ non facilè dimersionem admittat. Deinde illud qvoqve est adnotandum cum crassa salsaqve in dulcem influit, sal qvi ex dulci colligitur longe acrior est illo, qvi ab ipsa salsa exprimitur, eam ob causam, qvod dulcis aqvæ vis cum subtilior sit, acutiorem reddidit salis acrimoniam, sitqve longe magis albescens: qvanqvam obsonia non adeo salsa fieri ex hujusmodi sale videantur, qvod dulces partes magis hauriant, & imbibant, qvam salsas. Hæc ex Aristot.

De numero marium Philip. Bergomas in supplem. Chronic. libr. 7. ita. Cæsar divinis humanisqve rebus singulariter instructus, cum consulatus sui fasces ageret ex SC. (ut Priscianus in sua Cosmographia scribit) censuit omnem orbem per prudentes viros admetiri Et ideo à suo consulatu usqve ad consulatum Saturni per triginta continuos annos m issi sunt dimensores legati viri doctissimi, & in Geometrica arte periti, per omnem terram, ad præsides duces. & judices provinciarum, ut describerent mensurarentqve terras aqvas, nemora,

plana

plana, concava, montes, colles, itinerarium maritimumqve etiam loca navigaturi tangere debuerunt, & si forte aliqvid prodigium in his occurreret, illud senatui reiqve publicæ scripto nunciarent, Et sic in eodem autore referente reperum est, qvod omnis orbis habet famosa maria 30. Insulas 27. montes famosos. 40. provincias 78. urbes insignes 370. flumina magna 94 gentes 125. &c.

CONCL. I.

Æstus maris causa.

VIdetur ad lunam referenda, cujus in aqvas imperium est, & terris proxima plus cæteris planetis post solem potest. Nam pro ejus ortu vel occasu, & progressu ad meridianum circulum mare fluit ac refluit, atqve hæc fluxio aqvarum accedentium & recedentium reciproca vocatur æstus. Lunæ igitur orienti mare velut obviam dominęvenienti procedens summa littora premit, mox eam ascendentem honoris causa ad meridianum nostrum deducit: deinde ea descendente ad occasum, redit ad littora, iisdemq; vicibus hinc ad nocturnum meridianum tendenteLuna mare in altum recedit, atqve ad ortum redeunte ad littora se recipit. Sunt igitur plena littora vel oriente vel occidente Luea.

CONCL. II.

Maria. Flumina. Fluvii. Amnes, rivi, lacus, paludes, fontes. Aqvæ stagna. Totius terrarum

rum orbis celebria in unum qvasi receptaculum deducta.

CONCLUS. III.

Achelous.

Fluvius oritur à Pindo monte Aetoliam ab Acarnania dividit, prius vocabatur Thous. Archelous autem Ætoliæ rex fuisse dicitur, qvi in eo fluvio, ut ait Strabo lib. 10. mersus, fluvio nomen dedit, unde & Ætolus vocatur à Propert. lib. 2.

Nam rursus licet Ætoli referas Acheloi,
Fluxerit ut magno fractus amore liqvor.

Et Acarnanus Barth. in Aristiade.

Leucaten Agrosq; & Acarnano Acheloo.

Mantuan :

Sicut Acarnano est de flumine fama deoq;.

Hoc nomen à veteribus qvoqve pro qvavis aqva usurpatum est, qvod hic fluvius omnium primus post diluvium terram eruperit. Unde Virgil. lib. 1. Georg.

Vinum Acheloo Liberum patrem misisse,
Poculaq; inventis Acheloia miscuit undis.

Hinc antiqvorum fuit consvetudo, ut aqvas omnes, qvæ vini mistionibus essent aptæ, Acheloi nomine vocarent, qvare Achæus Satyros introducit, ægrè ferentes potum aqvosum in Æthone Satyrico, atqve ita aqvas Acheloum nominantes :

An mistus Achelous fuit non plurimus ?
Cessare stirpi cujus haud qvaqvam licet.
Certe bibisse more præstaret Scythæ.

Pu-

Plutarchus in libell. de flumin. Theſtium à Theſtio Martis & Piſidices filio vocatum fuiſſe fluvium ſcribit. Poëtæ fabulantur, filium fuiſſe Oceani & Nymphæ Naidis. Alcæus Oceani & Terræ filium eſſe ſenſit, ac *Hecatæus* Solis & Terræ. Nymphis in primo Heracleæ Thetidis & Terræ. Fingunt præterea ipſum Tauri forma gemino cornu inſignitum cum Hercule Deianiræ cauſa, qvæ erat Oeneo Ætolorum regis filia certâſſe, & ad extremum excuſſo altero cornu ſuperatum in fluvii formam tranſiſſe. Hinc. Ovid. in Deianira.

Cornua flens legit rapidis Achelous in undis,
Truncaq; limoſa tempora merſit aqva.

Hinc & Luctator vocatur à Sidon.

Luctator fluvius canis triformis.

Hic fluvius in mare Echinadum inſularum influit, ut teſtatur Herodotus in Euterpe, qvarum dimidium prope continentem fecit. Superiora iſta de Acheloo fabuloſa memoriæ ſunt tradita. Oceani vel Thetidis filius vel Solis fuit & Terræ, qvia omnes fluvii ex Oceano naſcuntur, & ex fontibus locisqve ſub terra cavernoſis, cum igitur mutua ſit Elementorum inter ſe viciſſitudo mutationis, ſolisqve radii ex Oceano & Terræ ſuprema parte vapores excitent, inde nives & grandines, & imbres gignuntur, ut ait Ariſtotel. metereol. ex qvibus fit incrementum fluminibus. Qvare filius Oceani dictus eſt. Terra ejus mater dicta

dicta eſt, vel qvod ea in aqvam, ut in propinqvum elementum ſolvatur, vel qvia ex incluſo aere in ipſa terra naſcantur fluvii cum in aqva mutatur. Alii crediderunt vim eſſe optimarum aqvarum Acheloum, ſicut teſtatur in ponderibus Aſiæ Ephorus (vel oracula dodonæa, nam in omnibus ferè reſponſis jubere ſolitus eſt Deus ſacrificari Acheloo : qvare permulti in eam opinionem inciderunt, ut non fluvium per Acarnaniam defluentem, ſed univerſum vim aqvarum Acheloi nomine ab Oraculo vocari crediderint.) Erat enim illa ſacrificantium conſvetudo, ut in omnibus ſacrificiis aqvam illam, qvæ ſacris abhiberetur nominarent Acheloum, qvod teſtatur paulo poſt idem Ephorus (maximè verò inter jurandum & in precationibus, & in ſacrificiis aqvam Acheloum nominare conſvevimus.) Cur Tauri formam ſumſerit ? Fuit Poëtarum conſvetudo, ut fluvios Tauris ſimiles effingerent, qvoniam cum impetu irrumpentes tauris ſimilem edant mugitum, vel ut Hellanicus ſenſit, qvia terram ſulcare tánqvam boves ſolent, vel ut aliis placuit, qvia circa ripas fluminum tauri mugire ob uberiora paſcua audiantur. Fingitur itidem factus Draco ut teſtatur Sophocl. in Trachin.

Flumen fuit Procus *mihi : Acheloum fero*
Formis tribus, qvi me petivit à patre
Taurus, deinde pluribus ventrem notis
Pictus draco, vir indè, cui caput bovis

Men-

Mento fluebant rivuli potabilis
Undæ nitentis fontibus ſimillimi.

Qvia ſinuoſo curſu deferuntur flumina, cum idem asſiduis aliqvando imbribus non augeatur ac placidus ſit, humana forma fingitur : at ob ſonitum Taurino capite. Qvod verò Hercules illi fluvio taurinum cornu defregiſſe dictus eſt, inde eſt, ut ait Strabo lib 10. Hercules Oeneo affinitate conjunctus, & in omnes mortales beneficus fluvium temerè, & cum impetu regionem infeſtantem aggeribus, & aqvæ ductibus coërcuit, & extenuavit, eamqve aqvam in multos rivulos deductam, qvæ prius regionem laniabat, utiliſſimam reddidit. Fluvius igitur paulatim exiccatus eo pacto fabulæ locum dedit, qvæ in honorem Herculis ficta eſt. Hæc de fabula illa excellentiſſ. Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 2. recenſet.

CONCLUSIO IV.

Adonis.

FLuvius qvi per Libanum defertur, diciturqve cruentus fluere, qvo tempore Adonia agebantur. Nat. comes lib. 5. Mythol. c. 16. de Adoni lib. 4. c. 13. de Venere circa fin.

CONCLUS. V.

Allia.

ESt flumen Italiæ regionis Hetruriæ non procul à Caſtro S. Qvirici vulgo Paglia dicitur, tranſitus ejus ſæpisſim è maximi eſt periculi ſed

ſed anteqvam illud incipias transvadare. Centinus tibi pons, ubi olim Sentina caſtrum, cujus Cato mentionem fecit, nunc verò pagus obviam fiet, & pons dicitur, qvia propè hic flumen transmeatur. Apud qvod Brennius dux Senonum multa Romanorum millia profligavit. Hinc Lucanus.

Et damnata diu Romanis Allia fuſtis.

CONCL. VI.

Albula.

FLuvius eſt, ex Apœnno Romam fluens ab albo colore ſic dictus. Hodie autem Tyberis à Tyberino Sylvio Albanorum Rege ibidem ſubmerſo dicitur. Hinc Virgil. lib. 5. Æneid.

--- *Amiſit verum vetus Albula nomen.*

Et Mantuan. *Qva fluit Hetruſco ſurgens vetus Albula fonte.*

Et incertus Autor de Româ.

Albula Romani reſtat nunc nominis index.

Antea alba & candida fuit. Poſtqvam autem ſubmergebatur in ea Tyberinus Sylvius ſemper turbida extitit, & nomen ab eo accepit Tyberis. Dion. Halicarn.

CONCL. VII.

Alma.

FLuvius eſt urbi Romæ vicinus apud qvem Romani olim ſacra Cybeles faciebant eodem ritu qvo Galli ſacerdotes in Phrygia ſimulacrum Deæ cultisqve victimarius ibidem facientes

Stat

Stat. Qvaqve Italo genitus Almone Cybele
Ponit & Idæos jam non reminiſcitur amnes.

CONCL. VIII.

Alphæus.

DE Alphæo vel qvis fuerit vel qvibus parentibus natus, varii varia ſcripſerunt, omnes tamen ferè poſt mortem in fluvium nominis ſui mutatum memorarunt. Eſt autem Alphæus fluvius Elidis civitatis Arcadiæ juxta piſam decurrens, qvi longo curſu in Achaia demergitur, ibiqve terra abſorbtus, & ſubter mare defluens ex Græcia decurrit, ad Arethuſam fontem Siciliæ, ubi in mare Siculum cadit. Hinc Poetæ fabulantur Arethuſam fuiſſe Nympham, cujus amore Alphæus per ſubterraneos cuniculos ad eam commigraverit. Unde Claudian.

Et Alphæus Geticis anguſtus acervis,
Tardior ad Siculos etiamnum pergit amores.

Virg. lib. 3. Æn.

Alphæum fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare qvi nunc
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur undis.

Dicitur & advena, qvia ex Græcia tendit in Siciliam. Claudian.

Qvas Arethuſa latices, qvas advena nutrit,
Alphæus ſtudio notus olympiaco.

Latius ejus memorata recenſet Natal. comeſ. libr. 8. Mythol. c. 21 ubi inter alia refert eruditam eſſe qvam Alphæi fluvii fuiſſe ſacrificiis accommodatiſſimam, qvoniam Alphæus amnis eſſet gratiſſimus Jovi. Porphyr. lib. 1. de

ſacrif.

ſacriſ. qvoniam vim qvandam præcipuùm purgando fluvius ille creditus eſt habere unde & nomen obtinuit, nam cum ejus aqvæ irrigatio maculas purget, qvas ἄλφους nominarunt, ut ait Strabo, lib. 8. atqve vocatus eſt Alphæus à ſanandis impetiginibus, cum prius Ariger vocaretur. Hunc fluvium nonnulli pro Deo coluerunt, cui & ſtatuam & communem aram cum Diana erexerunt.

CONCL. IX.

Amphiaraus.

FOns erat in Oropiorum agro Amphiarai, & Apollinis templo proximus, ejus aqva neqve ad luſtrandum neqve ad lavandas manus uti fas eſſe cenſebant, tanta erat antiqvorum in rebus ſacris ritè peragendis induſtria ac diligentia. Nat. Comeſ. lib. 1. c. 10. de ſacrificiis ſuperorum deorum.

CONCL. X.

Anio.

SEu Anien. ſive Anienus fluvius eſt Italiæ, qvi in monte Trebianor. ortus lacus tres noviles defert in Tyberim, & decurrens per agrum Tyburtinum facit Cataractum in Tybure oppido Tivoli vulgò qvod dicitur, ubi miraberis præcipitem hujus fluvii ex altis rupibus lapſum, & ut

---- Præpete curſu.
Fument ac multa ſudent adſpergine cautes.

Vix unqvam igitur ibi nebulæ ventiqve deſunt.

&

& qvemadmodum aſcendentes à cataractis in altum nubes ſudo ſerenoqve cœlo, ſic & in ſolem objectæ irides freqventisſime procul intuentibus apparent, fama xeterumq; ſcriptis hic fluvius celebris eſt Tres illi nobiles oppido ipſis ſubiecto nomen Sublaceum dederunt Eos Tacitus Simbriviana ſtagna videtur appellare ſcribens annalium 14. ap. illa fuiſſe Neronis villam Sublacenſem in finibus Tiburtium. Cujus etiam Frontin. de aqvæd. meminit. Inde per montes & ſylvas decurrens Anio juxta Tybur ex editisſimis rupibus præcipitatur in ſubjectos campos maximo cum fragore molas aqvarias plurimas variis locis exercens. Alicubi inter ſcopulos, & ſaxa delapſus magnam ſui partem recondit, qvam alibi tamen in deſcenſu largiter revomit. Qvin ad montium radices per imam planitiem è gelidis venis ſulphureis per ſubterranea metalla derivatis ſparſim erumpit, qvas Albulas vocant à colore ſeri lactis cui ſimiles videntur medica virtute multa pollere dicuntur tam in potu qvam balneis , ut etiam Srabo teſtatur. Plinius eas vulneribus mederi ſcribit. Neqve ſolum Albulæ, ſed & Albuneus ſupra Tybur, atqve Anien ipſe vi ſua qvadam naturali conſolidant, & adglutinant corpora qvævis, verum & virgulta, ligna, folia vel herbas aliaqve ſolidiora qvæ perfluere contingit, cortice lapideo ſenſim obducunt. Hoc minus videbitur mirum, latumias ac montes in agro Tyburti circum Anienem diligenter contem-

plantibus. Apparebit his etenim, qvod etiam ſcopuli cauteſqve ſeculorum ſucceſſu ex aqvis ibidem concreverint, & in planitie lacus, atqve paludes multis in locis, in ſolidum lapideumqve ſolum.

CONCL. XI.

Araris.

SIve Arar fluvius eſt Galliæ Narbonenſis defluens in Rhodanum, adeò lentus ut ſit difficile judicare utram in partem defluat, noſtro tempore vocatur Sagona. Jul. Cæſ. comm. de bello Gallic. lib. 1. Flumen eſt Arar; qvod per fines Heduorum & Seqvanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis in utram partem fluat judicari non poſſit. Paulo infr. Cæſar hoc prælio facto reliqvas copias Helvetiorum, ut conſeqvi poſſet, pontem in Arare faciendum curat atqve ita exercitum traducit.

CONCL. XII.

Aſopus.

AMnis (cujus originem juxta ſcriptorum ſententiam recenſet Nat. Com. lib. 8. cap. 16.) Thebanorum, qvi ſuos fontes habuit in Arethyræa, Trachiniamqve Scolum vocatam præterfluebat, qvi cum fulmine ictus fuiſſet, remiſſus eſt in ſua fluenta, & diu poſtea carbones devehere ſvevit, ut ait Apollod. lib. 3. Ab hoc fluvio univerſa regio in agro Thebano juxta Citheronem montem Aſopia vocata fuit, ut eſt apud Strabon. lib. 9. Pauſanias ſcripſit in Co-

Corinthiacis Aſopum amnem in finibus Phliaſiorum ſuos ortus habuiſſe, qvi per Sicyoniorum agrum lapſus in mare intrat juxta Corinthum. Atqvi cum multi fuerint Aſopi rationi convenit, & varias regiones & varios ortus illis fuiſſe aſſignatos. At finxerunt antiqvi Aſopum fuiſſe hominem, cui actiones iſtas tribuerunt. Alii hominem fuiſſe verè crediderunt, qvi qvoniam terram fortè excavans Aſopi fluvii fontes reperiſſet; obtinuit ut fluvius de ſuo nomine diceretur.

CONCL. XIII.

Athefis.

FLuvius eſt Italiæ celeriter fluens, & cadens in mare Adriaticum. Ex Tridentinis Alpibus defluit, planitiemqve à collibus dividit, adſpectum habet pulcherrimum, maximèqve admirabilem placido ac fluctuoſo agmine, hic totam regionem irrigat, urbem Veronam duobus ad altiora loca rivulis ductis. Veronam ex Germania & Venetiis hoc flumine variæ merces convehuntur, priſtina in urbe & extra multa, aliaqve ad hominum uſus ædificia accommodata. Qvatuor tranſitur pontibus miro artificio confectis, qvorum qvi in arce eſt arcubus duobus antiqvitate, & elegantia operis admirandis eſt auctus, ubi ſitus ad adſpectum præclarus, nec Europam pontem alium magis affabre aut magnificenter extructum habere putat Fr. Scottus in itinerar. Italiæ p. 1. de Verona.

CONCL. XIV.

Avernus.

Lacus in Campania Homeri, Maronis aliorumqve celebrium Poëtarum carminibus Illustris & à Strabone pluribusqve diligenter descriptus propter Saturnia veterum somnia atqve superstitiones, qvib. persvasum fuit, qvod illic

Noctes atq; dies patet atri janua ditis.

Accessum videlicet ad inferos ibidem fuisse, evocari manes humana cæde dirisqve sacrificiis solere, nec non antiqvissimos accolas Cimmerios sacerdotes oracula petentes advenas inde per specus subterraneos ad Plutonem duxisse. Vulgoqve nunc etiam persvasum est, per vicini montis viscera, qvem idcirco Sibullæ vocant aditum, patere ad Cumanæ Sibyllæ penetralia subterranea, in qvibus operatam sacris oraculaqve dedisse ferunt, qvæ Leander Albertus in Italia sua non minus diligenter qvàm eleganter descripsit. Hæret adhuc opinio nunc temporis apud Campanos atqve vulgus imperitum ab averno vel inferis istac Christum Salvatorem nostrum morte per mortem domita retulisse spolia opima, sanctorumqve patrum animas ex inferis carceribus extractas per montem Averno & novo monti vicinum traduxisse, qvi propterea Christi mons nunc etiam appellatur. Suffragantur huic opinioni veteres item Poëtæ qvidam de balneis puteolanis scribentes, ut Alcadinus:

Est locus effregit qvo portas Christus Averni,
E sanctos traxit lucidus inde patres.

Item Eustasius qvidam.

Est locus Australis qvo portam Christus averni
Fregit, & eduxit mortuus inde suos.

Qvin etiam creditum fuit, ob propinqvas circumqvaqve ferventium aqvarum scaturigines lacum istum ex aqvis stygiis vel infernis Acherontis fluvii venis ortum habere suum, ideoq; vocari qvoqve paludem Acherusiam, nec ab eadem opinione Maro Poëta discrepare videtur canens:

--- Qvando hic inferni janua regis,
Dicitur & tenebrosa palus Acheronte refuso.

Sed hanc auxere vanam credulitatem tam locorum conditio, qvam naturæ rara miracula vulgò stupenda, qvod abruptis ferè montibus cinctus in profunda valle lacus olim sylvarum densitate tenebrosus horridus & incultus accessum vix admitteret, ventisqve difficulter pervius tetros ab imo sulphureosqve exhalaret odores, qvibus supra volantes aves enecabantur. Hinc etenim Latinis Avernus Græcis Ἄορνος qvasi sine avibus lacus semper nuncupatus fuit, & proavorum qvoqve memoria ex imo telluris pestilentes in lacum prorupisse venas è subterraneis vicinis incendiis testatur. & Joann. Bocatius in libell. de lacubus scribens se vidisse Roberti regis temporibus ejectam ex Averno lacu, in littora magnam piscium

mortuorum vim, qvos scaturigo recentis alicujus noxiæ venæ sulphureæ in lacum immissæ vi sua repente necasset, qvemadmodum ex atro piscium colore, nec non gravissimo odore sulphureo vix accessum hominum admittente, colligi tum facilè poterat. Virg. lib. 6. Æn.

Spelunca alta fuit vastoq; immavis hiatu
Scrupea tuta lacu nigro nemorumqve tenebris.
Qvam super haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis talis sese halitus atris.
Faucibus eructans supera ad connexa ferebat,
Unde locum Graji dixerunt nomine Avernum.

CONCLUSIO XV.

Bethis.

FLuvius est qvi ex agro Taraconensi demissus mediam Hispaniam perfluit, mox mari propinqvus lacum efficit magnum, ac demum orientalem intrat Oceanum, ab hoc regio Bethica vocata est. In eo tingebantur olim lanæ pulchro colore, unde Mart.

Bethis olinifera crimen redimite corona,
Aurea qvi nitidis vellera tingis aqvis.

Jul. Cæs. de bello Hispaniensi lib. 6. Cæsar cum ad flumen Bethini venisset, neqve propter altitudinem fluminis transire posset, lapidibus corbes plenos demisit, ita insuper ponte facto copias ad castra tripartito traduxit.

CONCLUS. XVI.

Benacus.

LAcus Lombardiæ qvem Gardæ à Gardâ oppido

pido Itali appellant. Benacus â Piſcheria, qvæ eſt ad meridiem expoſita ad ripam usqve, qvæ ad Septentrionem 35. paſſuum millibus in longitudinem terram interſecat, In latitudinem verò à Salodio ad Occidentem ſito & Garda aut Lagiſio ad Orientem 14. paulò amplius. Adeò procelloſus eſt ut montium inſtar undas extollat maximumqve periculum, qvibusdam anni temporibus navigantibus intentet. Hujus rei cauſa montibus undiqve eum ſepientibus ventosqve intercludentibus adſcribitur. Hinc Virgil.

Fluctibus & fremitu aſſurgens Benace *marino.*

In hoc lacu nobilium piſcium magna vis Troctarum in primis & Carpionum qvos dicunt aurum paſcere, nec alibi qvam in lacu portæ apud Soram in Brutiis inveniri angvillarum, præterea de qvibus Plin. plura ſcripſit. Incipit ut dictum lacus à piſceriâ in ripâ, qvæ ad Veronenſes pertinet magna habens oliveta, angulumqve facit, ubi Garda eſt ad Occidentem vergens, â piſceriâ verò ad 8. milliare vaſtigiata terra, ita in illius undas excurrit, ut duobus millibus paſſuum ipſum lacum dividere videatur. In hâc terra Sarmion eſt antiqva Poëtæ Catulli patria nunc exiguum oppidum, ſed deliciis abundans. Hunc Lacum olim Strabo, noſtro tempore Julius de Julio à Cœnobio I. C. Gregorius Jodocus Bergomas Monachus, S. Zenonis Vironæ

& Alb. Leander, prolixa deſcriptione decantârunt. Sabell. decad. 3. lib. 2.

CONCLUSIO XVII.

Byrſa.

ORitur in Helvetiis non procul à Pierre porta. Eſt rupes à J. Cæſ. ſciſſa ſic dicta, qvaſi Petra pertuſa, in qvâ hæc leguntur.

Numinis Auguſti via ducta per ardua montis,
Fecit iter petram ſcindens in margine fontis.

De qvà Munſter. in Coſmogr. de Helvetiis, hic fluvius prope Baſileam Rheno immiſcetur, & oſtenditur Baſileæ in curia lamina ænea augmentum & altitudinem ejus notans.

CONCLUS. XVIII.

Cocytus.

FLuvius eſt inferorum, qvem qvoqve defunctarum animarum multitudini tranſeundum eſſe fabulati ſunt antiqvi, priusqvam ad inferos deveniretur. Hic fluvius ex qvo illabatur, & unde oriatur, ita patefecit Plato in Phædone, (hic vero huc delatus magnasqve vires ab aqvâ aſſumens terramqve ingreſſus, ac circumvolutus contrarius fluit pyri phlegetonti, illiqve fit obvius in ſtagno Acheruſiæ, neqve hujus aqva cum aliâ comiſcetur, ſed in gyrum circumvolutus in Tartarum erumpit pyriphlegetonti adverſus. Ipſius autem nomen eſt, ut ajunt Poëtæ cocytus.) dictus eſt autem Cocytus à qverelis & lamentationibus, ut nomen ipſum ſignificat, & veluti teſtatur Plato in 3. lib. de republ. qvia pleriqve morituri poſt com-

commissorum pœnitentiam lamentantur, qvod illa contra Dei opt. Max. omnium parentis leges commiserint. Alii maluerunt dictum esse qvia qveruntur, & graviter ferunt, qvod res charissimas sint relucturi, alii ob lamentationes conjunctorum dictum putant hunc fluvium, qvi morituris est transeundus, neqve potest qvisqvam ad inferos accedere, nisi per hæc flumina, vel ut verius per turbulentissimas has animi cogitationes, qvas antiqvi per suas fabulas significârunt.

CONCL. XIX.

Danubius.

FLuvius Germaniæ insignis qvi & Ister dicitur. Oritur in Barre, fluit per Sveviam, Banariam, Austriam, Ungariam & Bulgariam acceptis 66. amnib. in Pontum Euxinum, multas præclaras atqve insignes urbes præterfluit ex monte, qvi Irenæus dicitur, non longè à Rheticis Alpib. Athesisqve & Rheni Germaniæ fluminum fontibus inter Tridentinam, & Curiensem diœceses oriens Germinos sinistra & Hungaros ac Teutones dextra alluens. Post Ister dictus ac iterum Danubius, Euxino mari pluribus hostiis immergitur. Hunc autem & Rhenum fluvium in Rhetia oriri qvidam tradunt. Raim. Mælianus in Judic. in Comment. 1. Cæsar.

CONCL. XX.

Erydanus

Fluvius est Italiæ cognotissimus, qvi alio no-

mine Padus vocatur, de qvo Plinius & Solinus multa memorant, effundit se per septem hostia autore Pomponio Mela. ortum capit in imis radicibus. Vesuli montis. Collectis multis amnibus tam citus prosilit, ut discussis illis diu qvalem solus emisit, undam agat. suum etiam in mari alveum servet. Campos ubertate fœcundat autore Plinio. Nomen a. sumsit à Phaetonte, qvi prius dicebatur Erydanus, ibidem submerso.

CONCL. XXI.

Ganges.

Indiæ fluvius est incertæ originis. Tendit in orientem, augeturqve fluviis navigalibus, demum septem ostiis erumpit in mare. Tantæ magnitudinis est, ut ubi minus occupat latitudinis, octo millia passuum contineat ubi plurimum centum altitudinis nusqvam minus 20. passib. reperitur. Hunc Cyrus rex Persarum in 460. alueos dimisit ob amissum ibidem eqvum præcipua bonitate.

CONCLUS. XXII

Indus.

CEleber flumen terræ Indiæ nomen, qvod dedit suum oritur in montibus Tauri septentrionem versus. Labitur in mare rubrum, augetur acceptis 19. fluminib. in latitudine studia continet 50. & in profunditate 15. pass.

CONCUS. XXIII.

Iordanes

FLuvius per qvam celebris in palæstina in qvo Chri-

Christus JEsus Salvator & redemptor noster à Joanne Bapt. baptizatus est.

CONCL. XXIV.

Lemannus.

LAcus est Galliæ Cisalpinæ per qvem Rhodanus Ararim deferens rapitur. Is Heluetios à Gallia separat, suisqve accolis Lemannorum indidit nomen autore Sulpitio. Meminit ejus I. Cæs. de bello Gallico lib 1. Hodie etiam lacus Lausanæ dicitur, qvem Rhodanus ad pontem Gebennæ urbis effluit. Lucan. Solin. c. 8. Amnis hic inqvit, præcipitatus Alpib. primo per Helvetios ruit, occursantium aqvarum agmina secum trahens, auctuqve magno ipso qvod invadit, freto turbulentior, nisi qvum fretum ventis excitatur.

CONCL. XXV.

Lethe.

EST fluvius inferorum, cujus aqva pota præteritarum rerum oblivionem fertur inducere alluit civitatem fabulosam somni, qvam Nyctiporum appellant, cujus cursus tacitus est, & oleo per similis. Nascitur è duobus fontibus in obscuro, & nulli cognito loco scatentibus qvarum alter Pannychius alter Negretus appellatur. Nat. Comes eleganter perqvam in Mytholog. *lib. 3. c. 14.* De somno. Dicitur autem Lethe oblivio, qvoniam animæ in corpora lapsuræ originis divinæ fontisqve ac dignitatis suæ singulæ obliviscantur. Cum ad inferos igitur animæ descenderint, diuqve fuerint in Campis Elysiis an-

anteqvam ad ſupernum ſolem tranſmittantur, dicuntur aqvam fluminis Lethes bibere, ut omnium præteritorum obliviſcantur. Ut ait Virg. lib. 6.

--- Animæ qvibus altera fato
Corpora debentur Lethæi ad fluminis undam.
Securas latices, & longa oblivia potant.

Bibebatur autem duplici de cauſa aqva Lethæi fluminis, tum ut obliviſcerentur animæ illarum deliciarum, qvibus fruebantur in Campis Elyſiis, tum etiam ut fierent immemores illarum moleſtiarum, qvas antea in vita pertuliſſent, qvarum rerum ſi perduraſſet memoria, nemo reperiretur, qvi vellet reviviſcere, aut qvi cum primum poſſet, non vel ſibi ipſe manus inferret, &c.

CONCLUS. XXVI.

Lyppia.

FLuvius Weſtphaliæ, non procul à Paderborno inter Lyppiam & Amiſiam fl. ubi Qvintilius Varus tribus legionibus cæſis ſibi ipſi mortem conſcivit, earum oſſib. ſexennio poſt ſepultis Germanicus Imp. Rom. tale Epitaphium eo in loco poſuit.

OSSA mil: V. & XIX. Leg. cum Qvintil. interfect.
Juſſu Germanici Imp. huc collata qvieſcunt.

CONCLUS. XXVII.

Lugans.

SIve lacus Cyrknicenſis in Carnia, qvem Ortelius in Theatro orbis terrarum, non ſolùm ele-

elegantiſſimè depinxit, ſed etiam ita ex *Lazio* & Vernero deſcripſit. Hic locus (ſic eum voco nam an lacum vivarium , aut arvum rectius appellarim neſcio) annis ſingulis frumentum piſcationem & venationem exhibet. Clauditur is circumqvaqve montibus patet ad ſeſqvimilliarium minus laxa latitudine, plerisqve in locis decem & octo cubitos altus eſt,& ubi minimum profundus , æqvat juſtam humani corporis menſuram.Ex montibus circumpoſitis rivi qvidam ignobiles procurrunt, ſuo qviſqve alveolo,abOrientali qvidem plaga tres ab auſtrali qvatuor.Singuli qvo longius fluunt, hoc minus ſcatent aqvis terra nimirum ipſos cohibente, donec poſtremo abſorbeaniur ſcrobibus ſaxeis ita natis, ut humano operæ exciſæ videri poſſent. (Argo nautarum navigationis ſubter terram argumenta hæc putat Lazius) Hic aqvis redundantibus ut recipi non poſſint fit ut regurgitent ſcrobes, neqve ſolum nihil aqvæ admittant,ſed etiam qvicqvid receperint, effundant tanta celeritate,ut refluxûs impetum eqviti qvamvis expedito & fugienti ægrè effugere liceat. Ita qvocunqve patet locus, diffunduntur aqvæ & lacũ efficiunt.Hæ aqvæ non minus ferè celeriter recedunt,qvũ acceſſerunt, ſed non per ſcrobes illas tantũ, ſed univerſa penè terra eas non aliter recipiente, qvam ſi per cribrum diffunderentur. Qvod cum fieri ſentiunt accolæ, continuo grandioribus ejus meatib. qvoad fieri poteſt , obſtructis agminatim ad-

advolant ad piſcationem, qvæ ipſis non modo jucunda, ſed etiam perfructuoſa eſt, nam hi piſces ſale conditi magna copia ad vicinos expontantur. Porro ſiccato lacu fit meſſis, qva parte ſolum conſitum, & idem rurſus conſeritur anteqvam invendet. Graminis ita eſt ferax, ut poſt vigeſimum diem ſecari ſoleat. Qvis hic ludentis naturæ miracula non ſuſpiciat? Eandem hanc narrationem totidem verbis invenies in oper. ſuccif. ſive meditat. hiſt. D. Philippi Camerarii c. 62.

CONCL. XXVIII.

Maria.

QVanqvam maria plura eſſe legantur, verius eſt unum ubiqve mare eſſe, ut auctor eſt D. *B*aſilius exemero homil. 4. Mare inqvit unum eſt, vel ut narrant ii, qvi terram perluſtrârunt, etiamſi Hyrcanium & Caſpium qvidam per ſe circumſcripta eſſe putent: attamen ſi qvid credere oportet illis, qvi Geographiam conſcripſerunt, inter ſe mutuo perforata ſunt, & ſimul omnia ad maximum mare concidunt, qvemadmodum etiam rubrum mare dicunt, ad id qvod ultra Gades eſt, connecti. Qvomodo igitur ſcriptura dicit: Deus congregationes aqvarum appellavit Maria, qvia in congregationem unam aqvæ concurrerunt: Stationes autem aqvarum, hoc eſt ſinus juxta propriam figuram à circumſitâ terrâ comprehenſos, Maria Dominus appellavit: Mare Septentrionale, mare Auſtrinum, mare Orientale

tale & Occidentale, rubrum aliud eſt: & nomina Pelagorum propria ſunt, pontus Euxinus Propontis, Helleſpontus, Ægæum & Jonium. Sardonicum Pelagus & Siculum & Tyrrhenum aliud eſt, & infinita ſane nomina Pelagorum ſunt, qvæ ſingula enumerare exactè longum fuerit & ineptiarum plenum, ob id nominavit Deus congregationes aqvarum Maria. *Hæc* ille.

CONCLUS. XXIX

Adriaticum

SIve potius ſinus maris mediterranei, eſt illud in qvo Venetiæ ſitæ ſunt, vulgo Golfo di Venetia, qvi ſinus à mediterraneo Ionio mari dicto verſus Circium extenditur ultra 150 milliaria Germanica.

CONCLUS. XXX.

Ægæum.

Sinus maris mediterranei extenditur à meridie verſus Septentrionem vocatur, & Helleſpontus à regione Græciæ. Item Propontis. Item Boſphorus. Item mare Georgii ubi Conſtantinopolis ſita eſt, fluit in Aſiam verſus Judæam, Galilæam, Syriam &c. ibiqve alia ſortitur nomina.

CONCL. XXXI.

Athlanticum Gaditanum.

DIcitur verſus montem Athlanta ab Occidente, ubi Hiſpaniam Mauritaniamqve diſterminat.

CONCL. XXXII.

Æthiopicum Arabicum.

SOlenius vocat verſus Orientem, Euſtatius ver-

versus meridiem, proprie est mare Erythræum five Rubrum. Unde vero sic dictum Geographi haud consentiunt, aliqvi volunt à rubro sic dictum colore, qvia arena in ripa & in imo rubra fiet, alii ponunt apparere rubrũ ex ad spectu rubrorum montium adjacentium. Strabo vero in lib 16. scribit nomen habere non à rubro colore, sed à rege Erythra qvi fuit filius Persei qvi Medusam filiam Porci interfecit & Andromedam liberavit. Nam qvia hoc mare juxta hunc regem Erythræum, qvod in Græca lingua Rubrum sonat, dictum est, tandem ex imperitia mare rubrum appellatum: per hoc mare Israelitæ bonam partem migrarunt, qvando ex Ægypto per Mosen deducti sunt.

CONCL. XXXIII.

Caspium.

Sive Hircanum Sinus Oceani in Asia ubi Septentrionalis Oceanus prolabitur per longum & angustum sinum in Asiam, & extendit sese prope regionem Hircaniam, & dicitur mare Caspium. Pompon. Mela. lib 3.

CONL. XXXIV.

Eoum.

Sive Indicum ab Oriente.

CONCL. XXXV.

Gallicum.

Versus Galliam

CONCL. XXXVI.

Glaiale.

Sive mortuum versus Septentrionem, qvod

Pto-

Ptolomæus Sarmaticum vocat, qvoniam sol & tardos, & imbecillos radios supra hoc mare transmittit.

CONCL. XXXVII.

Ionium.

Est mediterraneum illud, qvod supra Græciam fluit. Ast versus Favonium ad Peloponnesum, & Græciam ex qvo mare Adriaticum oritur.

CONCL. XXXVIII.

Icarium.

Sive Indicum ab Icaro sic dictum.

CONCLUS. XXXIX.

Libycum.

Qvod & Æthiopicum.

CONCL. XL.

Ligusticum.

A Liguria regione sive Liguribus in parte versus Hispaniam, Galliam Cataloniam, Narbonam, & Longedocam. Item Mare superum.

CONCL XLI.

Mediterraneum.

Ortum suum habet versus Septentrionem ultra Hispaniam, ubi Oceanus per duos montes illos, Columnæ Herculis qvi dicuntur, erumpit. In hoc mare projectus est Jonas Propheta Ion. c. 1. Iosephus in 7. antiq. putat evomitum in mari Euxino.

CONCL. XLII.

Myrtoum

Mari Myrtoo non à Myrtilo, ſed à Myrtone puella ibi ſubmerſa nomen inditum fuiſſe, teſtatur Duris Samius.

CONCL. XLIII.

Oceanus.

Eſt unicum illud mare qvod terram circumagit, & cum ea rotundam perficit ſphæram, in qvo tres partes terræ Europa, Aſia, Africa, tanqvam Inſulæ jacent, & hoc eſt mare ex qvo omnia alia maria & flumina veniunt, nam omnia alia flumina fluunt ex mari, & iterũ refluunt in illud, ut ex ſacris & phyſicis docetur *Eccl.* 1. Unde & à Poëtis fluviorum & animantium omnium & deorum pater vocatus eſt, de qvo pulchrè Nat. Com. Mythol. lib. 8, c. 1. de Oceano.

CONCL. XLIV.

Tyrrhenum.

Verſus Italiam, qvod & Tuſcum, Hetruscum item mare Inferius dicitur. Hæc de maribus, ſeqvuntur alia flumina.

CONCL. XLV.

Matrona.

Fluvius eſt Celtas à Belgis definiens in finibus Lingonum, & prope Tullenſem agrum nec longe à fonte Moſæ fluminis oritur Catalaunum civitatem Epiſcopalem in Campaniæ Franciæ, interfluens per Francorũ regnũ prorſus labens pa-

parum ſuper Pariſienſem urbem Seqvanæ fluvio miſcetur, vulgo dicitur Marne.

CONCL. XLVI.

Melas.

Fluvius magnus ac ſolus è cunctis Græciæ fluminibus à fonte navigiorum patiens, & tanqvam Nilus incrementum per ſolſtitium æſtivum accipiens, non longè excurrens maxima ex parte in occultos lacus extinguit, & exiguam ſui partem, cum Cephiſo amne commiſcet, ut ait Plutarch. in vita Syllæ.

CONCL. XLVII.

Mincius.

FLuvius eſt Venetiarum, qvi ex Benaco ſcaturiens delabitur Mantuam. Claudit Mantuam circuitu paſſuum 20. mill. & ſua majori latitudine habet milliar. duo, ad dextram hujus fluminis Andes vicus, hodie Pietoli vocatur, viſitur, ubi Virgilius poëtarum maximus ſuum habuit ortum, miſcetur cum Pado ad Hoſtiliam oppidum.

CONCL. XLVIII.

Moſa.

FLumen profluit ex monte Vogeſo, qvi eſt in finibus Lingonum in Francorum regno non longe ab ortu Matronæ & Araris fluv. & parte qvadam circa Noviomagum Ducatus Gheldriæ oppidum longe ab Oceano ferè octoginta millia paſſuum ex Rheno recepta, qvæ appellatur Vallis, inſulamqve efficit Batavorum (qvi hodie Hollandini dicuntur) Oceanum influit, ſicqve

qve in Celtis oriens immergitur Belgis. I. Cæſ de bello Gallic. lib. 4.

CONCL. XLIX.

Moſella.

FLu. circa fines Lingonum in Celtis oriens. Merenſem ac Treverenſem urbes præterfluit & confluentiam Germaniæ Cisrhenanæ oppidum interſecat, illicqve Rhenum interfluit Tacitus eſt autor referens Lucium Verum Nerone imperante Romanarum legionum in Germania Legatum Moſellam atqve Ararim flumina facta inter utrumqve foſſa paraſſe connectere, ut copiæ per mare dehinc Rhodano & Arare ſubvectæ per eam foſſam mox flumine Moſella in Rhenum, & in Oceanum decurrerent ſublatiſqve itineris difficultatibus navigabilia inter ſe Occidentis ſeptentrionisqve littora fierent. Cui operi Selium Gracilem Belgicæ Legatum invidiſſe dicit deterrendo Verum ne legiones alienæ provinicæ aſveſceret ſtuderet Galliarum affectare, formidoloſum id Imperatori dictitans, qvo plerumq; prohiberentur conatus honeſti.

CONCL. L.

Marta.

AMnis Hetruriæ effluit ex lacu Volſinio, fluit ad mare, cujus ad dextram Aſcanius Æneæ filius oppidum ædificavit, qvod etiam adhuc eſt & Aſcania olim dicta, nunc Tuſcanella nuncupatur, ſuper ipſius januam nonnulli verſus leguntur de vetuſti, qvi ipſius originem declarant.

Con-

CONCL. LI.

Nar.

FLuv. Italiæ in ducatu Umbriæ, à qvo Narniam appellatam Livius & Stephanus Grammaticus in urbium Lexico testantur, prætergressis urbem apparent à dextris supra Narem admirandi, ac longe conspicui pontis fornices & minæ ingentes qvi duos præaltos, & abruptos montes subter labente flumine solebat cõjungere, ut æqvali via transitus ab Narnia pateret in montem adversum.

CONCL. LII.

Nilus

FL. Ægypti, plurimum trahens limiqvo arva fœcundat. Incerta est ejus origo. Ecclesiastici dicunt eum à Paradyso terrestri scaturire. Variis in locis mutat nomina, septem ostiis infunditur Oceano, arundines profert, qvarum membranulæ similes sunt papyro, nullas expirat auras, Crocodilos nutrit & hippopotami alveum egreditur, & totam Ægyptum stagnantibus alluit undis. De Nili fluminis excrescentia & inundatione, vide Compendium qvod Nonius Marcellus Saja Lucanus collegit.

CONCL. LIII.

Padus.

FLuvius Italiæ qvi & alio nomine Erydanus vocatur. de qvo supr. nomen dedit Patavio insigni urbi q[illegible] alluitur, illicqve parare 20. pass. mill. ad mare influit Leucæ officinæ ubi navigia mercibus onusta rotarum volubili machina ex

aqvis ſublata per aggerem, hinc inde transferuntur, vel è ſtagnis in fluvii foſſam, vel ex fluvio in ipſa ſtagna.

CONCLUS. LIV.

Pactolus.

Fluvius eſt Lydiæ, qvi aureis fluere arenis dicitur ex lotione Mydæ de qvo Ovid.

Rex juſſa ſuccedit aqvæ vis aurea tinxit
Flumen, & humano de corpore ceſſit in amnem.

CONCLUS. LV.

Pyrene.

Fabulantur Poëtæ Dianam per imprudentiam venando Cenchriam Pyrenes Nymphæ filium interemiſſe, qvare cum Pyrene cum lugeret tantam vim lacrimarum profudiſſe, ut in fontem ſui nominis ſit converſa

CONCL. LVI.

Rhenus.

PEr qvam celebris fl. Germaniæ non longe à Danubii & Rhodani fl. fontib. & ferè in medio eorum oritur ex lepontiis qvi à nonnullis, Sarmatæ dicti, Alpes incolunt inter fines diœceſum Curienſis & Tridentinæ, non longe ab Italia longoqve ſpacio per fines Nantuatium qvi hodie Conſtantienſes eſſe creduntur) Helvetiorum & Seqvanorum(ex qvib. ſunt Baſilienſes) & comitatus Ferretenſis Mediomatricum, (hodie Metenſium) qvi tunc usqve ad Rhenum extendebantur Tribotum(nunc Argentinenſium) & Trevirorum citatus fertur Nobilis alluit urbes Scabuſium, Reinfeldiam, Seckingu, Baſileam,

am Argentoratum, Spiram, VVormatiam, Moguntiam, Coloniam, vid. ulterius de Rheno Bernhard. Mullerũ qvi ſex libros de eo ſcripſit, à Geographis tredecim recenſentur pontes qvib. trajiciturRhenus, qvorum unus deſiit. Primus eſt ad urbem Stain ubi Rhenus ex cella ſtagno oritur. 2. ad Diſſenhofen. 3. Ante Scapuſium. 4. Ante Reinovu, monaſterium Benedictinorum. 5. Ante Eglisavu, 6. Ante Keiſerſtal. 7. fuit ante VValtshauſen, deſiit à modo. 8. Ante Lautenberg. ubi ſummis rupib Rhenus prolabitur. 9. Ante Seckingen. 10. Ad Reinfel. 11. Ad Baſileam. 12. Ad Briſacum. 13. Ad Argentoratum I. Cæſ. de bello Gallico lib. 1. p. 2. & de bello Gall. lib. 4. p. 78. Fidem vix capere poteſt, qvod de hujus natura ſcriptum legitur: Ajunt enim fluvium hunc Celtarum infantes intra ſuum ſinum conjectos, ſi pollutæ matris pudicitia ſuſcepti eſſent tanqvam impuri lecti vindicem rapidis vorticibus ſuffocare conſueviſſe: qvos autem ſenſiſſet legitimo & impolluto natos matrimonio inportum placidis aqvis extuliſſe. Hinc Claud. lib. 2. in Ruff.

Et qvos naſcentes explorat gurgite Rhenus

CONCL. LVII.

Rhenus.

FLuvius Italiæ in agro Bononienſi ſuper qvo long' & lapideus pons, In viculo Caſalechii, via qva flumen ſuperatur, & magis ultra repa-

pagulum lapideum fortè & benè coagmentarum vulgò Chiusa fluvium secans, ut aqvis detur locus ad ingrediendum canalem aptissimè incisum & cavum, qvibus civitas artes commodaqve plurima exercet ac recipit, qviqve postea egreditur urbem illabendi gratia Ferrariam.

CONCLUS. LVIII.

Rhodanus.

FLuvius est velocissimus ortum capiens in Alpibus & tardum Ararim proximè Lugdunum secum arripiens, auctus demum Isara & Druentia duobus ostiis in Thyrrhenum mare diffunditur vulgo Rhosne dicitur. Sedunos Veragros Allobrogas, & Galliam provinciam Romanorum à Celtis dispartiens oritur, non longè à Danubii & Rheni fluv. fontibus circa fines Diœcesf. Sedunensis, propè montem cui nunc *B*riga nomen est, & ad *S*edunum Germaniæ urbes decurrens, vicum Veragrorum, (qvi hodiè S. Mauritius dicitur) intersecat lacuiqve *L*emanno (qvem accolæ Lausanensem nominant) admistus & ad pontem Gebennæ urbis eundem lacum egressus, in Lugdunum Viennam, aliasqve urbeis & insignia loca ad Valcas (nunc Avenionenses) prolapsus *L*igusticum mare tribus ostiis influit: Raim. Marlianus in Indic in Cæs. Dictus est autem Rhodanus παρὰ τὸ ῥοδανίζειν propter cataractas, *Lo*din. *M*eth. c. 9.

Con-

CONCLUSIO LIX.

Sala.

FLuv. Thuringiæ Straboni non ignotus, in montium Studitorum eâ parte qvi Pinifer appellatur, fonte exiguo ortus. Descriptionem ejus & urbium oppidorumqve adjacentium eleganter edidit libello Gregorius Groitschius.

CONCL. LX.

Seqvana.

FLuv. prorsus in Francorum regno Celtas postqvam *M*atronâ fluv. sibi immistum est, à Belgis definiens. Oritur propè fines Heduensis ac Lingonensis diœcesum in ducatu Burgundiæ in Alseti regione, non longè à vico Abbatiæ, & monasterii Sancti Seqvani ad Trecensem agrum & Parisiensem urbem delapsus Rothomagum civitatem, & mare Oceanum influit nomen retinens adhuc.

CONCL. LXI.

Styx.

INferorum fluvius post Acherontem ad inferos accessuris se offert. *S*tyx odium est illud erga transacta facinora, qvod pœnitentiam conseqvitur, cum enim peccata præterita odio habere incepimus, tunc dicuntur animæ Stygiam paludem trajicere, qvæ ex Acheronte exoritur pulchrè de eo Nat. Com. lib. 3. c. 3.

CONCL. LXII.

Tagus.

FLuvius est Hispaniæ, qvi ramenta qvandoqve aurea fertur evoluisse Mart. lib. 8.

Non illi satis est turbato sordidus auro
Hermus ut Hesperio qvi sonat orbe Tagus.

CONCL. LXIII.

Tamesis.

FLuv. in Anglia fines interioris regionis â maritimis civitatibus dividens, à mari circiter pass. mill. 80. id uno omnino loco pedibus atq; ægrè transiri potest. & in mediterraneis illis locis Insulæ oriens navigabilisq; Oceanum influit. Meminit Cæs. *de bell. Gall. lib.* 5.

CONCL. LXIV.

Ticinus.

FLuv. percelebris Italiæ in Lombardia Ticino vulgò Papiæ nomen dans, notus â superiori memoria tacta clade qva Franciscus I. Galliar. Rex Ticinum obsidione premens in septis Illis vivarii capacissimi à Caroli V. Imp. Ducib. Lanoio & Borbonio victus prælio captus fuit cum Rege Navariæ & præcipuis Galliar. principibus anno post Christum 1525.

CONCL. LXV.

Tiberis.

FLuv. Romæ qvum prius diceretur Albula nomen sumsit à Tiberino Rege ibid, submerso. Ovid. in ibin.

Utq;

Utq; vel Euenus torrenti flumine mersus
Nomina des rapidæ vel Tiberinus aquæ.

De origine & ortu appellationeqve latius egi in Comment. ad L. Roma. D. ad municip. qvo benignum lectorem felego.

CONCLUS. LXVI.

Tigris.

FLuv. est rapacissimus majoris Armeniæ in certam habens originem Ecclesiastici fontem ejus ponunt in terrestri paradyso. Fabulati sunt antiqvi Sol lacem Armeniæ fluv. in Araxem stagnum influentem dictum fuisse Tigrim, ab ea Tigre qvam concedens Dionysius Junonis consilio furiosus trajecit, cum maria ac terras circumiens remedium affectus qværeret nam cum Jupiter exoratus Tigrim pro lintre misisset, trajecturo mox ad eventus memoriam fluvium ita vocavit. *Nat. Com. lib. 5. c.* 13.

CONCL. LXVII.

Volsinius.

LAcus per qvam celebris in Hetruria ad castrum Volsinii. In lacu duæ Insulæ sitæ sunt. In qvarum una religiosorum patrum parvum est cœnobium, cujus in Ecclesiâ Farnesiorum cadavera sepeliuntur. Imò verò hoc loco *Amalaxuncta Regina* Theodactis Ostro-Gothorum Regis imperio interfecta fuit, qvæ eximiis virtutibus ac morum integritate maxima veneratione extitit digna.

QVAR-

QVARTA PARS HUJUS OPERIS EST DE TERRA,

&

Qvinqvaginta Conſiderationes continet.

I. CONSIDERATIO.

Terra qvartum Elementum.

TErra ſi credamus Ariſtotelis ſententiæ ex Averrois 1. Cœl. confirmatæ inter Elementa ignobilior eſt, & eſt elementum maximè ſiccum & frigidum, denſum & grave atqve immobile. Omnium autem elementorum baſis & fundamentum Terra eſt. Ipſa enim eſt objectum ſubjectum, & receptaculum omnium radiorum influxuumqve cœleſtium: ipſa in ſe continet omnium rerum ſemina, ſeminalesqve virtutes: ideò ipſa dicitur animalis, Vegetalis & Mineralis, qvæ ab omnibus reliqvis elementis ac cœlis fœcundata, omnium ex ſe ipſa eſt gignitiva. Ipſa eſt receptiva omnium fœcunditatum, & veluti prima parens etiam omnium pullulativa centrum & fundamentum, & mater omnium. Tolle de illa qvantumcunqve ſecreta, lota depurata, ſubtiliata, ſi dimiſeris aliqvamdiu ſub divo,

mox

mox cœleſtibus viribus fœcundata & prægnans, ex ſe ipſa producet lapillos, lucidasqve metallorum ſcintillas. In ea ſunt ſecreta maxima, ſi qvando fuerit per artificium ignis purgata; & ad ſimplicitatem ſuam congrua lotione reducta. Ipſa eſt prima creationis noſtræ materia, & reſtaurationis ac conſervationis noſtræ veriſſima medicina.

II. CONSIDERATIO.

Figura Terræ.

PYthagoras & illum ſeqvuti Timæus Locrus atqve Plato, Elementis & cœlis figuras adſignarunt. Et Terræ primum cubum octo angulorum ſolidorum, & viginti qvatuor planorum & ſex baſium, qvadratum in forma teſſeræ dederunt, ut refert Corniel Agripp. *in libr. 2. philoſ. occult. c. 23. de Geometr. figur.* Eſt Terra rotunda ſecundum longitudinem & latitudinem. Non æqvaliter enim ſtellæ oriuntur, & occidunt ubiqve exiſtentibus, ſed citius orientalibus, tardius occidentalibus, & verſus alterutrum polorum procedens eò usqve pervenire poterit, ut ei ſempiternæ apparitionis ſtellæ occultentur, & contra hujus rei argumentum eſt cum Poëta Terræ Tumor:

Et qvantum à ſummis tantum ſecesſit ab imis
Terra, qvod ut fiat, forma rotunda fuit.

Et intelligitur convexa terræ ſuperficies una cum aqvæ elemento. Addo hic Imp. noſtro Romano in comitiis præferri. Sphæram rotundam

tundam Orbis ad significandum, qvod sit Dominus mundi totius prout est Italorum opinio, qvi tenent, qvod Imp. est Dominus totius orbis maximè Glossatorum, ut est Gl. in L. benè à Zenone C. *de qvadrien. præscript. Gl. in c.* per venerabilem. *Qvi filii sint legit. glos. in c. super Specula. Extr. de privileg. gloss. in c. apib. 7. q. 1. gl. in c. Adrianus 63. dist. gloss. in c. venerabilem. de elect. gl. in c. convenior. 23. q. 8. Gl. in c. futura 12. q. 1. gl. in c. si Imperator 96. dist. gl. in c. ult. 10. dist. fac. text. in l. deprecatio. D. ad l. Rhod. de jactu & in l. benè à Zenone c. de qvadr. præscript. fac. text. in l. cum mala. C. de bon. qvæ liber.* Sic divus Augustus pilam in insigni vexillorum habuit, ut orbem Romano Imperio hoc typo subesse indicaret. *Isidor. libr. 17. cap. 3. Orig.*

III. CONSIDERATIO.

Natura Terræ.

ELementum Terræ duas habet qvalitates specificas, qvarum priorem sibi propriam retinet, in altera tanqvam media convenit cum alio. Est autem Terra sicca & frigida, atqve hoc modo secundum qvalitates contrarias, Terra est contraria aëri, adhuc secundum alium modum contraria sunt elementa, nam qvædam gravia sunt, ut Terra & Aqva. Plato secundum alium modum distingvit, & tres unicuiqve assignat qvalitates, Terræ autem obtusitatem, densitatem & qvietem. Et secundum has qvalitates contraria sunt Elementa ignis & Terra. Materia enim elemementaris nobilior est in igne qvam

qvam in aëre vel in cæteris, unde crasſior eſt materia in terra, qvàm in aliis. Nam ibi ſunt plures partes materiæ aggregatæ ſecundum Ariſtotelem, unde dicit: qvod ex uno pugillo terræ fiunt decem aqvæ. Imò materia unius elementi purior eſt in una parte qvàm in alia, ſicut dicit 1. Meteor. Partes enim ignis ſuperiores & ſimpliciores, & partes terræ centrales ſunt craſſiores, compactiores & impuriores. Proprietates Terræ deſcribit Baſilius in Hexam. ſic, Terra inqvit eſt corpus infimum & medium, æqvalibus ſpaciis à cœlo remotum, & ideò cœli centrum à ſapientibus eſt vocatum. Unde & omnium corporum eſt corpulentisſimum, de ſimplicitate & ſubtilitate habens minimum alterum mundi firmatum fundamentum. Corpus natura frigidum & ſiccum qvantitate reſpectu cœli minimum, qvamvis in ſe maximum, qvalitate obſcurum, & ex ſe opacum, ſecundum ſe totum qvietum, licet in ſuis partibus ſæpè ſuſcipiat motum. Propter inſignes autem terræ proprietates nobiles & effectus, error gentilium terram deificavit, & eam divinis honoribus antiqvitus venerari & colere conſvevit ſicut tangit Iſidor. libr. 8. in tractat. de *D*iis gentium & nominibus cap. 13. Cererem Deorum matrem vocaverunt antiqvi terram à creandis frugibus ſic dictam, eò qvod omnia cibat & nutrit indigentia alimento. Nam terra mater eſt fœcunditatis, qvia nullum vegetabile poteſt creſcere, niſi in terreſtri ſubſtantia radicetur.

Ideò

Ideò etiam Ops eſt dicta, qvia melior ſit terra ope culturæ,& ex ipſa conſeqvitur opem victus qvælibet vivens creatura. Dicta eſt & dea, Veſta qvia conſtat vi ſua, vel qvia herbis & arboribus, & floribus ſit veſtita, &c. Terra enim ſeminibus areſcentibus in hieme, calorem concipit ab æthere in vere & æſtate: Unde tunc herbis & floribus ornatur, & veſtitur, qvibus in autumno & hieme ſpoliatur. In ſignum autem tantæ fœcunditatis & virtutis facta eſt ei magna imago fœminea & alma mater nuncupata, cum turrita corona, poſita ſuper currum, cui leones domiti ſubjiciebantur. In una manu portabat clavem, in alia tympanum ſive cymbalum. Cujus aurigæ vibrabant gladiis qvos geſtabant, & galli Matronam ſedentem in curru ſubſeqvi fingebantur &c. Mater ſiqvidem fuit dicta, eo qvod plura pariat, & omnibus mortalibus cibum gignat. Dicitur autem & mater alma, eo qvod omnia animalia alat. Eſt enim elementorum nutrix terra, ut dicit Iſidor. Coronam turritam in capite geſtare dicitur, qvia cunctis civitatibus ſuppoſitis inſignitur. In curru rotato vehitur; qvia ipſa terra pendet in volubili aëre, inqvo ſuſtinetur. Sedet autem in curru volubili, qvia cum omnia moveantur, illa ſola dicitur non moveri. Qvod illi leones ſubjiciunt manſvetos, oſtendit nullum genus eſſe tam ferum, qvod in morte non ſubjici à terrâ poſſit aut ſuperari Qvia Clavis in manu fingitur, oſtendit, qvod terra hieme clauditur,

& ut nascantur fruges in vere aperitur. Qvod autem Terræ dicantur galli servire, ostendit qvod volatilia indigent seminibus terræ, & ideo aves eam oportet seqvi, & ad eam descendere, ut in ea possint semina, victus gratia reperire. Sonitus autem cymbalorum designat in colendis agris strepitus ferramentorum vomerum & ligonum: & ideo æneorum, qvia antiqvi instrumentis æneis colebant terram anteqvam ferrum esset inventum, ut dicit Isidor. Qvia ministri ejus cum strictis gladiis finguntur, designat qvod pro terra defensanda vel acqvirenda sæpe bella committuntur, in qvibus gladii extrahuntur. His & aliis multis modis describuntur proprietates Terræ sub integumento fabularum.

IV. CONSIDERATIO.

Qvando creata Terra.

VT pagina sacra Gene.1. testatur: Inprincipio creavit Deus cœlum & terram. Terra igitur dicitur creata in initio, ordinis scilicet. Est autem momentum temporis non ordinarium illud, qvod est finis præteriti, & initium futuri, ut docet Aristoteles 4. physic.c. 9. sed extraordinarium, qvod tantum est initium futuri, & non finis præteriti, ita ut mundus non propriè dicatur creatus in tempore, sed cum tempore, utpote cum ejus primo punctulo cœperit mundus initium sui corporis, ut Augustinus disputat. lib. 11. de civit. Dei cap.6. atqve ita facilè solvitur argumentum Aristotelis 8. physic, con-

text.21. Abſqve nunc nullum eſt tempus Omne autem nunc eſt finis præteriti & initium futurum, itaqve tempus cœpiſſe non potuit, alias enim ejus nunc tantum initium futuri fuiſſet R. Diſtinctione τὸ νῦν aliud eſt ordinarium, & de eo loqvitur Ariſtotelis minor, aliud extraordinarium, & de eo loqvitur Moſes: Atqve & hic liqvet ſi accuratè loqvendum ſit, mundum nulla ordinaria anni parte cœpiſſe, atqve ita ſupervacaneas eſſe diſputationes, qvæ pasſim moventur, an mundus ſit creatus tempore verno, ut pleriqve volunt, an autumno, ut nonnulli alii, an deniqve menſe Julio ut vult Mercator: Etenim cum mundus cœpit, nulla adhuc fuit anni pars nec ullus menſis, annus enim & menſis definiuntur motu ſolis, ut inter omnes conſtat, at Sol qvarto demum die eſt creatus, qvapropter qvarto demum die annus, & menſis cœpit; & idcirco nec ver nec autumnus, nec alia pars anni ante qvartum creationis diem vel fingi poteſt, imò ne ipſo qvidem qvarto die, ordinaria aliqva pars anni potuit fuiſſe, qvia ver ordinarium, qvo ſeminantur herbæ, præſupponit ſementem, ut æſtas præſupponit ver, autumnus æſtatem; nec ſeqvitur, herbæ in initio mundi, & plantæ plena ſeminatione floruerunt, ergò autumnus fuit aut æſtas, qvia non floruerunt ordinario incremento, qvali florent autumno aut æſtate, ſed extraordinario ſine ulla ſemente. Addo hic principium Origines eumqve ſecuti Baſilius, Auguſtinus, Hieronymus

ronymus, Beda, Junilius de ἀρχῇ ἀνάρχῳ, id est, de principio qvod caret principio, deqve filio Dei parum apposita allegatione *Psal. 40. v. 9. Joan. 1. v. 1. Joh. 8. 25.* perperam interpretantur, qvos jure vituperat Ambrosius lib. 1. Hexam. c. 6. Est itaq; hoc principium ἔναρχον Temporis nimirum materiæ, loci omniumqve rerum creatarum initium, jussu Dei subitò emergens, ut rectè Chrysostom. Homil. 2. sentit, qvamvis & contra Judæos lectio: In principio præferenda est Hebraicæ: Principio, nam sic non tantum secundum Hebræos judicatur, Deum principio mundum creasse: sed etiam per qvem creavit, id qvod prior translatio dilucidius explicat: In principio, hoc est, per & cum principio suo filio Christo JEsu, per qvem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

V. CONSIDERATIO.

Qvando separata ab aqvis.

UT refert Moses Gen. 1. Dixit Deus congregentur aqvæ sub cœlis unum in locum, ut appareat continens, fiebatqve sic, & appellavit DEus continentem terram: Collectionem verò Aqvarum appellavit Maria, & facta est vespera & mane dies tertius. Aqva enim illa qvæ primo die creata, fuit initio concreta instar glaciei, cum aqva dicatur secundum terram primum frigidorum, ut statuit doctissimus Valesius: cujus sententiam videtur confirmare illud

qvod Moses scribit: Spiritum Domini fovisse aqvas instar Gallinæ, qvæ calore fovet pullos ne rigescant. Spiritus enim Dei ibi non est ventus ut nefariè Judæi, & inscitè Theodoretus q. 8. censent, neqve vivifica Dei virtus, ut Calvinus interpretatur, sed ipse Spiritus sanctus juxta infallibilem Psal. 33. expositionem aqvis instar Gallinæ ἐπαζέσης incubat, & vitalem vim inspirat Basil. Hieronym. & multi alii.

VI. CONSIDERATIO.

An creata viridis.

POstqvam separata fuit Terra ab aqvis ut appareuerit, dixit Deus: Progerminet terra germen herbam seminificantem semen: lignum frugiferum, ferens fructum juxta speciem suam, cujus semen sit in semetipso super terram, & fiebat ita. Et protulit terra germen herbam seminificantem semen juxta speciem suam, & lignum ferens fructum qvod semen habuit in semet ipso secundum speciem suam Gen. 1. Cælius lib 1. antiqv. lect. c. 20. post Marsilium Ficinum lib. 3. c. 19. de vita cœlitus comparanda, dicit, qvod sunt ex Platonicis non ignobiles qvi tres esse universales præcipuosqve mundi colores arbitrentur. Viridem, Aureum, Sapphirinum, tribus cœli gratiis decoratos. Et viridem utiqve Veneris esse volunt, atqve item Lunæ, Aureum Solis, ab Jove tamen Venereqve non alienum. Sapphirinum verò Jovi maximo dicatum prædicant: cui & Sapphirus dicatur

catur consecratus. Atqve Sapphirinum qvidem mundi sphæris inserere, aurea verò sphæris ad ipsam cœli similitudinem addere sidera. Ipsam verò Vestam sive Cererem, id est Terram viridi prorsum ex colore indumento, & dicuntur isti duo colores nativi, ex qvo eorum natura magis tendit ad albedinem vel nigredinem, hoc est, ad candidum vel obscurum, & qvi nulla arte sed natura producuntur. Viridem ergo fuisse creatam terram dicendum est, cum hujusmodi color maximè delectet visum, Isidor. lib. Etymol. 16. C. de viridioribus gemmis allegatur per Bartol. Anglic. in lib. 19. de proprietat. rer. ubi ait, qvod propter visum cervi & alia animalia agrestia virentia diligunt & freqventant, ut infrà de Venatoribus.

VII. CONSIDERATIO.

De Terræ motibus.

TErræ motus est qvo terra movetur ob exhalationes calidas & siccas, vi solis ex aqvis intra terram conclusis excitatas, qvæ densis terræ cavernis cohibitæ & incalescentes, cum foras erumpere conantur, terram ea parte qvâ sunt inclusi, concutiunt vel graviore vel leviore motu pro spiritûs inclusi copia, qvi calore solis attrahitur. Hi autem violenter erumpunt hiatu facto: ac voragine absorbentes interdum urbes, insulas & montes: aut novos montes & insulas erigentes, & fluminum cursum mutantes, vel absorbent ea vel nova excitant. Fit autem aëre sereno ac tranqvillo.

Tres Terræ motuum species Seneca tradit: unam qvæ succussio dicitur, cum terra concussa sursum ac deorsum movetur: alteram inclinationem, qva in latera nutat, navigii more: unde ruina fit ædificiorum: Tertia qvæ Tremor appellatur: qva terra vibratur.

In profanis historiis ante urbem conditam Terræ motus memoria nulla planè est: prima mentio ejus cum acciderit, est sub Ozia Hebræorum rege Amos c. 1. circa urbem conditam.

Iuliano Apostata mortuo totius orbis Terræ motus fuit mariaqve egressa sunt terminos suos & qvasi rursum diluvium minaretur Deus, vel in antiqvum Chaos redirent omnia, naves ad prærupta dilapsæ montium pependerunt: ut habet S. Hieronym. in vita S. Hilarionis & Ammian. Marcel. lib. 26

Meminit & Plato & Marcellin. diu ante Romam conditam. ultra Herculis columnas insulam fuisse Aphrica simul atqve Asia majorem, cujus reges & Libyam & Ægyptum subjugarant usqve etiam Tyrrhenum mare. Hoc igitur ingenti Terræ motu jugiqve diei unius & noctis illuvione factum est, ut terra dehiscens illos una omnes bellicosos homines absorberet. Ne vero qvis dubitet de historiæ fide Tertull. Apolog. cap. 39. probavit, probant & recentiores. Nam & Ficinus in compendio subscribit. c. 4. noviss. & Petr. Hispal. Sylua. p. 4. c. 3.

Ad-

Admirandus & memorabilis eſt Terræ motus ille,qvi Chriſto moriente invaſit,de qvo Evangeliſta tradidit, Matthæus cap.27. Et Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt. Magnam terræ partem motam fuiſſe non eſt dubitandum, ſicut nniverſam terram tenebræ occuparunt moriente conditore terræ. Illum autem Terræ motum omnium fuiſſe maximum licet aſſerere ex teſtimonio etiam Ethnicorum hominum. Plinius enim libr. 2. cap. 84. his verbis utitur. Maximus Terræ, memoria mortalium, extitit motus Tiberii Cæſaris principatu, duodecim urbibus Aſiæ una nocte proſtratis. Cum igitur mors Chriſti inciderit in 18. annum Tiberii, alius Terræ motus non eſt à Plinio traditus qvam qvi Chriſti morte invaſit, cui rei accedit Phlegon Græcus hiſtoricus origine Aſiaticus, & homo Ethnicus de qvo Suidas meminit: ſcribit is libr. 14.tunc præter incredibilem ecclipſim fuiſſe tam ingentem motum terræ, ut infinita ædificia Aſiæ & Bithyniæ proſternerentur. Accedit Petr, Hiſp. Sylua.p.2.c. 21. Ureſum proſtratarum nomina recenſet Niceph. lib.1. cap 17. dicitqve fuiſſe qvaduordecim, videlicet, Epheſus, Magneſia Sardis, Moſthene. Hierocæſarea. Philadelphia, Tmolus, Timus Myrina, Cyme, Apollonia, Hyriana, Dia, Cybara, præcipuam fuiſſe Epheſum etiam tradit S. Anton *tit.6.c.21.§.2.* Divus a, Auguſtinus lib.demirabilibus divinæ ſcri-

pturæ tradit, Terræ motu Dominicæ passionis undecim urbes corruisse, qvod etiam memorat, Beda Natalis, cujus meminit Sixt. Biblioth. Sanct. lib. 6. annot 124.

Unum recenset Gregorius Nyssenus Episc. in vita S. Gregorii Thaumaturgi qvo invadente divinum illuxit miraculum. Sic enim habet ibi Nyssenus: Cum noctis temporibus gravissimus aliqando Terræ motus Amascæ civitatem labefactasset, & omnia propemodum funditus periissent, & publica & privata ædificia omnia corruissent, solum Templum cujus fundamenta jecerat Thaumaturgus, mansit infractum, & inconcussum, ut vel ex hoc sit manifestum, cum cujusmodi potestate vir ille magnus ea qvæ à se erant gerenda susciperet. Hæc Nyssenus.

Sub Theodosio terræ motus magnus & admirandus fuit, nam ad menses sex duravit, motu continuo omnia concutiens, idqve per orbem fere universum. Nam & Chersonesum & Alexandriam attigit, Antiochiam, Bithyniam, Hellespontum utramqve Phrygiam, Orientis partem maximam, Occidentis qvoqve regiones plures, ipsam etiam Constantinopolin. ut tradit Niceph. lib. 14. c. 46.

Iustiniano Imp. motus invasit Græciam, Bœotiam, Achaiam, sinum Crissæum Pompejopolin Ciliciæ, atqve alias innumerabiles urbes etiam solo æqvavit, ut scribit ex Procop, Niceph. lib. 17. c. 13.

Anno

Anno Domini 1570, Novembr. 17. Terræmotus ingens ac ſæpe ſæpius die nocteqve repetitus Ferrariam inſignem Italiæ urbem, qvaſſare & diruere cœpit, & qvod ſingulare eſt perſeveravit ingenti cum ædificiorum ruina per integrum ferme annum, refert Marianus Victorius ad *S.* Hieronym.

Conſtat ap. Philoſophos: Terræ motum nunqvam ducenta milliaria excedere. Senecat teſt. nat. libr. 6. cap. 25.

Mirabile & ſingulare, & hoc eſt Ægyptum præ cæteris omnibus orbis partib. hoc munere à Deo fuiſſe donatum, ut nunqvam tremuerit, Seneca teſt. nat. *lib. 6. cap.* 29

Chronica de Terræ motibus conſcripſit Valentinus Fabricius Lobenſteinienſis, in qvibus omnes Terræmotus à condito orbe ad annum, uſqve ad annum Chriſti 1590 collegit.

VIII. CONSIDERATIO.

Spiritus Terrei.

SEcundum Magorum doctrinam Terrei ſpiritus naturam ſeqvuti vegetali naturæ favent. Etſi verò omne cacodæmonum genus hominibus & nocere vult & poteſt freqventiora tamen ſunt damna, qvæ ab iis qvos terreſtres vocant, qvod commune qvaſi in terra cum homine habeant domicilium, patiuntur. Sunt hi diverſorum generum, ab operationibus ſcilicet qvæ de ipſis leguntur: omnes tamen ad unum eundemqve ſcopum feruntur, ut ſcilicet Dei nomen ignominia afficiant, & hominem in

exitium rapiant sempiternum. Primo autem sunt dicti qvidam Genii Lares aut Dii Domestici alii spectra, Alastores, & Dæmonia Meridiana appellantur. Sunt etiam Fauni, Sylvani, Satyri, Folletti, ut Itali appellant, Paredrii sive spiritus familiares.

Genios, Athenæus, Maximus, Philostratus, Eunapius & in universum omnis Platonicorum schola censuit mortuorum esse animas, qvæ si bene in hoc mundo vixerint, posterorum suorum curam sortiantur, & pacato qvietèqve numine domum possidere vocariqve Lareis Familiareis. sin malè & scelerate vitam egerint, nullis bonorum sedibus recipi, sed in terra veluti proscriptas vagari longoqve exilio puniri, & inania terriculamenta bonis hominibus noxia malis Laruas dici vel Lemures secund. Augustinum perhiberi.

Servius Honoratus & Sabinus ab anima separant Umbram & Simulacrum. Persvasum enim habebant hominem constare Anima, Umbra & Corpore: post mortem animam in cœlum evolare, corpus in terra remanere, Umbram ad inferos descendere: Esse vero umbram non verum corpus, sed speciem qvandam corpoream, qvæ tangi neqveat instar venti. tam vero hanc qvam animam vivis interdum apparere, animam Genium, Umbram Larvam sive internalem umbram dici.

Sunt

Sunt vero Genii terrestres maligni spiritus, qvi etiamsi pro salute hominis excubare simulent, omnia tamen in perniciem ejus moliuntur ut ille qvem Plotino Isidis sacerdos spectandum exhibuit. Plotini enim animum vehementer tumefecit, superbiaqve extulit, qvod intellexerat Deum se pro Genio habere. Constantinus Imp. Antiochia Tharsum proficiscens, Genium suum sæpè vidisse, atqve etiam cum eo varios sermones habuisse fassus est: qvin etiam cum sqvalidum eum atqve horridum totum, qvem auctorem ac custodem suæ salutis ante appellare solebat, aliqvando conspexisset, valde indoluisse fertur.

In Peninsula qvadam maris Glacialis pop. esse dicuntur, Pilapii nomine, qvi continuo cum defunctorum umbris edunt, bibunt, ac familiter non secus qvàm cum vivis conversantur.

In Socratis historia Ecclesiastica unus ex horum spirituum numero sub figura Mosis integrum per annum in Creta insula ostentâsse se legitur, ac Judæis persvasisse, velle se eos iterum ultra mare sicco pede traducere. Qvum ad condictum diem ingens Judæorum turba convenisset, personatus ille Moses altam eis crepidinem littoris commonstrans, natatu eò trajicere jubet; Inde se tutum illis iter per mare aperturum pollicitus. Tantum valuit perfidi spiritus fraus, ut multi confestim in mare insilirent, qvi magna ex parte fluctibus abrepti

pi-

piſcibus eſca fuêre, pauci piſcatorum lintribus excepti ægre ſemivivi ad littus reportati ſunt: Interim bonus ille Moſes Hegemonius nuſpiam comparet.

Epheſi diu cacodæmon ejusmodi mendici habitu obambulare viſus fuit, qvo tempore horribilis peſtilentiæ lues per urbem graſſabatur, Cujus cauſam qvum Apollonius Thyanæus civibus aperuiſſet, ſvaſit ut peſſimum illum mendicum è medio tollerent, ſic enim peſtem brevi deſævituram. Parent cives & perſonatum mendicum lapidibus obruunt ingenti cumulo ſuper mortui, ut putabatur, cadavere exſtructo: qvo retecto at nullibi reperto cadavere, ingens proſiliit canis, qvem Apollonius unum ex eorum ſpirituum numero eſſe civibus perſvaſit, à qvibus civitas peſte fuiſſet afflicta.

Scribit Pauſanias in pugna Athenienſium qva Perſas in Campis Marathoniis ingenti clade fuderunt conſpectum eſſe aliqvem forma hominis qvi aratro plurimos è Barbarorum exercitu interfecerit. Rogatum, qvis eſſet? Echelei genium ſe eſſe reſpondiſſe ſtatimqve diſparuiſſe; atqve inde Athenienſes divinos ei fieri honores jusſiſſe.

Aliud eſt apud Pauſaniam: Eleis ſcilicet Genium ſub pueri forma datum fuiſſe, qvi res ipſorum contra Arcades adjutaret. In pugna puerum nudum ante ſigna ſtatutum, mox in ſerpentem mutatum: Inde victoria Elſeis Par-

ta

ta, in ſpecum ſubterraneum correpſiſſe. At beneficii memores Eleos Templum ei loco Soſipolidi patriæ genio dedicatum inædificaſſe.

Horum ſpirituum unus aſſumpta Apollonii Thyanęi forma Aureliano Imp. Thyanæ urbi ob rebellionem excidium meditanti viſibilis apparuit his verbis eum allocutus: Ne tu Aureliane, ſi vincere porrò hoſtes tuos velis, ne tu cives meos perdere coneris. Ego enim hujus urbis & regionis ſum Genius, cui facilè tuam, qvantacunqve eſt potentiam, & vires refrenare.

Apollonius Thyanæus Roma Conſtantinopolin proficiſcens teſte Cedreno, horum ſpirituum unius ope ſcorpiones omnes & culices, qvibus antea vehementer infeſtabatur ab urbe Conſtantinopolitana abegit.

IX. CONSIDERATIO.

Dominationum horum ſpirituum ſpecies.

CONCL. I.

Ἀξινομαντεία, qvia ſecurim rotundo infigebant palo, & ex ejus motu furem deprehendebant. Qvando autem futuri alicujus ſucceſſus divinatio petebatur, tunc Gagatem lapidem ſecuri imponebant, de qvo Plinius *lib.* 36. *c.* 19.

CONCLUS. II.

Κεφαλομάντεια.

QVia Aſini caput prunis impoſitum aſſabant; Priſcis

priſcis Germanis, ut nonnulli volunt, uſitata, Longobardos poſtea pro Arcadico pecore caprino capite uſos ajunt. Judæos eidem ſuperſtitioni deditos fuiſſe, illud ſuſpicionem facit, qvod Apion Grammaticus & reliqvi Ægyptii & hos ſeqvutus Tacitus, eos Aſininum caput pro Deo habuiſſe calumniantur.

CONCL. III.

Κοσκινομάντεια.

Flebat cribro cui forcipem imponebant, deinde duobus digitis comprehendebant, & præmiſſis verbis conceptis ſubdebant nomina eorum, qvos de crimine aliqvo ſuſpectos habebant, reum verò judicabant illum, qvo nominato cribrum tremebat, nutabat aut convertebatur.

CONCL. IV.

Κλειδομάντεια.

Scelerātior hæc divinatio, clavem ſumunt cui chartulam circumdant, ſuſpecti nomine inſcriptam: deinde clavem alligant S. Scripturæ codici, qvem virgo teneat, & verbis qvibusdam demurmuratis, chartulæ ad nomen rei motum obſervant.

CONCL. V.

Ἱεροσκοπία.

COnſiſtebat hæc in victimæ adhuc vivæ obſervatione dum producebatur, dum mactabatur, dum ad aram ſiſtebatur, dum vinum ei infundebatur, dum mactabatur, ejusdem poſtea (qvæ

(qvæ Extiſpicina dicta fuit) ſingula membra rimabantur. Exta ſcilicet cor & inprimis jecur, è qvorum diſpoſitione & habitu, vel proſperos vel adverſos eventus prædicebant.

CONCL. VI.

Lithomantheia.

CUjus Jamblichus & Orpheus, de Siderite lapide agentes meminerunt. Erat tamen qvædam ejus ſpecies in uſu fœminis: qvæ in lapide qvadrato ac benè expolito, deinde magicis artib. incantato. qvæ ſcire vellent, videre ſe profitebantur.

CONCL. VII.

Rabdomanteia.

QVa magicis verbis efficiebant ut virgula recta in circulum coiret, junctis extremitatibus hanc collo appenſam, qvartanæ febri remedio eſſe aliqvi nugantur.

CONCL. VIII.

Parthenomanteia.

EST divinatio qva virginitatem puellæ explorant.

CONL IX.

Lampadomanteia.

QVando candelas nonnulli ante Sancti alicujus ſtatuam, ut S. Antonii aut S. Danielis accendunt ac precibus qvibusdam demurmuratis, res perditas inventuros, aut qvos amant in caſſes pellecturos ſe confidunt.

Con-

CONCL. X.

Palomanteia, P*ettimanteia*, *Aſtragalomanteia*.

Qvibus bacilli, oſcilla, pillulæ, aut tabellæ inſcriptæ in altum vel in urnam conjiciebantur atqve inde divinatio fiebat.

CONCLUSIO XI.

Cubomanteia.

SEu Aleatoria, cui valde dediti Auguſtus & Tiberius Cæſſ. etiam Græci aliqvibus in locis, Pauſania teſte.

In ſacris qvoqve litteris non nullæ inveniuntur divinationes, ut illa de qva Ezechiel. 21. *S*tetit enim rex *B*abylonius in bivio in capite duarum viarum, divinitatem qværens, commiſcens ſagittas: interrogavit idola exta conſuluit, ad dextram ejus facta divinatio ſuper Hieruſalem.

Et illâ ap. Oſeam 4. populus meus in ligno interrogavit & baculus ejus annuntiavit ei. Qvem locum Theophylactus his verbis interpretatur. Virgas duas ſtatuentes carmina & incantationes qvaſdam ſubmurmurabant: deinde virgis dæmonum operatione aut effectu cadentibus conſiderabant qvo nam utraqve earum caderet antrorſum ne an retrorſum, ad dexteram vel ſiniſtram, ſicq; tandem reſponſa dabant inſipientibus virgarum caſu pro ſignis uſi. Eundem ad modum *N*abuchodonoſor vaticinabatur, &c. Divus Hieronym, qvidem utrumqve aperte de

Rab-

Rabdomanteja vel Belomanteja accipiendum monet. Sed Rabbi Moses Samson. f. alium commemorat ritum.

CONCL. XII.

Geomanteja.

EX terræ motibus crepitu, tumore, tremore, scissura, voragine, exhalatione, cæterisqve impressionibus suis futura præmonstrat, cujus artem tradidit Almadel Arabs. Et ipsa Geomantia sortilegiorum accuratissima qvæ per puncta terræ, aut alterius superficiei, vel casu, vel vi qvadam inscripta divinatur, illa primum ad figuras reducit cœlestes: sedecim qvas ponit Cornel. Agrippa. libr. 2. occult. philos. cap. 48. harum autem figurar. naturas, qvalitates, proprietates, conditiones, significationes & apotelesmata, qvi examussim scire desiderat, ap. Geomanticorum volumina reqvirat.

X. CONSDERATIO.

Homines Terrei.

SUnt Sylvani, Satyri, Fauni, de qvib. affirmat, Macr. in Parnasso monte Bacchanalia alternis annis agi, ubi & Satyrorum freqvens cernatur cœtus, & plerumq; voces propriæ exaudiantur, itemqve Cymbalorum crepitus ad aures sæpè hominum perveniat. Spiritus hujusmodi puerorum & puellarum amoribus teneri, & assiduè eos infestare, ac gravissimè nonnunqvam offendere experientia compertum est. Testatur Mengus in compendio anno M D LXXIX. Bononiæ in viri cujusdam nobilis domo talem

P Spi-

ſpiritum ſe oſtendiſſe, qvi ancillæ juvenculæ amore, ut videbatur captus, continuus ei qvocumqve pedem ferret, comes adhæſerit, & ſi qvando herus vel hera eam jurgio aut conviciis excepiſſent, ſtatim multis eam injuriam damnis ultus ſit. Idem juvenculæ aliqvando iratus, veſtem qva induta erat à capite ad calcem diſcidit, qvod qvum illa ægerrime ferret, idem ſpiritus veſtem momento temporis ita reſarcivit, ut nulla ſciſſuræ indicia apparerent, &c.

Sunt & homines terrei qvos Cobalos appellant qvod hominum ſint imitatores. Alii virunculos montanos vocant, qvia plerumqve apparent Nani tres dodrantes tantum longi, ſenecionum ſpecie, opus facere impigre videntur, ſaxa exſcindere, metallorum venas ſcrutari, materiam congerere, rotas circumagere funes aliaqve inſtrumenta adaptare, interdum qvaſi lætitia geſtientes rident, ſibilant, multisqve aliis præſtigiis metallicidis illudunt. Et hi qvidem in iis metallicis fodinis, qvarum venæ auro & argento divites ſcatent, ſunt freqventisſimi: qvam ob cauſam etiam multæ deſertæ & relictæ ſunt. Horum natura ut qvidem Platoni placet, timida eſt ut minus etiam barbaris & inuſitatis urbis conceptis maximopere vereantur theſauros hominibus commonſtrare & pecunias ſuppeditare, prope certum videtur, argenti enim & auri venas omnes habent cognitisſimas, & theſauros omnes in viſceribus terræ abſcondi-

cos

tos, unionum ac gemmarum latibula norunt, qvin etiam materiam numiſmatis aurum vel argentum poſſunt producere applicando activa paſſivis per modum naturalis & artificioſæ productionis. Memorabile eſt, qvod apud Stumpfium in Helvetico Chronico ſcriptum legitur. Circa annum M D XX. Baſileæ qvidam ſartor ingenio ſimplex, voce baldus, incertum, qva arte cryptam illam, qvæ Auguſtæ Rauracorum patet, ingreſſus & ulterius qvam ulli alii unqvam potuerunt progreſſus, miranda qvædam ſpectra referebat Cereo conſecrato accenſo in cryptam deſcendens, primo per ferream portam ſe transiviſſe ajebat, inde ex una concameratione in aliam, atqve etiam in hortos pulcherrimè virentes deveniſſe. In medio aulam magnificè ornatam ſpectari & formoſiſſimam virginem pubetenus, aureo diademate caput cinctam crinibus ſolutis, infernè in horridum ſerpentem deſinentem, à qvâ manu ad ſcrinium ferreum ductus fuerit. Scrinio duos moloſſos nigros incubare & terribili latratu accedentes arcere, at virginem minabundæ ſimilem eos compeſcere. Tum clavium faſce, qvem collo alligatum geſtaret, ſoluto arcam recludere, & omnis generis numiſmata aurea argentea ærea depromere, qvorum non pauca liberalitate virginis ex ipſa crypta retuliſſe ſe oſtendebat. Addebat virginem narrare ſolitam, diris imprecationibus ſe, qvum regio

orta esset stemmante, jam olim devotam, in tale monstrum mutata fuisse: neqve aliam recuperandæ salutis rationem superesse, qvam si ab illibati pudoris adolescente ter deosculata fuisset Tunc enim pristinam formam sibi restitutum iri, & dotis nomine thesaurum omnem qvi ibi loci lateret, liberatori cessurum. Affirmabat etiam bis sese virginem deosculatum: bis tam horribiles gestus in ea præ gaudio speratæ liberationis observasse, ut sibi ne vivus ab ea discerperetur, metuendum fuerit. A qvibusdam nepotibus in ganeum deductus, nunqvam postea aditum in cryptam invenire potuit nedum ingredi. Post annos aliqvot alius civis Basileensis eandem cryptá ingressus, ut familiæ suæ paupertatem levaret, nihil præter cadaverum humanorum ossa invenit: unde subito correptus horrore festinus egressus in temperiis actus fuit, donec tertio post die misere interiret.

Sunt & alii Terreæ naturæ qvi lingva Ruthenica Koltri Germanica Roboldi dicuntur, qvos credunt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie lignorum, nutriuntqve eos laute omni ciborum genere, eo qvod ad ferre soleant nutritorib. su's frumentum ex alienis horreis furto ablatum. Qvum vero alicubi habitare & nutriri cupiunt, hoc modo suam erga patrem familiam voluntatem declarant. In domum congerunt noctu segmenta lignorum, & mulctris imponunt lacte plenis varia stercora animalium, qvod ubi paterf. animadverterit, nec dis-

disſipaverit ſegmenta, nec ſtercora è mulctris ejecerit, ſed de inqvinato lacte cum omni familia ſua comederit, tunc illi appatere, & ibi permanere dicuntur.

XI. CONSIDERATIO
De animalibus Terræ.
CONCL. I.
Leo.

INter animalia alia terreſtria obtinet generoſitatem. principatum, ſortitudinem, & dominationem, ita qvod & princeps animalium terreſtrium dicitur, & probatur ſic ex autoritate Plin. lib. 8. cap 16. ubi ait generoſitatem ejus deprehendi, maximè in periculis, non in illo tantummodo, qvod ſpernens tela diu ſe terrore ſolo tuetur, aut velle cogi teſtatur. Cogiturqve non tam periculo coactus, ſed tanqvam amentia iratus, &c. Ex clementia etiam laudatur cum proſtratis parcit, de qvo Ovid. lib. de Triſtibus eleg. 4.

Qvo qvisq; eſt major, magis eſt placabilis ira
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni
Pugna ſuum finem cum jacet hoſtis habet.

Extant clementiæ Leonum plura exempla, duo recitat Plin. d. c. 16. Perottus in c. epigram. Martialis ubi plura de nobilitate & generoſitate Leonis. Leo dormit oculis apertis, ideo capita Leonum in armis denotant vigilantiam. Textor in ſua Officina dicit, qvod impetu & calore Le-

ones cæteris præstant animalibus uti Sol inter sidera, præterea oculis semper igneis & patentibus cernuntur, ut sol patenti igneoqve oculo terram conspicit.

Leoni occurrere, cum sit hoc animal inter cætera fortissimum omnibus terrorem incutiens, bonum est, sed Leænam mulieri occurrere malum est, qvia conceptum impedit, nam leæna non parit secundario.

Mirand. & hoc qvod Leones viso Gallo timent Cujus rationem supra attigi de Gallo.

Voçatur & Christus in typo Leo de tribu Juda.

Et Leo attribuitur Evangelistæ Marco, qvia ipse expressius describit fortitudinem Christi in resurrectione.

Leo, & inter 12. signa Zodiaci locum meruit.

CONCL. II.

Ursus.

HOrridum animal, deformibus membris, saginat se per hiemem dormiendo, hic notandum, qvod qvæ mascula sunt, ea qvoqve sunt valentiora & firmiora, præter Pantheram & Ursam, qvæ animosiores sunt majoribus, ut dicit Raphaël Volaterr. lib. 25. suæ Sophol. c. 1.

CONCLUS. III.

Monoceros.

De eo Nat. Comes. lib. 4. de venat.

Nascitur hic animal nigranti tergore, qvantus
Est cervus solidusq; ferox, & forma juvencum

Ipsa

Ipsa refert cervumq́ caput fortissima cornu
Armatur frons nigranti qvo territat hostem
Sæpe venenifera veniunt ad flumina gentes
Inficiuntq́ vadum tabo cæterisq́ venenis
Attingit fluvium veniens hæc belua cornu.
Qvo virus fugit & fluctus purgantur aqvarum
Hinc qvoq́ sylvicolis reliqvis est purior unda
Virginis amplexum cupiit fera belua, nam sic
Fama refert somnumq́ capit, placidamq́ qvietem,
Virginis in gremio optata, somnoq́ soluta
Funibus invenit sese vinclisq́ ligatam
Seu natura dedit secreti semina amoris
Virginis, atq́ fera est atrox innata cupido
Sive alia est ratio tamen huc adducitur arte &c.

De monocerote, & qvid significetur per illam picturam qva in sinu virginis reqviescens pingitur in plerisqve templis egi in libello cui tit. Sibylla Trygandreiana, qvæ qvia est impressa, huc non ttansporto.

CONCL. IV.

Elephas.

TEstatur Plinius qvod Elephas homini obvio in solitudine erranti clemens placidusqve demonstrare viam traditur. Idem vestigia hominis priusqvam hominem animadvertens, ab insidiarum metu contremiscere, subsistere, circumspectare & expavescere dicitur. Apollonius Thyanæus, (ut legitur apud Philostratũ,) viso puero ducente ingentem elephantem, roganti Damo, unde hæc tam vasti animalis erga parvulum obedientia esset, respondit id

esse ex tremore qvodam activo, homini ab opifice immisso, qvem præsentientes inferiores creaturæ, & animalia omnia ipsum hominem timent, & reverentur, qvi est velut character terrificus, & signaculum Dei homini impressum, qvo qvæcunqve illi subjiciantur, superiorem agnoscant, sive cervus sive animal sit, alioqvin enim nec puer regeret armenta, & elephantes, neqve rex perterreret pop. nec judex reos. De qvo ulterius Cornel. Agrippa lib. 3. occult. phil. c. 40. mirabile: Elephas audito grunnitu sues fugit.

CONCL. V.

Camelus.

DEforme animal, longo collo, nodosis pedibus, tardo gressu, dorso gibboso, memoratur in sacris Job. c. ult. qvi habuit sexies mille camelos. Meminit & Christus Matth. 19. c. Facilius est camelum per foramen acus transire, qvàm divitem in Regnum Cœlorum ingredi. Ubi qvidam dicunt, qvod qvædam porta erat in Hierusalem, qvæ vocabatur, Porta acus, per qvam non poterant cameli transire, nisi prius deposito onere, sic nec dives, in Regnum Cœlorum, nisi deposita sarcina terrenorum, & hæc expositio verior est alias seqveretur nullum divitem intrare in Regnum Cœlorum, siqvidem impossibile est camelum (qvem funem navalem dicant) per portá acus transire, qvamvis hic relativè & posibilius referatur, nam

non

non de qvocunqve divite intelligitur, ſed de divite confidente in divitiis & in ipſis finem conſtituente.

CONCL. VI.

Tygris.

FEris cunctis truculentior, viſo homine catulos protinus transferre dicitur. Reperitur plerumqve in Hircania & India, ajunt ita Tympani ſonitum exhorreſcere, ut eo audito mirabiliter inſaniat, eoqve furoris provehatur, ut ſemetipſam dentibus impetat, viſceraqve ſua fœdè dilaceret & diſcerpat.

CONCL. VII.

Cervus.

MIræ velocitatis eſt animal, frontem habet ramoſis cornibus armatam, ſi vulneratur ſibimet ipſe remedium qværit, videlicet herbam Diptami, ſerpentes fugat. Mirum ſcribitur de Cerva qvod cibaverit S. Ægidium Abbatem in deſerto, ut refert Caſpar. Goltu in faſt. Eccleſ. fol. 237. legitur & de S. Huberto:

Divus hic Hubertus canibus dum tecta ferarum
Luſtrat, adeſt cervus protinus ante virum.
Supplicat ille Deo *precibus dum cernitur inter*
Cornua crux Domini *corpus & ejus ibi.*

CONCL. VIII.

Alce.

ANimal forma partim eqvi partim cervi hinc & eqvi cervus vocatur, velox curſu. Cottidiè morbo caduco laborat, qvo liberatur, ſi-

P 5 niſtri

nistri lateris pede posteriori in aurem ingesto. Ungula alces deportata de collo medetur præd. morbo.

CONCLUSIO IX.

Eqvus.

GEnerosum animal hominum utilitatibus multum serviens cujus aures animi indicium ferunt. Præstant autem hodiè eqvi Neapolitani animal hoc sensum habet & gloriæ & officiorum. In Hibernia Insula referunt eqvos adeò esse moribus bonis ac dociles, ita ut se accommodent, qva melius sessorem parte excipere possint. Indicium prudentiæ eqvorum est dilectio maxima sobolis: nullum enim animal adeò filios suos diligit ut pullum suum eqva. Incerta meta vitæ illorum ob labores, qvidam enim ad annos etiam 50. pervenerunt, rarò tamen 30. annum excedunt. Fœminæ diutius vivunt. Vixisse eqvam ad annos 65. prodidit Aristoteles. Dicunt eqvorum pedes, si diu vestigia lupi seqvantur, obstupescere. Memorantur duo fuisse egregii eqvi in historiis, alter Alexandri M. cui nomen Bucephalus, seu qvod magno esset capite seu eleganti, βȣ͂ enim vox ap. Græcos utrumqve significat: cui mortuo in India cum Poro Rege pugnanti, civitatem Bucephalam eqvi nomine condidit: tantum Rex maximus vel illius meritis tribuit, vel qvantum in eqvo principi repositum sit intelligere se ostendit.

Al-

Alter ungvibus humanis, qvi C. Julii Cæs. cum esset, orbis imperium illi portendit. Neqve tamen ungulas cum digitis habuisse credendum est, nam sessorem ferre neqvivisset. sed ut in elephante discrimina in ungula absqve divisione sub digitorum imagine fuerunt, Bucephalus neminem admittebat tergo præter unum Alexandrum, non tam ferocitate, qvam ambitione, qvæ illi eqvo inerat, unde ambitiosissimo Regi charissimus fuit.

Eqvorum præsagium.

Eqvus jurgiorum & pugnæ rationem habet. Unde ap. Virgilium, visis eqvis albis exclamat Anchises.

Bellum ô terra hospita portas.
Bello armantur eqvi, bella hæc armenta minantur.

Tamen qvando curru juncti occurrunt, qvia concordi jugo trahunt, pacem significant sperandum.

CONCL. X.

Asinus.

ANnimal est natura siccum, & ob id aqvæ non amicum. Asini ut patientes essent admodum laboris stupidi facti sunt, iidem parce admodum mergunt bibendo os, propter umbram aurium, qvam prægrandem in aqvâ videntes, timent ne aures madescant aqva, & ne umbra aurium oculos feriat. Fert asinus pullum anno, qvod Asinus XXX. annis vivat, tametsi ob labores rarò vitæ proprium cursum pos-

possit implere. Commune est illi cum eqvo & cervo & dama, imò etiam Camelo, carere felle. De asinorum mira disciplina vid. Cardan. de subtilit. lib. 10. de perfect. animal.

Nota miraculum.

Asina Bileam Numer. 22. locuta est sic: Qvid feci tibi, qvod me jam ter verberasti. Et ait Bileam ad asinam. Qvod mihi illudis si gladium manu haberem jam te interficerem, & ait Asina ad Bileam: An non sum ego asina tua qva veheris ab eo tempore, in hodiernum usqve diem. Num tale qvidpiam facere tibi solita sum?

Deuter 22. habetur: Non arabis in bove & asino simul.

Emanavit à summo Deo in detestationem Idolatriæ, nam istas conjunctiones diversorum generum in operibus suis, sicut diversorum animalium & seminum faciebant Idolatræ Ægyptii juxta conjunctiones planetarum & qvasdam constellationes, credentes ex hoc opera earum secundari, voluit ergò Deus & per hæc removere falsitatem credulitatis istorum, ne propterea creatore derelicto ad stellarum servitia traherentur. Marqvard. de Susan. in tract. de Judæ. part. 1. c. 3. n. 23.

Miraculum aliud, Samson de Palæstinis se ulciscens, maxilla asini putrescente percussit mille viros, Jud. 15. cap. 1. ibi Samson ait: maxilla

xilla asini trucidavi acervum hostium, imò duos acervos asini maxilla cecidi mille viros.

Miraculum aliud. Cumqve finisset Samson sermones abjecit mandibulam è manu sua, & vocavit locum illum Ramath Lehi. Qvum autem vehementer sitiret, clamavit ad Dominum & ait: Tu effecisti magnam hanc salutem per manum servi tui, & nunc siti enecor & incido in manum incircumcisorum istorum. Tum dissecuit Dominus molarem qvi erat in Lehi, ut profluerent ex eo aqvæ, qvas dum biberet refocillatus est & revixit. Jud. 15. c.

Nota Asinus & bos fuerunt testes nativitatis Christi.

Nota Christus in ingressu suo Hierosolymitano pullo asino insedit: ubi tamen qvidam & pullo & asinæ insedisse volunt, sed perperam contra veritatem textus, de pro disputavit M. Benedictus Rosbergius in thes. qvod Christus in ingressu suo Hierosolymitano tantum pullo insederit, & non ipsi etiam asinæ.

Asini omen.

Asinus inutilis est. Profuit tamen Mario qvi cum hostis patriæ prænuntiatur, vidit asinum oblatum pabulum spernantem ad aqvam properantem, qvo augurio ostensam sibi salutis viam ratus auxiliarem amicorum turbam oravit, hoc unum auxilii genus exhiberent, & se ad mare conducerent, qvo impetrato parvæ super impositus carinæ Syllæ victoris minas evasit: utcunqve tamen asellus in augurio occurrat sem-

ſemper laborem, patientiam impedimenta ſignificat.

CONCL. XI.

Taurus.

In omnibus regionibus notum animal eſt, meruit & nomen inter ſydera. & Octavianus habebat Taurum pro inſigni, de qvo Sibylla Tyburtina: Naſcetur Chriſtus in Bethlehem & annuntiabitur in Nazareth regnante Tauro pacifico, & fundatore qvietis, id eſt, ſecundum Gloſſam: Octaviano qvi habebat taurum pro inſigni, & appellatus eſt pacificus, qvia multis annis in magna pace mundum rexit, cujus tempore Chriſtus natus.

CONCL. XII.

Lupus.

Eſt animal rapax, Triſte ſtabulis, ſecundum Virgil. ſi prius viderit hominem, voce ipſum privat ut fiat raucus, Lupus neqve ferrum timet neq; haſtam, ſed lapidem, cujus projectu vulnere facto gignuntur lupo Vermes, ut refert Cornel. Agripp. libr. 1. occult. philos. cap. 18.

Tradunt lupos in agrum non accedere, ſi capti unius pedibus infractis, cultroqve adacto paulàtim ſangvis circa fines agri ſpargatur, atqve ipſe fodiatur in eo loco, à qvo receperit primo trahi.

Lupi Præſagium.

Lupus obujus bonus nuncius eſt, cujus efficacia viſa eſt in Hierone Siculo, cui lupus in literario ludo tabulam eripiens ſucceſſum regni

gni firmavit. P. Africano & C. Gulvio Coss. Minturnis lupus vigilem laniavit, qvando Romanus exercitus in Sicilia à fugitivis superatur. Qvin & perfidos significat, & malæ fidei homines, qvod notum est in Romuli progenie: nam fides, qvam matre, Lupa olim suxerunt, & sibi invicem ab initio servaverunt, velut lege qvadam naturæ ad posteros manavit.

Lupus urbi nomen dedit.

Cum animalia bruta Ægyptii pro diis colerent, ab eorum etiam nominibus urbes aliqvot nominarunt, inter qvas à *L*upo Lyco seu Lycopolim dixerunt.

Lupa Romulum & Remum nutriisse fingitur.

Et adhuc Romæ in Capitolio æneum Lupæ visitur simulacrum, ex cujus uberibus pendent Romulus & Remus, de qvo Virg. lib. 9. Æneid.

---- *Geminos huic ubera circum.*

Ludere pendentes pueros, ----

Et Cic. Romulum eum uberibus pendentem, &c.

Erat & Lupercal spelunca qvædam Romæ sub monte Palatino sic dictum, qvod illic Lupa Romulum & Remum nutrierit. Et Evander instituit sacra Lupercalia in honorem Panos, in memoriam ejus Lupæ, qvæ Remum & Romulum nutrierat, qvorum ministri *L*uperci nominabantur, Ovid. 5. Fastor.

Semicaper coleris succinctis Faune Lupercis.

*D*e his latius egi ego in additionib. ad antiqvitat. Rosini ad c. 1. *Mi-*

Mirum.

Creta Insula Lupos vulpesqve ac alia qvadrupedum noxia animalia nulla habet.

CONCLUS. XIII.

Vulpes.

ANnimal astutum est. Samson cœpit trecentas vulpes acceptisqve facibus, & conjunctis earum caudis posuit facem unam inter duas caudas, accensisqve facibus igni misit vulpes in stantes segetes Palæstinorum, & incendit non acervos modo, sed & stantem segetem & vineas & oleas, Jud. c. 15.

CONCL. XIV.

Ovis.

SImplicissimum animal est, ita qvod propter patientiam & innocentiam, etiam in sacris testimonium habet, ubi filius Dei Agnus dictus, os suum in martyrio, sicut agnus ductus ad macellum, non aperuit.

CONCL. XV.

Canis.

ESt animal fidum domino. Sensus naturæ ejus mirabilis, nam latrones & occultos homines, & sibi & hominibus penitus incognitos hujusmodi sensu agnoscit, invenit, investigat, comprehendit in eos faucibus & dentibus irruens. Est & morborum remedium. Ricinus si evellatur ex aure læva canis, cui non insit alius qvam niger color, in augurio vitæ vim

ma-

magnam obtinere, nam si æger respondeat ei, qvi intulerit à pedibus stante interroganteqve de morbo, certam esse spem vitæ.: Moriturum verò si nihil respondeat: Dicunt qvoqve lapidem à cane morsum rabioso, haberc vim discordiæ, si ponatur in potu.. nec adlatrari â cane, lingva canina in calceamento subdita pollici, præsertim si jungatur cum herba ejusdem nominis, scilicet cynoglossa. Item fieri membranam ex secundis canis habentem. Fugere autem canes cor caninum habentem, Canis domesticus Mercurialis est.

Canis omen.

Canis in itinere sanctus est, qvod Cyrus expositus in sylvis à cane ad regnum enutritus est, qvem & Angelus Tobiæ socius non est aspernatus comitem.

CONCL. XVI.

Felis.

INimica muribus aliqvi credunt id animal ad vices lunæ oculos majores aut minores habere, morsus ejus noxius est. Romæ enim dum qvidam cum fele suâ leniter luderet, illa leviter etiam momordit, dum trahitur, qvo morsu homo ille interiit. Extat adhuc in æde D. Mariæ de populo, in pavimento marmorea tabula hoc carmine rem complectens:

Hospes disce novum mortis genus: Improba felis
Dum trahitur, digitum mordet & intereo.

Q Con-

CONCL. XVII.

Sus.

ANimal immundum prohibitum olim Judæis in Lege veteris testamenti. Qværitur Matt. 8. qvare permisit Christus dæmones intrare in porcos & præcipitare eos. Dicendum, qvod forte homines illius terræ pecaverant & ideò demeruerant istud damnū sibi fieri. Vel aliter dicendū qvod Christus aliqva fecit ad significandū qvoddā aliud, sicut Matth. 21. & Marc. 11. maledixit ficui non habenti fructum sed folia tantum, & tamen nulla ratio fuit ex parte arboris, qvia ut ibidem dicitur, non erat tempus ficorum, & ideo ratio maledictionis fuit ad significandum maledictionem Judæorum, qvorum fructum boni operis qværebat Christus, & tamen non inveniebat in eis nisi folia tantum, id est apparentiam bonorum operum. Sic Christus permisit Dæmones intrare in porcos ad significand. qvod dæmones habitent in immundis hominibus, sicut porcus est animal immundum.

XII. CONSIDERATIO

De Reptilibus Terræ.

CONCLUS. I.

Serpens.

ESt reptile astutum, secundum scripturam enim Genes. 2. Serpens callidior erat omni bestia terræ, qvam fecerat Dominus Deus, suaqve calliditate decipit primam nostram parentem Evam, & Christus monet; Estote simplices

ces ficut columbæ, & aftuti ficut ferpentes. Tradunt de eo phyfici, qvod fi audiat vocem incantatoris, obturet aures fuas. Juxta Pfalm. Tradunt itidem, capillos mulieris menftruofæ fi fub fimo ponantur generari ferpentes: ac etiamfi crementur, fugari eorum odore ferpentes: fic è fummo gutture cervi uftis osfibus congregari ferpentes, cornu verò cervino fuffito fugari: Idem faciunt pennæ pavonum fuffitæ. Serpentem Ægyptii atqve Phœnices fuper omnia animalia effe divinum animal atqve ejus divinam naturam celebrant: qvia in ea fuper cætera animalia fpiritus acrior atq; amplior ignis exiftat, qvæ res cum ex illo celeri greffu oftenditur, fine ullis pedibus manibusqve vel aliis inftrumentis, tum qvod ætatem fubinde cum exuviis renovat ac juvenefcit. Faciunt Magi imaginem capitis & caudæ Draconis Lunæ fcilicet inter circulum aereum & igneum ferpentis effigiem, cum capite accipitris illos circumdantem ad inftar Græcæ litteræ Thita, faciuntqve qvando Jupiter cum capite medium cœlum obtinet, qvam qvidem imaginem, ad fucceffus petitionem multum conferre adfirmant. Caudæ verò imaginem faciunt confimilem, qvando luna in cauda eft eclipfata, aut à Saturno vel marte male affecta, faciuntqve illam ad anxietatem & infirmitatem & infortunium inducenda, & vocant illum malum genium. Talem imaginem Hebræus qvidam inclufierat aureo gemmatoqve baltheo, qvem

Blancha Ducis Borbonii filia marito ſuo Petro Hiſpaniarum regi ejus nominis primo, ſive conſcia, ſive ignorans, dono dedit, qvo cum ille cingeretur, ſerpente ſuccinctus ſibi videretur: compertoqve deinde vim Magicam cingulo inſertam eam ob cauſam uxorem repudiavit.

In veteri lege Numer.21. murmurante pop. qvam Deus puniret eum ſerpentibus urentibus, Moſes ex juſſu Domini ſerpentem æneum erexit, ut ſi qvis morſus fuiſſet à ſerpente, intuens ſerpentem æneum ſanaretur, qvi fuit typus & figura Domini Chiſti, prout ipſe allegat Iohan.3: Sicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis &c.

Singulariter & magiſtraliter ſcripſit de natura Viperæ Baldus, Angelus Albanus, Medicus, Eugubinus.

XIII. CONSIDERATIO.

Continet Montes Terræ.

HÆc conſideratio depromit montes totius terrarum orbis famoſos & notabiles, qvi opinione maximi celebrantur.

Inferiorem huncce peragrantes mundum hic æqvatam agrorum planitiem, iſthic impendentium altitudines montium conſpicimus: iſtam laudamus, hoſce contemplando miramur. Mirabilis enim Dominus in operibus ſuis mundum, montibus & collibus exornavit, ut nobis inde ſumma & altisſima ipſius potentia innoteſceret. Qvamvis aliqvi ab initio creatos ne-

negent montes & ex diluvio congeſtos dicant, qvod planities Deo qvi alia deſpicit, tum hominibus & animantibus congrua mage ſiet. Qvorum opinionem refellit pagina ſacra, dum diluvio opertos omnes montes excelſos, qvi fuerunt ſub univerſo cœlo, tradit, qvindecim cubitis invaluerunt aqvæ ſupernè ut operirentur montes, iiſqve remisſis viſa ſunt cacumina montium. Deinde non minorem ex montibus capiunt, & homines & animalia utilitatem illi ex mineris mineralibus lapidib. fructib. auro argento ære plumbo, ſtanno &c. hæc ex herbis ſalutiferis graminibus, paſcuis &c. qvæ in ſummis montibus, utpote ſolari propioribus calori ſalutifera magis, qvam in vallibus, umbroſis & obſcuris erumpunt. Unde & nullus ferme mons ut hirſutus, ſcopuloſus & aſper ſiet, inhabitabilis relictus eſt, ſed aut urbe, aut caſtro clauſtroqve inſignitus aut animantium paſcuis deſignatus videtur. Deus enim ſalus noſtra ut canit regius vates hymno 65. montes virtute ſua firmat accinctos potentia, ſtillant pinguedine pretioſa paſcua delertiqve colles exultatione cinguntur. Qvæ cauſa qvondam montes adſcendi illoſqve ut ſpeculas mundi celebrare auſus fui ſingulari libro, ex qvo celebriores, hic ſaltem & ne opus in immenſum creſcat, tranſporto.

CONCL. I.

Atlas.

MOns eſt altisſimus Mauritaniæ : poentæ fin-

fingunt esse Gigantem, qvi cœlum humeris ferat. Fuit autem Atlas frater Promethei tempore Amenosis 3. regiis Ægypti insignis Astrologus, qvi cum cursum syderum in monte Atlante indagando perciperet fabulæ initium dedit, qvod cœlum humeris portaret. Ursperg. fol. 7. Virg. lib. 4. Æneid.

Ultimus Æthiopum locus est ubi maximus Atlas
Axem humero torqvet stellis ardentibus aptum.

Sabin. ibid. Atlas è mediis Harenis in cœlum se attollit, pro syderum aspectu sqvalens versus Oceanum opacus nemorosus & fontibus irriguus, pars Atlantis qvæ spectat Aphricam fructus omnium generum parit, loca habet plena voluptatis.

CONCL. II.

Aetna.

Mons ille celebris in Sicilia, vulgò Monte Gibellino, perpetuis ignis & flammis flagrans, qvi flammas perennes cum ingenti sonitu eructat, & magna saxa ab imo fundo, qvem egregiè descripsit Virg. in Aetna qvamvis aliqvi Aetnam Qvintili. Vari autument, qvibus & Jul. Scaliger assentitur. Virg. lib. 3. Æn.

--- Horrificis juxta sonat Ætna ruinis
Interdumq; atra prorumpit & æthera nubem
Turbine fumantem piceo & candente favillâ
Attollitq; globos flammarum ad sydera lambit.
Interdum scopulos avulsaq; viscera montis
Cum gemitu glomerat fundoqve exæstuat imo.

Ser-

Servius ibidem.

Causa hujus incendii juxta Virgil. Ætnæ est hæc. Sunt Terræ desudantes sulphur, ut penè totus tractus Campaniæ, ubi est Vesenus & Gaurus montes, qvod judicat aqvarum odor calentium. Item novimus ex aqvæ nutu ventum creari, esse etiam concavas terras secundum Aetnam constat, & ab ea parte qva Eurus & Aphricus flant, habere speluncas & plenas sulphuris, & usqve ad mare deductas. Hæ speluncæ recipientes in se fluctus ventum creant, qvi agitatus ignem gignit ex sulphure. Unde est qvod videtur incendium. Hoc autem verum esse illa comprobat ratio, qvia & aliis flantibus ventis nihil ex se emittit, & pro modo flantum Euri & Aphrici interdum fumum, interdum favillas, nonnunqvam vomit incendia qvod & hoc loco ostendit, nam effectum indicans supprimit causas.

Donat. ibid.

Fama est Enceludi semustum fulmine corpus &c. Ejusdem etiam Ætnæ originem & causas volens Poëta subnectere, qvoniam incerto autore prolata videbantur, perindeqve erant fabulosa & incredibilia. Fama est inqvit, ne in rebus incertis & fortè imposſibilibus ipse se qvasi certum autorem constitueret, inserit etiam ipsam famam, non se auctore, ut dictum est, sed fama vulgatam. Enceladum inqvit gigantem finxerunt, pro sacrilegio qvod adversum Deos, cum cæteris gigantibus admiserat, semiustum

fulmine Jovis ingentis Ætnæ mobilibus esse subjectum, perindeqve ipsum montem ignem ructare fulminis pœna, facere autem motum terræ, qvum idem Enceladus conversus in aliud latus alterius voluerit vice effœtas vires & tolerandi substantia superare. Non procul abest à Catania patria S. Agathæ virginis & Martyris. Et hanc puto esse causam qvare ipsa Agatha colatur adversus furorem ignis ne ulterius prorumpat. Goltuv. in Calend. Eccles. fol. 34. Virgil. lib. 1. Georg.

Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam
Flammarumq; globos liqvefactaqve volvere saxa.

Varro ibid.

Malum omen est qvoties Aetna non fumum sed flammarum erigit globos, ut dicit Livius, tanta flamma ante mortem Cæsaris ex Aetna monte defluxit, ut non tantum vicinæ urbes, sed etiam Rhegina civitas afflaretur.

CONCLUS. III.

Acro Ceraunia.

SUnt altissimi montes in Epiro juxta mare Hadriaticum, ita dicti à Græco ἄκρος qvod significat Summus, Altus, & κεραυνὸς id est, fulmen. Plin. lib. 6. c. 7. Horat. lib. 1. Od. 3.

Qvi vidit mare turbidum &c.
Infameis scopulos Acroceraunia.

Virg. *Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta.*

Serv.

Serv. ibid. Ceraunia sunt montes Epiri à crebris fulminibus propter altitudinem nominati, ut expressius Horat. dixit Acroceraunia, propter altitudinem & fulminum jactus, id est, τῶν κεραυνῶν βολάς.

CONCL. IV.

Ararath.

Est mons ille Armeniæ, cui Archa Nohæ 17. die mensis 7. adhæsit. Gen. 18. Josephus scribit suo tempore Armenios ibidem fragmenta Archæ ostendisse. Qvidam nominant ex Chaldæo, Carduennos montes, Ptolomæus Gordeos scribit Haytonus Armenius ortu suo tempore (ut refert Munsterus in Cosmogr. lib. 5. de Armenia c. 21.) nempe ante 300. annos aliqvid nigrum in eo monte visum, & fuisse vulgarem famam esse particulam Archæ Nohæ.

CONCL. V.

Alpes.

Sunt altissimi illi montes qvi Germaniam ab Italia discernunt. Incipiunt supra Schonga & extendunt se ad Venetias usqve totam provinciam Tyrolensem, Vallem Oeni. Vallem obscuram &c. complectuntur, & qvasi muro firmissimo cingunt, & tutantur, perpetuè in summis verticibus superbiunt opertæ nive, ut & in glaciem crystallinam mutari dicatur, multos alunt timidos damos, qvos nimis aliqvando audax Imp. Maximilianus I. insectans, ad summam & in accessum earum altitudinem

ſummo ſuæ vitæ periculo aſcendit deſcenſu ubiqve negato aſt Dei auxilio evaſit, in cujus rei memoriam imago, crucifixi eo in loco poſita eſt, qvæ viatorem ſtupenda detinet admiratione prope oppidum Zirell. Diſtribuuntur in diverſa nomina. Alpes Rhetiæ continuantur verſus Orientem, qvarum pars Pyrenæ vocatur. Alpes Juliæ verſus Gratipontanos. Alpes Summæ vulgò mons S. Gothardi in Helvetiis Alpes Lepontiæ prope Comum & ad Rauracos usqve ſe extendunt. Alpes Cotiæ in regionè pedemontium.

CONCL. VI.

Apenninus.

MOns altisſimus aſt fertilisſimns, tum vini, tum frugum omnis generis copia, incipit prope *B*ononiam Felſineam, qvæ in ejus radicibus poſita eſt, in ejus collibus Ceres, Pomona & Pean & Liber lepidè certant, ſemper aſcenditur 10. milliarib. ad Pianorum pagum, inde ad altiora loca & tandem ad Pagum Loianum ſuperiusqve vicum, ad qvem cum aſper ſit accenſus meritò nuncupatur Scaria, Paſino *R*amazoti, olim ſtrenus ducis patrium ſolum. Occurrit deinde Petra Mala, hinc deſcenditur ad Fidentionalem vulgò Fiorenzola montibus Clauſam, pagum non ignobilem, ibi trajicitur flumen, & ad pinnas, atqve ad ſupremum cacumen Apennini ſuperatis ſaltibus relictisqve ad lævam immenſis profunditatibus, qvæ niſi fuerint viatori penitus inviſæ, oculum abripient

&

& ad se vacillantem hominem præcipitari cogent, angusta & difficilis est via, & passibus trib. mill. semper ascenditur, nec alicubi datur, planities, aut qviescendi locus, qvo usqve tandem in eminentissimo Alpium vertice pervenies. Hinc descenditur ad Scarperiam, & inde amœna Hetruriæ loca oculis plenis conspiciuntur.

CONCL. VII.

Basan.

DE eo regius vates hymn, 68. Mons Dei est mons Basan, mons qvi caseis abundat mons Basan, qvare invidetis vos montes qvantumvis clivosi, monti huic, qvum Deo volupe sit habitare in eo ? ibi Interpp. Mons Zion est mons Dei, qvi est ut mons Basan pingvis scilicet & fertilissimus, vel mons Basan est mons Dei, mons in juga assurgens, mons Basan vel mons gibbosus. Augustin. legit mons incaseatus. Hieron. coagulatus, pro Basan. propriè alii legunt pingvis.

CONCLUS. VIII.

Calvaria.

ALio nomine vocatur Golgata in qvo Salvator noster fuit pro salute hominum crucifixus, & usqve hodie ostenditur in Helia ad Septentrionalem plagam montis Sion. Dicitur autem locus Calvariæ, qvia ibi capita hominum decaluarentur.

CONCLUSIO IX.

Carmelus

SUnt duo montes ejus nominis in Palæstina

ni. Unus in ſuperiori terra verſus meridiem ubi Nabal Carmelites habitavit. 1. Reg. 21. alter in inferiori verſus mare & ſunt ambo fertiles. Hic tamen alter famoſus & carmine dignus qvod Propheta Helias in eo Pop. Iſrael convertit de idololatria tempore regis Achab. de qvo 3. Reg. 18. In hoc monte ordo fratrum S. Mariæ de Carmelo initium accepit, & ſecund. hiſtoriam de orgine iſtius ordinis multa & magna mirabilia in eo facta ſunt, & multæ ſpirituales perſonæ, prophetæ & eorum liberi poſt Heliam & Heliſæum in eo habitarunt uſqve ad tempus incarnationis Chriſti Jeſu.

CONCL. X.

Caucaſus.

MOns ab India uſqve ad Taurum montem porrectus pro gentium & linguarum varietate qvoqvo verſum vadit, diverſis nominibus nuncupatur. Ubi ad orientem in excelſiorem conſurgit ſublimitatem, propter initii candorem Caucaſus nuncupatur, nam orientali lingua ea Caucaſum ſignificat candidum, id eſt, nivibus denſiſſimis condicantem. Dicitur idem Caſpius in ſuperiori India Septentrionem verſus Scriptores Græci blandientes Alexandro M. cum rex perveniſſet ad partem Tauri montis, qvæ incipit paulo infra colchidem à mari pontico verſus mare Caſpium, dixerunt Alexandrum perveniſſe ad Caucaſum qvi poſt illos ſcripſerunt, hanc partem montis Tau-

Tauri appellaverunt Caucaſum, ubi ſunt portæ Caſpiæ, id eſt arctiſſimi tractus & convalles Hic fertur ſecundum nonnullos ſyderibus proximus, unde aſtra majora viſuntur, & eorum ortus occaſusqve diligenter perſpiciuntur & eſt aſper & inhabitabilis. Unde Virgil. lib. 4. Æn.

Sed duris genuit te cautib. horrens
Caucaſus.

CONCL. IX.

Columnæ Herculis.

SUnt duo illi montes verſus occaſum ſolis, unus Abyla in Aphrica, alter Calpe in Hiſpania, veteres dixêre unum fuiſſe montem & laboribus Herculis in duos fractum & diviſum, ut intra eos mare flueret. Alii volunt duas eſſe columnas æreas in Gaditana inſula. Hic veteres extremum orbis putarunt. Cæſar Carolus V. ultra perveniens duas illas columnas juxta inſignia ſua poni ſtatuit, hac inſcriptione: Plus ultra. Nautæ hodiè extremum Inſulæ Gaditanæ promontorium, Finem terræ nominant; Hiſpani adhuc vocant Cadiz vel Caliz, ejus inſignem deſcriptionem dedit Abraham Ortelius in 3. Theat. orb. additam. Munſt. in Coſ. lib. 2. cap. 20. monumentum tale ibidem legitur.

D. M. S.

Si libet legito.

Heliodorus inſanus Carthaginenſis, ad extremum orbis Sacrophago teſtamento me hic juſſi

jussi condier, ut viderem si qvisqvam me unqvam insanior,ad visendum, ad me hæc usq; loca penetrarit

CONCL. XII.

Eryx.

Est mons Siciliæ. Fuit autem Eryx Veneris & Butæ filius, qvi occisus ab Hercule monti ex sepultura nomen imposuit,in qvo matri fecerat templum. In hoc autem monte dicitur etiam Anchises sepultus licet secundum Catonem in Italiam venerit, hinc Venus dicta Erycina.

CONCLUS. XIII.

Euganei colles.

Voce Græca qvasi nobiles & generosi vocati ab εὐγενὴς prope Pataviam Antenoris in Italia delitiis exuberant usq; qvaq; , nec Apennini nec aliarum Alpium pars, qvod vix aliis contingit, ab Evganeis qvi primi illos incoluerunt nomen sortiti sunt. Hic optimarum ad Theriacæ compositionem viperarum magnus venatus Sinistrorsum in collis Clivo est Arqvatum Francisci Petrarchæ litterato labore vicus decantatissimus , ubi statim in principio pro templi foribus ejus sepulchrum qvatuor columnis è rubro marmore sustentatum est oculis obvium monimentum tale ejus est.

Frigida Francisci lapis hic tegit ossa Petrarchæ
Suscipe virgo parens animam sate virgine parce
Fessaqve jam terris cœli reqviescat in arce.

Moritur anno Domini M. CCC LXXXIV. XVIII. Julii.

Con-

CONCL. XIV.

Faliscus.

EST mons in Hetruria, in qvo urbs ejusdem nominis hodie Montefiascon dicitur. Ab Alexio Archivo ædificata, & ideò antiqvitate maxima gaudet, & loci situ optimo, qvamobrem à Camillo expugnari non potuit, olim caput erat Faliscorum nunc non magni momenti, & vinis optimis abundat. Captis Faliscus invenere simulacrum Jani cum qvatuor vultibus & Romam transtulerunt. Trajanus Cæsar ei templum inter qvatuor fora constituit. Celebris hodie est à monumento illo: Propter Est Est: Dominus meus mortuus est.

CONCL. XV.

Garganus.

EST mons in Apulia qvi per Calabriam usqve in Adriaticum tenditur pelagus. Diomedes postqvam reperit ira Veneris à se vulneratæ uxorem Ægialiam ap. Argos turpiter vivere, noluit reverti, sed tenuit partes Apuliæ & Edomita omnis Gargani montis multitudine in eodem tractu plurimas civitates condidit. Hodie vocatur mons S. Angeli. Michael enim Archangelus tempore Felicis 2. Pont. anno Christi 1481. sese in monte hoc manifestavit, unde festum S. Michaelis idem instituit Pontif. in toto mundo celebrand. Boter. in univers. Cosmogr. p. 1. de Apulia Peregrinus ordinis Prædicat. in sermonib. Alphab. 13.

De

De S. Michaële Munster. in Cosmogr. lib. 2. de Italia c. 4. Sur. Tom. 5. in Michaël.

CONCLUS. XVI.

Hebron.

EST mons in Judæâ in qvo famosa urbs Ebrôn antiqva, qvæ etiam nomen ab eo accepit, hodiè tota vastata. Hic mons & urbs illustres sunt ob SS. Patriarcharum sepulturam. Semper inhabitârunt eum potentes & robusti homines, ut posteri Enack Serei & Achaman & Tholmei omnes de stirpe Enach. Josu. 15. cap. In eo monte ordinavit Deus principium regni Davidis, eumqve eò migrare jussit. Post mortem Saulis tanqvam ad tutissimum locum in tota terra, ibi habitabat David 47. annis donec ad plenariam regni gubernationem perveniret. Olim vocabatur Chariaturbe, hoc est, urbs qvatuor virum. Nam qvatuor famosissimi viri Adam, Abraham, Isaac & Jacob, una cum conjugibus ibi sepulti in duplici spelunca Saraceni ibi habent egregiam Moskeam, qvam pro tutamento terræ tenent, & neqve Christianos neqve Judæos intromittunt, ast per fenestram licèt sepultura Patriarcharum cernere.

CONCLUSIO XVII.

Hermon.

MOns est in palæstina, de qvo David Ps. 42. propterea, qvod tui recordor in terra trans Jordanem atqve ab Hermonio monte pusillo,

ubi

ubi alii legunt à Mitzear, eſt pars montis Libani qvæ verſus Orientem porrigitur & regnum Baſanitidis à Cœloſyria dirimit ſtringens Galilæam à ſeptentrione & ortu.

CONCLUS. XVIII.

Helicon.

Eſt mons Bœotiæ Muſis dicatus, in cujus vertice Muſis fons expreſſus dicitur, ungula Pegaſi qvem alii Aganippen, alii Hippocrenen vocant, vocatur & vertex Anius. Eſt autem Helicon pars montis parnasſi in Theſſalia, qvi dividitur in Cytheronem Liberi & Heliconem Apollinis.

CONCL. XIX.

Hecla.

Eſt mons in Islandia perpetuis damnata æſtib. & nivibus horrendo boatu lapides evomit, circa qvem freqventius horrendi ululatus ac fletus audiuntur, deſcenſum vel aditum ad inferos inde haud procul abeſſe poſſe multi conjiciunt, tranſeuntes amicorum more amice nihil minus ſalutare conſvevere, ſubito tamen evaneſcendo fruſtrantur. Paganos nonnulli hos appellant, ac pœnarum prætерqvam damni vel minimum in poſterum formidare ajunt, apparent etiam, dum mortuorum animas ſimulant, ad montem Heclam continuis flammis ut Aetna fumantem, evaneſcendo ſe recipere ajunt. Ioan. Anan. in libr. de natur. dæmon. dæmones eſſe putat p. 118.

CONCL. XX.

Ida.

Est mons in Phrygia sive Troade. Illinc oriri vel occidere putantur sydera, unde videri vel incipiunt vel desinunt: In hoc monte colebatur Cybele. In eo enim sacra ejus erant traslata à Dardano è Samo Thracia.

CONCLUSO XXI.

Libanus.

Mons Phœnicum altissimus, cujus meminerant Prophetæ, dictus à Thure, qvia ibi colligitur. Alius est mons qvi dicitur Libanus in Judæa, sed ut dicit Nicolaus de Lyra super illud Cantic. 4. non est ille mons de qvo ibi fit mentio, & sic sunt duo montes Libani, & excelsior seu altissimus est ille qvi est in Phœnicia, de isto monte meminit Plin libr. nat. hist. 5. cap. 20. Tota illa regio montosa, qvæ est inter mare Syriacum & urbem Damascum, Palæstinæ finitima versus Orientem & Septentrionem nominatur Libanus Cedris & aliis arboribus altissim. olim nobilis. Nomen habet à candore nivium, qvibus vertices altorum montium perpetuò teguntur. Mons hic tutus & securus est à serpentibus & venenosis vermibus qvos omnes fugat & depellit suo optimo odore ex herbis & arboribus proveniente. Libanon pertinebat Hyram regi Tyri 1. Reg. c. 5.

CONCL. XXII.

Misenus.

Est mons in Campania Virgiliano carmine ce-

celebriumqvè auctorum scriptis famosus & immortalis. Sub eo mortuo vel immolato ad Avernum, ut Servius tradit Miseno tubicini remigiqve suo sepulchrum Æneas posuit Virg. *lib. 6.*

Imponit suaq; arma viro remumq; tubamq;
Monte, sub Ærio, qvi nunc Misenus *ab illo*
Dicitur, æternumq; tenet per secula nomen.

Insinuans & designans per Remum ac tubam montem illum celebrem perpetuo futurum propter classem, atqve bellicarum navium stationem qvam ibi juxta Misenum Augustus ad tutelam maris inferi mediterranei tunc collocaverat primum. Accommodavit stationem illam *M.* Agrippa, sicut â Dione memoratur bello Siculo contra Sext. Pompejum præfectus Classis ab Augusto factus, atqve in eo sinu maris posuit, qvi inter Misenum & Cumas collib cinctus instar lunæ corniculatæ incurvus & inflexus erat loco nimirum capacissimo vel maxime classi opportuno propter vicinos maris sinus, triplici ab alveo Miseni latere inter Bajas atqve Puteolos ingruentes. C. Plinius naturalis historiæ scriptor, sub T. Vespasiano Miseni erat classemq; imperio præsens regebat.

CONCLUS. XXIII.

Moria.

ESt mons sacer in Hierosolymis, in qvo stabat templum Salomonis. 2. Paralip. c. 3. qvem montem David emebat ab Ornan Jebusæo 600 libris auri puri, ut in eo altare ædificaret Deo

tum temporis qvum pop. puniretur ob numerationem pop. à Davide factum 1. Paralip. 21. cap. In eo sacrificabat & adorabat David pro pop. & Deus exaudiebat eum de cœlo & mittebat ignem suum ad altare sacrificii: In eo monte sacrificabat Abrahamus sacrificium pro Isaaco, qvem Deus ipse jusserat offerri Genes. 21. In eo putatur Jacobus dormiisse & vidisse Angelos in scala ascendere & descendere. Genes. 28. Bernhard. à Breidenbach. in Itinerar. sacr.

CONCL XIV.

Neanis.

Est mons trib. lapidib. à Tridento. In eo sunt 350. pagi. 24 parochiæ, & 13. arces. In eo omnium rerum copia & abundantia exempto sale & aromate, habet vinum & frumentum, aqvam, pisces sylvestria, oves, damas apros, mures, alpinos, longus 11. milliaria, & latus 3. Munster. in Cosmogr. lib. 3.

CONCL. XXV.

Oeta.

Mons inter Thessaliam & Macedoniam in qvo sepulchrum Herculis. Hercules autem qvum hominem in hoc monte deponeret petiit comitem suum Philocteten Pæantis filium, ne alicui corporis sui reliqvias indicaret, de qva re eum jurare compulit, eiqve pro munere sagittas dedit hydræ felle tinctas. Postea Trojano bello responsum est sagittis Herculis opus esse ad Trojæ expugnationem. Inventus

ita

itaqve Philoctetes, qvum ab eo Hercules qværeretur, & primo negaret se scire ubi esset, tandem mortuum esse confessus est. Inde qvum acriter ad indicandum sepulcrum ejus cógeretur, pede locum percussit, qvum nollet dicere. Postea qvam ipse duceretur ad bellum, unius sagittæ casu vulneratus est pedem qvo percusserat, tumulum. Cujus insanabilis vulneris putorem cum Græci ferre non possent, dictum tandem ad Lemnum sublatis sagittis reliqverunt Hic posteaqvam horrore vulneris ad patriam ire noluisset, parvam sibi Petiliam in Calabriæ partibus fecit.

CONCL. XXVI.

Olympus.

Est altissimus mons Thessaliæ, unde propter altitudinem sumitur pro cœlo, hinc Virg. lib. 10. Æn. Panditur interea domus omnipotentis Olympi, dictus olympus, q. ὁλόλαμπος qvod ibi lucidus semper sit aer, nullisqve unqvam nubibus obfuscetur, aut παρὰ τὸ ὀλλύειν τοὺς ὦπας, qvod ibi præ frigore oculi perdantur, qvando pro cœlo Poëtæ usurpârunt dictum volunt ὁλυμπὸν, qvasi ὁλόλαμπον, qvod totum cœlum stellis fulgeat, ut tradit *Aristot.* de mundo. il. ἐ ὄφρες ὀλυμπον ἴκωμαι ἰν. ἀθανάτων ἔδος ἐςί. In ejus cacumine aram Jovi dicatam memorant Poëtæ, ut dicit Nicolaus Perottus in suo lib. 1. Cornu cop. Hic mons Macedoniam à Thracia dividit & de isto monte

te meminit Isiodor. lib. 14. c. 8. post ipsum Ptolomeum Sunt autem qvatuor montes hoc nomine: primus mons altisſimus inter Macedoniam & Theſſaliam, qvi tamen Theſſaliæ adſcribitur, alter in Gallo Cræcia vel in Cypro, alius & tertius ap. Myſos, ad cujus radices Pruſa ab Hannibale condita eſt. Qvartus ad mare rubrum in Æthiopia non longè ab Heliopoli oppido, qvi Oriente Sole usqve ad Qvintam diei horam flammas emittit, ut dicit Calepinus in verb. Olympus.

CONCLUS. XXVII.

Parnaſſus.

Eſt mons in Cræcia in provincia Phocide colitur in eo Apollo, & eſt Delphicum oraculum Apollinis, ideò Parnaſia, id eſt Apollinea laurus dicitur.

CONCLUSIO XXVIII.

Pauſilippus.

Eſt mons prope Neapolin, in eo conſpicitur P. Virgilii Maronis ſepulchrum, ubi hi verſiculi recens candido marmori inſculpti leguntur:

Qvi cineres? tumuli hæc veſtigia, conditur olim
Ille hoc qvi cecinit paſcua rura duces.

CONCL. XXIX.

Fractus.

Eſt mons In Alpibus Lepontinis, ad lacum Lucernenſem, dum ea loca permanſerem, mira de eo percepi. Pilato Romæ ſe ipſum interficiente, Romani ejus cadaver in Tybrim projecere, ex qvo ſubita oborta tempeſtas, ac ſi Tybris omnia

mnia inundare ac perdere vellet, hinc ejus cadaver à ſacerdotibus in altisſimos Helvetiorum montes. in Stagnum bannitum & exorciſatum eſt, ubi in lacu profundo ſemper aqva abundante dicitur eſſe, & ſumma prohibetur pœna, ne qvis qvidpiam injiciet ob tempeſtatem ſuborituram. Munſter. in Coſmogr. Rau. de Helvet. p. 220.

CONCL. XXX.

Proculus.

EST altisſimus mons Thuringiæ viſui ſupra 16 milliaria in circulo patens. De eo Wendel. Hellebach. P. L.

Mons ſitus Herciniis mediis in ſaltibus ingens.
Qvi partu Buda divite gignit aqvas
Longinqvis ſiqvidem procul ille videtur ab oris,
Hunc proculum meri to nomine reqꝫ vocant.
Namqꝫ Thuringus eum cũ Saxone cernit & Heſſus
Atqve Eisfeldiaca ſubdita turba plaga
Hic veluti reliqvos excellit corpore montes.
Qvotqvot in Hercinia ſaltibus eſſe vides
Nobilitate ſua ſic hos qvoqve vincit & arte
Et capitis vera proprietate ſui.
Numen ineſt etenim cœleſtis & hexis in ipſo
Qvi præſcit claros imbriferosqve dies
Eſtqꝫ Cheruſcorum ſic practica certa, magisqꝫ huic
Qvam qvi ſunt celebres creditur arte poli,
Nam ſi mane caput nebula tegit atqꝫ tenebris
Aut pluvias, aut fert nubila ſive nubes
At ſi depoſitis videt ardua lumina ſolis
Nubibus eſt certò clara futura dies.

CONCL. XXXI.

Sinai.

Est mons in Arabia Petrea in qvo Deus opt. max. cum fulgure & tonitru Decem Præcepta Decalogi Moysi tradidit, famosus etiamnum est à peregrinatione. S. enim Catharinæ corpus ab angelis eo translatum fertur. Goltuv. in fastis Eccles. fol. 309.

CONCLUS. XXXII.

Sion.

Est mons sacer in Hierosolymis, Castrum seu Turris Davidis in cujus uno latere erat templum Salomonis, tanqvam medium inter Castrum & inferiorem urbem, sæpius ejus meminit David in hymnis, ob dignitatem suam & nobilitatem sumitur pro sancta Ecclesia.

CONCL. XXXIII.

Est mons Italiæ in Faliscis, ap. Hirpinos haud longe à Flaminia, mons asper cum templo Phæroniæ Nymphæ, & cum templo Apollinis, cujus sacerdotes illæsi super prunas ardentes ambulabant. Virg. lib. 11. Æn.

Summe Deum sancti custos Soractis Apollo,
Qvem primi colimus cui Pineus ardor acervo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna.

Serv. ibid. In hoc monte cum aliqvando Diti Patri sacrum persolveretur, nam manibus consecratus est, subito venientes lupi exta rapuerunt qvos cum diu seqverentur, delati sunt ad spelun-

luncam qvandam halitum ex se pestiferum emittentem, adeo ut juxta stantes necaret. Exinde est orta pestilentia,qvia fuerant lupos seqvuti, de qva responsum est posse eam sedari, si lupos imitarentur,id est,rapto viverent,qvod posteaqvam factum est,dicti sunt ipsi pop. Hirpini Sorani: Nam lupi Sabinorum lingva Hirpi vocantur.Sorani à Dite. Nam Ditis pater Soranus vocatur, qvasi Lupi Ditis patris.

CONCL. XXXIV.

Tonitruus.

EST mons in tractu Hunnorum de eo Wendel. Gelb. P.L.

Qvi caput hic vacuum mons tendit in aera celsus
Inter & occasum meridiemq; jacet,
Hunnorumqve jugis (regio sic proxima fertur)
Objacet à tonitru nomen & omen habet.
Hinc etenim surgunt plerumqve tonitrua cœli
Grandine qvæ jacto sæpè nocere solent.
Hac igitur nullis, qvo mons patet ille foramen
Felis ab agricolis dicitur hisce nigrum.
Sicut enim catus solet esse molestus acutis
Ungvibus & rabidis dentibus esse nocens
Sic qvoqve velatus qvoties hic nubibus atris
Cernitur, & gravidis terror & horror agris
Præcipuè niveæ cum sint prope tempora messis
Ut metat injecta falce colonus eos.
Nec fruges etenim tempestas horrida perdat
Grandine vel nimio qvilibet imbre timet.

CONCL. XXXV.

Vesuvius.

EST mons Italiæ in Campania. In eo qvandò ardebat cum terræmotu, Plinius cum qvadriremib. tam ad ſuccurrend. oppresſis, qvam ad explorandos ejus ignes ſe propius accedens, ejus cinerib. atqve vapore ſuffocatus eſt, qvemadmodum Plinii ex ſorore nepos C. Cæcilius, qvi tum cum auunculo Miſeni erat, ad Tacitum hiſtoricum ſcribit.

CONCLUS. XXXVI.

Thabor.

EST mons Galilææ iuter mare Tiberiadis & oppidum *N*azarethum in finibus tribus Zabulon in qvo torrens Ciſon ſuam habet originem. In hoc monte Dominus noſter. I. C. ante *S.* Petrum, Iacob. & Johannem glorificatus, & apparuit vultus ejus ut *S*ol, & veſtimenta ejus albeſcebant ut nix, Matth. 17.

XIV. CONSIDERATIO.

De Syluis Terræ.

SYluas, Lucos, nemora ſacra habita fuiſſe, Germanis obſervatum, præcipue qvibus pro Templis utebantur teſtimonio Taciti in lib. de cor. mor. Hincqve illud Plinii *lib. 12. c. 1.* ubi de lucis & arborib. verba faciens inqvit: Hœc fuere numinum templa priſcoqve ritu ſimplicia rura, etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant, nec minus auro fulgentia, atqve ebore ſimulacra, qvam lucos, & in iis ſilentia ipſa adoramus. Valla lib. 14.

ſcri-

ſcribit. Lucus neqvaqvam cæduus eſt, qvin potius manum conſitus religioſusqve atqve vel alicui Deo vel alicujus hominis cineribus conſecratus, ideoqve aut circa delubra Deorum, aut circa ſepulchra hominum poſitus eſt, *Ap.* Hebræos qvoqve inlitteris ſacris obſervatum, ſepulturæ traditos nonullos in Lucis ſeu nemoribus: Ita lib.1.Reg.c.31. Saulis & filiorum ejus oſſa ſepulta in nemore Iabes legimus. Qvod etiam repetitum eſt, 1. Paral.c.10. ut refert Marcell. Donat. in C. Suet. Tranq. dilucid. c.1. in Tiber. Sanctis qvoqve & divisap. Chriſtianos dicati fuereLuci. Cujus veſtigia ſunt in Kirchaina Chattorum qvæ mea patria eſt, circa qvam duo luci alvei ſunt, qvorum unus Sancto Michaëli qvi eſt patronus civitatis, alter S. Jacobo dicati in hodiernum diem nomen retinent.

CONCL. I.

Hic ad notandum ex Fr. Patricio de Inſtitut. reip. lib 7. tit. 5. qvod ſylua qvadrifariam dividitur, nempe in Saltus. nemora, ſylvam cæduam & Materiariam. Saltus appellarunt veteres, in qvib. frutices virgulta & minores arbuſtulæ, ad uſum pecoris inter herbas pasſim oriunrur, in illis utiles ſunt myricæ, arbuti Cythiſi dumi, lentiſci ſalices, & calami ſylveſtres, & præcipuè hiberno tempore, nam minus à nivibus peſſundantur. Myrteta etiam utilia eſſent non modo pecori verum coriariis, ſcrota enim illis foliis præcipuè molliuntur.

Con-

CONCL. II.

NEmora sylvæ sunt majores in qvib9 arbores proveniunt, qvæ baccas habent aut glandes aut castaneas, suillo pecori utiles admodum & sylvestribus animalibus, qvæ propter venationis usum non injucunda sunt.

CONCL. III.

Sylua cædua est qvæ in hoc habetur ut cæderetur, Servi9 tamen Sulpitius ait eam esse sylvam cæduam, qvæ succisa rursus ex stipitibus aut radicibus renascatur, ut scribit Paulus I.C.A. sylua cædua D. de verb. sign.

CONCL. IV.

Sylua Materiaria ea dicitur, qvæ materiam ædificiis, navigiisqve præstat, hanc diligentius asservandam esse scribit Patrit. de loc. emendandamqve singulis annis à sentibus ac vepretibus ne novis surculis arbusculisqve crescentib. impedimento sint.

CONCL. V.

CUm natura omnia hominum causa comparata text. in L. pecudum. D. de usur. in iis etjam animalia sylvestria, licitum est mortificare animalia in usus hominum, nam ferarum carnibus vescimur, pellibus contegimur. Gen. 1. liqvet igitur occisionẽ animalium ratione carentium, & per conseqvens Venationem capturamqve ferarum, ut aucupium & piscationem jure divino naturali & civili homini permitti Georg. Mohr de jure venand part. 1. c. 1. *num.* 35. 36. *vid.* Sum. Angelic. in verbo Venatio.

Con-

CONCL. VI.

PRimi in ſacris litteris Venatores exprimuntur- Nembroth & Eſau. Gen. c. 10. 25. & 27. ex qvibus apertè conſtat uſum venationum una cum humano genere cœpiſſe. Verum tamen ut inqvit *S.* Hieronymus relatus à Gratiano c. Eſau. 86. diſt. non invenimus in ſcripturis ſanctis ſanctum aliqvem venatorem. piſcatores invenimus ſanctos, cum piſcatio ipſos habeat Apoſtolos ante & poſt reſurectionem Chriſti, imo Chriſtum ipſum approbantem, & jubentem retia tendi ac de piſcatione comedentem Luc. & Ioh. c. ult

CONCL. VII.

ADdo hic: Sylvium Poſthumum Æneæ filium regem Italiæ in ſylua fuiſſe nutritum, indeqve reges freqventes dicti ſunt Sylvii, ut Æneas Sylvius. Latinus. Sylvius Alba *S*ylvius. Achis *S*ylvius.

CONCL. VIII.

ADdo & hic Venatores ſe induere communiter ſolere veſte viridi, qvia propter aſpectum viroris, qvem beſtiæ naturaliter diligunt, minus venatorum inſidias expaveſcunt. Viridis enim color maximè delectat viſum, ut ſcribit Iſidor. lib. Etymol. 16. c. de viridiorib. Gemmis allegatur per Barthol. Anglic. in ſuo libr. 19. de propriet. rer. ubi ait, qvod propter viſum cervi & alia nimalia agreſtia virentia diligant & freqventant, &c.

Con-

CONCL. IX.

Hercynia.

SYlva eſt Germaniæ (qvâ & Eratoſtheni & qvibusdam Græcis fama notam eſſe video, qvam illi Orcinium appellant) hujus Hercyniæ ſylvæ eſt latitudo novem dierum itinere expedito patet, non enim aliter finiri poteſt, neqve menſuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum & Nemetum & Rauracorum finibus rectaqve fluminis Danubii regione, pertinet ad fines Dacerum & Anartium: Hinc ſe flectit ſiniſtrorſus diverſis à flumine regionibus multarumqve gentium finis propter magnitudinem attingit. Neqve qvisqvam eſt hujus Germaniæ, qvi ſe aut audiſſe aut adiſſe ad initium ejus ſylvæ dicat cum dierum iter LX. proceſſerit, aut qvo ex loco oriatur acceperit Jul. Cæſar. de bello Gallic. lib. 6. Et eam dicit eſſe Plinius in lib. 15. nat. hiſt. c. 3. In Septentrionali plaga roborum vaſtitate intacta, in qva colles occurſantium inter ſe radicum repercuſſu attollantur.

CONCL. X.

Arduenna.

SYlva eſt totius Galliæ maxima atqve ab ripis Rheni finibusqve Trevirorum ad Nervios pertinet, millibusqve amplius qvingentis in longitudinem patet. Jul. Cæſar. de bello Galic. lib. 6.

CONCL. XI.

Cyminia.

LIvius lib. 9. ab urbe condita de Ciminia Hetru-

truriæ ſylva ſic ſcribit: Sylva erat Ciminia magis tum invia atqve horrenda, qvam nuper fuêre Germanici ſaltus, nulli ad eam diem ne mercatorum qvidem adita, eam intrare haud fere qvisqvam audebat.

CONCLUS. XII.

Dodona.

Poëtarum carminibus laudatisſima Sylvarum eſt Dodona Chaoniæ, cum proter uſum glandis ibi repertum, tum ob ſimulacrum Jovis *Dodonæi*, & columbas, qvæ qvercubus inſidentes reddebant oracula.

CONCL. XIII.

Gabreta.

Eſt Sylva Bohemiæ verſus Franconiam & Bavariam. Sylva.

Luna.

Eſt Sylva Bohemiæ verſus Auſtriam. Ptolom.

XV. CONSIDERATIO.

De hortis terræ.

CONCL. I.

Paradiſus.

Hortus ille deliciarum à Deo plantatus, fuit ſecundum Damaſcenum exultationis univerſæ promptuarium, qvi terra excelſior poſitus eſt: & temperato ac purisſimo aere refulget, plantis ſemper floridis comatus, bono odore plenus. Eſt etiam ſecundum Iſidorum omni genere ligni & pomiferum arborum conſitꝰ, non æſtus, ſed temperies aëris perpetua

è

è cujus medio fons procurrens totum nemus irrigat, & secund. Magistr. in histor. supr. Gen. Paradisus est in principio mundi partis Orientalis locus tam altus, qvod aqvæ diluvii universalis ipsum non attigerint, qvia secundum Strab. & Bedam paradisus pertingit, usqve ad globum lunarem, qvod tamen qvidam impugnant, ut Henricus de Erfordia & alii qvidam, & est locus amœnissimus, longo tractu terræ & maris, & si homo non peccasset, Deus qvi totum mundum fecit, & Paradisum ampliasset, sic qvoqve omnes homines conclusisset. Arbores Paradisi comam nunqvam perdunt, ibiqve Enoch & Helias usqve hodie incorrupti perseverant, ut dicit Magister in historiis. Et Paradisus tantæ est altitudinis, qvod est inaccessibilis secundum Bedam, & tam altus qvod æthercam regionem contingat, & qvod aqvæ cadentes de eo tantum faciunt strepitum hominibus in vicinio commorantib. ut perdant sensum auditus, ut dicit Basilicus in Examer. & Ambros. Et est Paradisus secundum Albert. M. locus temperatissimus, Libræ & Arieti penè suppositus, qvia in Oriente juxta Zonam torridam. Ideò bis in anno sol pertransit centrum Paradisi, & est ibi aër subtilissimus & incorruptus & semper æqvinoctium & uterqve polus ibi videtur, ab Helia & Henoch inhabitatur, & arbores bis ibi in qvolibet anno fructificant, qvia duplex est ibi æstas & duplex hiems in anno & utrumqve nostrum

sol-

ſolſtitium eſt eis profundiſſima hiems & utrumqve æqvinoctium profundisſima æſtas. Patet igitur, qvod eſt locus altisſimus terræ, ſecretisſimus, temperatisſimus, amœnisſimus qvia eſt ibi loci viriditas florum venuſtas fragrantia aromatum, umbroſitas arborum, ubertas fructuum, cantus avium ordinatisſimus. Hujus autem loci poſt peccatum hominis aditus interclusus eſt. Septus enim undiqve rumphea flammea, id eſt, muro igneo accinctus, ita ut ejus cum cœlo penè jungatur incendium. Cherubin qvoqve id eſt, angelorum præſidium arcendis Spiritibus malis ſuper rumpheæ flagrantiam ordinatum eſt, ut homines flammæ, angelos verò malos, angeli boni ſubmoverent, ne cui carni vel ſpiritui tranſgresſionis aditus paradiſi pateat, ut dicit Ptolom. in ſuo libr. de tribus orbis partib. c. 2. ita etiam de paradiſo loqvitur Arch. in c. omnib. in princ. 24. q. 1. & Alber. de Roſa. in ſuo dictionar. in verb. paradiſus in 3. notab. in fin. Bal. in c. 1. §. mutus, in prin. in tit. Epiſcopum vel Abbatem &c. in uſibus feudor. De paradiſo terreſtri, & ſecundum aliqvos ſex qvos enumerat Phil. Bergom. in lib. 1. ſui ſupplem. Chron. vid. Chaſſan. in Gloria mundi part. 12. conſiderat. 4.

CONCL. II.

Hortus Balſami.

ERat in cacumine montis ubi interfectus eſt Saul, & nullo alio loco balſamum naſcebatur.

tur. Cæterum tempore magni Herodis Cleopatra regina Ægypti favente Antonio marito, ſed invidente Herode hortum Balſami transtulit in Babyloniam Ægypti,ubi pretioſisſimarum arborum hortus deliciofus colitur à Chriſtianis ſolis,rigaturqve aqva fontis , in qvo fama eſt virginem gloriofam ſæpè laviſſe infantulum Jeſum cum degeret in rerrâ Ægypti.Sunt tamen adhuc ſurculi qvidā balſami in monte Engaddi, ſed nullius cultus nulli' proventus. Sic miro modo Deus ſe ulciſcitur de peccatoribus, ut qvoniam Herodes olim horti Balſami poſſeſſor JEſum puerum perſeqvebatur , Jeſus fugiens in Ægyptum poſt ſe traxit Balſami hortum. Eſt autem hic hortus in ægypto inter Heliopolim & Babylonem, habens in longitudine duos jactus arcus, in latitudine jactum lapidis terræ ferè albæ, hæc dicit Bartol. de Saligniaco in itiner. terr. ſanct. cap. 7. Tom. 10. ut refert, qvod mesſis balſami talis eſt : decerpitur folium ex ſtipite contra ſolem, moxqve gutta lucida & mirè fragrans ſcaturit ex ruptura. Fonticulus autem Jeſu parvus eſt non ſufficiens irrigationi totius horti, qvare Saraceni alium foderunt juxta illum puteum , ex qvo qvatuor boves aqvam protrahunt per rotam, ſperantes ex vicinitate fontis Jeſu aqvam fore ſalubrem, at longè aliter res evenit,donec misſis canalib. aqvam ducerent in fontem JEſu, qvò facto largiter & ſalubriter ex aqvis mixtis rigatur Balſami hortus. Non eſt omittendum, ut refert

Chaſ-

Chaſſan. in Glor. mund. part. 12. conſid. 76. mirum tamen dictu, qvod à meridie Sabbati usqve ad auroram diei Lunæ boves nullo verbere impelli poſſunt, ut in protrahenda aqva laborent.

CONCLUS. IIII.

Hortus Babylonicus.

PEnſilis fuit & inter orbis ſpectacula admiſſus ſive illum fecerit Rex Cyrus ſive Semiramis, ut refert Cælius lib. 18. c. 38. in fin. Schedel. in Chron. ab init. mund. tert. ætat. fol. 25.

CONCL. IV.

Horti Alcinoi.

Pheacum regio cujus Rex fuit Alcinous, hortos habuit tanta pomorum varietate nobiles, ut præmaturis primis nova ſtatim renaſcerentur, qvæ cum magno ſtudio coleret Rex ejus loci, Deus hortorum creditus eſt. *Stat. lib. 1. Sylvar.*

Qvi bifer Alcinoi laudem pomaria voſq;
Qvi nunqvam vacui prodiſtis in area rami?

Mantuan. *Alcinoi ſylvas canit & Phæacia poma.*
Ov. lib. 3. *Proxima Phæacum felicib. obſita pomis*
Rura petunt. —

CONCL. V.

Horti Athenienſes.

EPicurus teſte Plinio *libr. 18. c.* 4. primus omnium hortos Athenis inſtituit, cum antea ruri tantum haberentur, non in urbibus. Hinc Epicurus hortorum magiſter appellatur. Laërtius refert Epicuri ſcholam fuiſſe in horto.

Propert. lib. 3.

Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis.

CONCL. VI.

Horti Pallantiani.

PAllas potentissimus Libertorum Claudii Imp. omnium opulentissimus evasit, hic hortos habuit laudabiles in regione V. in Esqviliis.

CONCL. VII.

Horti Sallustiani.

A. C. Crispo Sallustio historiarum scriptore hi comparati excultiqve esse creduntur, qvi cum universum ferè patrimonium profudisset, ac domum paternam vendidisset, ut ab adulterii crimine, de qvo accusatus erat, se redimeret, à C. Julio Cæs. Numidiæ est præfectus, ex cujus expilatione ditissimus factus. Hortos amœnissimos sub Qvirinali intra pomarium ad Collinam portam, prope malum punicum, & Tiburri villam emit, qvàm adeò diligenter excoluit, ut in deliciis Horti Sallustiani semper fuerint habiti: Et primum ab Augusto Nerone aliisqve principibus pro re amœna fuerint possessi. Tacitus lib. 13. loqvens de Nerone regredienti, inqvit, per Flaminiam compositas insidias fato evitavit, qvoniam diverso itinere Sallustianos in hortos remeaverit. *Plin. lib. 7. c. 6.* & *Dion. lib. 43.* scribunt imperante Augusto in hortis Sallustianis pusionis & secundillæ

dillæ immania cadavera decem pedum & trium Unciarum pro miraculo condita fuisse. Vopiscus etiam auctor est Aurelianum in hortis Sallustianis & Domitiæ libenter vixisse, & in illis porticum Miliarensem exornasse. Ulpianus in L. ap. Julian. §. pen. D. de Legat. 1. Si Sallustianos, inqvit, hortos qvi sunt Augusti, legaverit qvis furiosi est talia legata testamento adscribere, addant his Ruffus & Victor Templum Veneris in hortulis Sallustianis.

CONCL. VIII.

Horti Largiani.

ROmæ in via lata regiones 7. celebres fuere Horti Largiani, Valerio Largo instructi.

CONCL. IX.

Horti Domitiani.

ROmæ in regione. 14. Transtyberina erant Horti Domitiæ Longini, in qvib. libenter versatum fuisse Aurelianum Vopiscus memorat. Displicebat ei, inqvit, cum esset Romæ habitare in palatio ac magis placebat in hortis Sallustianis vel Domitiæ vivere, hæc ille.

CONCL X.

Horti Mæcenatis.

MÆcenas qvoqve hortos habuit Romæ pulcerrimos in Esqviliis, ad qvos propter amœnitatem plerumqve divertebat Octavius.

CONCL. XI.

Hortus Medicorum Patavii.

CElebris hic hortus est rarioribus herbis con-

 situs.

ſitus. Cujus leges legas in marmoream tabulam ſupra primam portam inciſas.

Trium viri Litterarii.

I. Portam hanc Decumanam ne pulſato ante diem Marci Evangeliſtæ, ante horam XII.

II. Per Decumanam ingreſſus, extra Decumanam ne declinato.

III. In viridarium Scapum ne confringito, neve florem decerpito, ne ſemen fructumvé ſuſtollito, radicem ne effodito.

IV. Stirpem puſillam ſuccreſcentemqve ne attrectato, neve Areolam conculcato transilitove.

V. Viridarii injuria non afficiuntor.

VI. Nihil invito præfecto attentato.

VII. Qvi ſecus faxit, ære, carcere, exilio mulctator.

CONCL. XII.

Viridarium & Hortus Poëtarum Bononiæ.

EST perqvam celebris hortus multa jocunda oſtendit vivariis arboribus, topiariis, viis, fontibus & palatio.

CONCL. XIII.

Hortus Vaticanus.

ROmæ juxta palatium Pontificis in Vaticano ſunt horti qvi ab amœnitate hodie Belvedere appellantur, in unius horti periſtylio area media variis exoticis conſita arboribus Hinc Tiberis ſpectatur, innititur enim lupæ lactanti puerulos Romulum & Remum: illinc Nilus eſt, cui Sphynx ſubjacet circumqvaqve lu-

ludentes pueruli 17. cubitorum altitudinem, qvibus excrescit fluvius, designantes auctore Plinio in basi sculpti Hippopotami & Crocodili Nilo propriæ animantes. Repertum hoc monumentum olim ad templum S. Stephani di Caco.

In peristylio Larvæ marmoreæ singularis artificii 13. visuntur.

In Loculis seu repositoriis, est Antonius è marmore candidissimo artificio mirabili qvalem Hadrianus Imp. fieri jusserit.

Ad dextram Armis fluvii habitu est hominis jacentis, urnamqve effundentis: ad lævam Cleopatra est dextræ innixa.

In secundo Loculo. Venus Erycina est è balneo prodiens pudica tamen &c.

Alio loculo, eadem cum Cupidine colludens, cui inscriptum: Veneri Felici Sacrum Salustia Helpis DD. juxta est Bachus brachiis multilus & Hercules ille, licet truncus, usqve eo tamen à Michaële Angelo prædicatus, ut omnium signorum qvæ Romæ sunt absolutissimum esse dixerit.

Qvarto loco est Commodi Imp. statua Herculis habitu & forma qvo se nomine vocari & efformari jusserat. Brachio puerum tenet cujus imprudentia dejectis è fenestra pugillaribus qvibus conjuratorum nomina prodebantur cæsus est, &c.

Qvinto loculo Apollo est Pythius cui se implicat sqvamosus serpens.

Sexto loco eſt Laocoon cum duobus filiis qvos gemini Dracones fluxuoſis gyris implicant, ut à Marone 11. Æneid. deſcribitur, opus eſt omnium qvæ toto orbe ſpectantur abſolutisſimum.

In proximo cœnaculo eſt Cleopatræ morientis ſtatua, ea arte perfecta, ut per veſtes tenuisſimas è marmore factas corporis forma numeris omnibus abſoluta appareat.

Proximè ſpectatur Mercurius & Cybele vertice Turrita cui adſtat Leo & Atis adnixus pinui, ex qva pendet fiſtula & Cymbalum. Dici non poteſt qvam ſpectantibus voluptatem admirationemqve ad ſtuporem adferant univerſa.

CONCL. XIV.

Hortus Pratolinus.

NOn procul à Florentia eſt Pratolinum & hortus, qvem qvi non admiretur eſt nemo. Hunc Franciſcus Dux Magnus poni jusſit, & exornari rebus illis omnibus, qvæ principi amplitudine & otio eſſe posſunt. Statuis, picturis, uberibus, fontibus, qvæ omnia ea arte diſpoſita ſunt, ut inter principes ex Italia locos qvi oblectamento animos perfundunt, referendus ſit.

CONCL. XV.

Labyrinthus.

DÆdalus Architecturæ inventor ſecundum aliqvos in Creta regnante Minoë Labyrinthum miro gyrorum ordine ædificavit, ad ejus ſimi-

ſimilitudinem, qvem diu ante Miris à nonnullis Miro appellatus eſt, Ægyptiorum rex pro ſepulcro ſibi opulentisſimo conſtruxit, cujus qvidem aditus ingredientibus facilis erat, exitus autem perdifficilis viarum perplexitate, niſi beneficio ducis itineris peritisſimi, Virgil. lib. 6.

Hic labor ille domus & inextricabilis error.

Plin. lib. 36. c. 13. dicit: Qvatuor fuiſſe Labyrinthos, ſecundum Ægyptium. Tertium in Lemno, & qvartum in Italia, de qvibus text. amplè in ſua officin. & inter alia opera ſcribit. De primis eorum autoribus Polydor. Virg. de invention. rer. lib. 3. c. 10.

XVI. CONSIDERATIO,
De Arboribus Terræ.

CONCL. I.
Arbor Paradiſi.

FEcit Deus ad ornatum & decorem Paradiſi triplex lignorum genus, ſecundum Iſidor. & Auguſtinus de civitate Dei, unum ad ſuſtentationem vitæ per nutrimentum, de qvo dedit præceptum affirmativum dicens Gen. 2. Ex omni ligno paradiſi comede, aliud fuit ad probationem obedientiæ ſcilicet lignum ſcientiæ boni & mali, de qvo dedit præceptum negativum dicens. De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. Comeſtor dicit qvod lignum ſcientiæ boni & mali dictum eſt ex eo qvod ex ejus comeſtione ſecutum eſt, qvia ſenſerunt ſtatim poſt comeſtionem malum ægritu-

dinis & imbecillitatis ac rebellionis carnis contra rationem, & ſic cœperunt cognoſcere bonum ſanitatis firmitatis obedientiæ, ac malum in firmitatis, ægritudinis, imbecillitatis ac inobedientiæ. Tertium fuit lignum in paradiſo nobilius aliis ſcilicet Lignum Vitæ, & hoc tripliciter, primo propter effectum, qvia dabat ſe comedenti cauſam immortalitatis & prohibebat cauſam infirmitatis & imbecillitatis. Non tamen virtute naturali purè, ſed magis gratuite propter virtutem animæ obedientis Deo, qvæ erat immortalitatis cauſa principalis ipſius corporis ſecundum Thom. in ſcr. ſecund. ſent. qvia qvoties homo fuiſſet infirmatus, de iſto ligno ſumſiſſet, ſanitati datus fuiſſet, & hoc ſic continuaſſet, uſqve dum numerus electorum completus fuiſſet, tunc omnes ſimul in cœlum rapti fuiſſent. Secundo propter ſitum, qvia ſitum erat in medio paradiſi, qvaſi pretioſius & dignius omnium. Tertio propter ſacramentum ſecund. Auguſtin. ubi ſupra ubi dicit, qvod per lignum ſcientiæ boni & mali ſignificatur liberum voluntatis arbitrium. Per Lignum vero Vitæ Chriſtus ſignificatur, Ezech. 31. Omne lignum Peradiſi non eſt aſſimulatum illi, Cantic. 14. Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Mea opinio, ſalvo alterius cujuscunqve melius ſentientis judicio eſt: Arbore vitæ & arbor ſcientiæ boni & mali, erat una arbor. Conjunctio enim, Et non eſt diverſativa,

tiva, sed copulativa, & explicativa, pro (id est) Arbor vitæ. Et qvæ etiam erat arbor scientiæ boni & mali. Una arbor duo nomina habens diverso respectu. Arbor vitæ, qvia si non attigissent illam secundum Præceptum Dei, vixissent in perpetuum. Arbor scientiæ boni & mali eo respectu, qvia ex transgressione cotra mandatum Dei peccabant & noscebant ex peccato an fecerint bonum malumvé. Ideoqve dicebatur Arbor Vitæ, non ut si vescerentur ex ea, viverent, sed si abstinerent ab ea viverent juxta mandatum Dei. Arbor scientiæ boni & mali, dicebatur, qvod qvocunqve die comederint ex ea, morerentur, scientes qvid fecerintt boni & mali. Et qvod Deus dicit; Ecce Adamus factus nobis similis, ne attingat etiam arborem Vitæ, est derisio & admonitio peccati.

CONCL. II.

DE arboribus *Plin. lic. 16. c. 40.* scribit laudes arborum in magnitudine & *lib. 17. c. 1.* arborum pretia mirabilia & *lib. 12. c. 1.* de arborum honore.

CONCL. III.

Cedrus.

ARbor est procera, cujus lignum est jucundi odoris & tineis impervium & infestum, propterea opus dignum cedrum dicim9, qvod laudibile est, & ab injuriâ blattarum & tinearú maxime conservand. vel qvod ejus oleum illitum res omnes conservet à tineis & carie.

Con-

CONCL. IV.

Palma.

ARbor cujus genera 49. nonnulli posuerunt multum de ea *Plin. lib.* 13. *c.* 4. *Gellius lib.* 3. *c.* 6. scribit. Si super palmæ arboris lignum, magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas, oneresqve ut magnitudo oneris sustineri neqveat, non deorsum palma cedit, nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur recuruaturqve, propterea in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ, qvoniam ejus ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus prementibusqve non cedat.

CONCL. V.

Cypressus.

JUra eam arborem Perseum vocant, qvam cædi aut vendi prohibenr L. 1 C. de Cupress. so ex Lueo *D*aphnensi vel Perset. per Ægypt. non excidend. vel vendendum. eam ferunt fugiente in Ægyptum Christo, sese inclinasse, & ipsum adorâsse atq; umbram præbuisse. Julianus Apostata ad invidiam nominis Christiani hanc arborem excidit.

CONCLUS. VI.

Olea.

ARbor semper virens, præbet nobis communiter notum oleũ nota. Olea vicina qvercui extinguitur ex naturali dissidio, sed mirifica amicitia, & qvasi mutuum fœdus est inter oleum & vitem, non solum enim incolumis manet vitis, si inseratur oleæ, sed etiam novas

vi-

vires accipit, & tum vuas tum olivas gignit sed uvas pariter & uvarum & olivarum saporem referentes.

Et notand. ex his qvatuor lignis facta fuit Crux Christi, ut dicit Io. And. in Clem. 1. de Sum. Trinit. & fid. Cath. qvæ hoc versiculo continentur.

Ligna crucis Palma, Cedrus Cypressus Oliva.

Cedrus enim fuit in stipite. Palma in Palo per longum. Cypressus in ligno ex transverso. Oliva in tabula supra crucem loco qvarti brachii. Et de laude crucis ample & devote scripsit Rabanus tam metricè qvam prosaicè & plura cantat mater Ecclesia in dieb. exultationis & inventionis Crucis &c.

CONCLUS. VII.

Buxus.

Est arbor tonsilis & semper virens, ea fiunt tibiæ multæ foratiles, laudatissimi pectines & unguentariæ pixides, & cariem non sentit nec vetustatem.

CONCL. VIII.

Fraxinus.

Est arbor procera & teres. Achillis hasta multum nobilitata, cujus materia ad multa est utilis obedientissima est, qvocunqve in opere faciendis hastis melior corylo, cornu levior, sorbolentior. Ovid. libr. 10.

Et Coryli fragiles & fraxinus utilis hastis.

Tanta est vis ut nec matutinas nec occidentes umbras serpens arboris ejus attingat adeo ut ipsam

ipsam procul fugiat, si ea fronde gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potius fugiet, qvam in fraxinum, floret fraxinus prius qvam prodierint serpentes, nec ante conditas folia dimittit. Plin. lib. 15. c. 13.

CONCL. IX.

Fagus

EST arbor glandifera, & glans fagina omnium dulcissima est, ut qva obsessi homines duraverint in oppido Chio, & muribus, & gliribus, & turdis gratissima est, fertilitas ejus alternat. Hujus arboris cortex in magno usu est aggrestium, ligni honos præcipuus fuit in vasis. Manius Curius teste Plin. lib. 16. c. 38. Juravit se ex præda nihil attigisse præter guttum faginum, hoc est, poculi genus, qvo sacrificaret. Virgil.

Pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis.

CONCL. X.

Qvercus.

PLin. d. lib. 16. c. 6. ait, Glans optima in qvercu atqve grandissima, fortius lignum qvercus habet & incorruptius, glans qverna suem facit diffusam & gravissimam, & ipsa glandium æqvè dulcissima. Majoris potentiæ ignem efficit, ejusqve pruna magis candet diutiusqve viget & qvercus carbo ærariorum officinis idoneus est, & qverneus cinis optimus est ad familiarem usum, qvoniam lixiviam meliorem facit,

qva

qva qvidem linteamina conteruntur & candidiora nitidioraqve redduntur.

CONCL. XI.

Laurus.

INter arbores sola non percutitur fulmine, ut ait *Plin. lib. 15. c. ult.* Tyberius princeps tonante cœlo ea se coronabat, contra fulminum metus. Credita est adversus venena remedium habere dicabatur olim propriè Triumphis *Ovid. lib. 2. Elegia.*

Ite triumphales circum mea tempora lauri.

Perpetuo viret, & præferenda est myrto & oleæ, pacifera est, nam portata inter armatos hostes erat indicium pacis & qvietis. Statius *lib. 12.*

Pacifera lauro crinem vittisq; decorus.

Romanis præcipuè Lætitiæ victoriarumqve nuncia. Lauri folio annum fastidium purgant palumbes graculæ merulæ & perdices.

CONCLUS. XII.

Morus.

ARborum ultima floret, exacto jam frigore unde prudentissima dicitur à Poëtis. Politian. in rustic.

Mox ubi jam sapiens cœpit frondescere Morus
Ante qvidem sapiens, nunc ambitiosa, nec ullum
Qva pariat pomum: sed serica pensa ministrat.

Fructibus ejus succus in carne, vinosus trini colores candidus primò, mox rubeus, maturis niger, tardissimè senescit: fructibus minimè laborans, ut ait *Plin. lib. 15. c. 24. & lib. 16. c. 28. & lib. 18. c. 26.*

c. 26. ait cum germinare videris morum, injuriam poſtea frigoris timere nolito.

CONCL. XIII.

Ficus.

AMicitia eſt cum ruta ficus tanta, ut eodem ſatæ loco felicius unitæ creſcant. Tradunt taurum ferocem alligatum ad ficum manſveſcere & cicurari. Maledixit hanc arborem Chriſtus qvum nullum in eo fructum reperiret.

CONCL. XIV.

Anatifera Arbor,

IN Hibernia eſt arbor miraculoſa ſeu prodigioſa ſuper qvandam fluminis ripam, qvæ fructus producit ad anatarum avium ſimilitudinem qvi qvidem cum maturitati proximi ſunt, ſua ſponte decidunt, & alii in terram, aliiqve in aqvam, & qvi in terrâ omninò putreſcunt, in aqvis verò demerſi, mox animati enatare incipiunt, atqve ſub aqvis & in aera pennis volant de qvib. & ſupr.

CONCL. XV.

Ramnus.

INter omnes alias arbores, qvæ obtinent principatum, & qvæ fuit electa in Regem lignorum eſt Ramnus, qvoniam ut habetur Jud. 9. Congregati ſunt autem omnes viri Sichem, & univerſæ familiæ Mello urbis, abieruntqve & conſtituerunt Regem Abimelech juxta qvercum, qvæ ſtabat in Sichem. Qvod cum nunciatum eſſet Jonatham, ivit & ſtetit in vertice mon-

montis Garisim, elevataqve voce clamavit, & dixit: Audite me viri Sichem, ita ut audiat vos Dominus: Ierunt ligna ut ungerent super se Regem, dixeruntqve olivæ Impera nobis. Qvæ respondit: num qvid possum deserere pingvedinem meam, qva & Dii utuntur & homines, & ire ut inter ligna promovear? Dixeruntqve ligna ad arborem Ficum: Veni & super nos regnum accipe. Qvæ respondit eis: Num qvid possum deserere dulcedinem meam fructusqve svavissimos & ire ut inter cætera ligna promovear? Locutaqve sunt ligna ad Vitem: Veni & impera nobis. Qvæ respondit eis. Numqvid possum deserere vinum meum, qvod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoveri? Dixeruntq; omnia ligna ad Ramnum (pondera dictionem omnia, qvæ nihil excludit) Veni & impera super nos. Qvæ respondit eis: Si verò me, Regem constituitis, Venite & sub umbra mea reqviescite, veniunt ergò omnia ligna, sub Ramni umbra, tamqvam sub Rege eorum, ut obediant, ex qvo concluditur, qvod tanqvam Rex extolli debet ultra omnia alia ligna.

CONCL. XVI.

Arbor sancta.

R Omæ in secunda urbis regione. Erat Arbor sancta, forte alicui numini pro templo dicata, qvod apud Ethnicos fieri consveverat, ut auctor est *Plin libr.* 12, *c.* 1. Gvidus Fanzirolus in libell. d. 14. regionibus urb. Romæ, si regio

urbis inqvit, conveniret, arbitrarer intelligi corneam haſtam, qvam Plutarchus ſcribit Romulæ exercendi cauſa jaculatum, terræ affixam in arborem excreviſſe, qvæ ſacra eſt appellata, & muro circum data, pro templo habita exaruit læſis radicibus, dum C. Jul. Cæſar ibi gradus ſtruit. Nomen tamen ſanctæ arboris manſit. & alias illi ſubſtitutas miſiſſe eſt veroſimile.

CONCLUSIO XVII.

Arbor Diis Sacra.

TExtor in ſua officin. in c. Arbores Deorum & Dearum, ſcribit novem arbores qvæ fuerunt Diis dicatæ, videlicet populus Herculi. Hedera & vitis Baccho. Myrtus Veneri, Laurus Apollini. Qvercus Jovi, & Æſculus, Oliva Minervæ. Pinus Cybelæ & etiam Deo paſtorum qvi dicitur Pan. Cupreſſus Plutoni, de qvibus meminit *Plin. lib.* 12. *c.* 1. *Alex. ab Alexandr. Genial. dier. lib.* 4. *c.* 17.

CONCL. XVIII.

Arbor virginis Joannæ d' Orleans.

ADmirandum eſt qvod affirmat Miqvellus, qvi Aurelianæ urbis ab Anglis obſidionem & Joannæ res geſtas ſcripſit, pyrum arborem ſub qva illa ſedebat dum patris gregem minabat ovesqve ruri paſcebat, cum ut regem Carolum VII adiret, primo cœleſti voce monita eſt, neqve cariem neqve veſtutatem ſentire neqve flumine tangi, neq; pluvia grandine ve, aut nive intingi. Mart. Delrio, Magic. Diſp. lib. 5.

XVII. Con-

XVII. CONSIDERATIO.

Continet Herbas & Plantas Terræ.

PLinius *lib.25.c.2.* ex multorum gravissimorum auctorum sententia dicit nihil esse, qvod non herbarum vi effici possit. Xanthus historiarum author in prima earum tradidit occisum Draconis catulum revocatum ad vitam à parente herba qvam Balim nominat: Eademqve Tillonem qvem Draco occiderat, restituum saluti: & Juba in Arabia herba revocatum ad vitam hominem tradit, sic una herba fugat epilepsiam & altera promovet.

Textor in sua officina in cap. Herbarum diversar. nomina scribit 535 nomina herbarum secund. ordinem Alphabeti, sed non declarat naturam alicujus Plinius verò *lib.*19. *20,21,22,23. 24. &.25.* plures herbas & excellentias illarum etiam in medicinas scribit. Et Dioscorides in lib. de simplici medicina, & Isidor. *lib. 17. Etymol.c.*9.10. 11.

Multi plures herbas laudaverunt, ut Themison medicus librum unum de laude plantaginis scripsit, tanqvam inventor teste *Plin. lib. 25. c.8.*

Juba rex magno præconio exaltavit Euphorbium per unum volumen teste Plinio. *lib. eod. c.7.*

Erasistratus Lysimachiam herbā scripsit, celebravit & eam multum laudavit, ut refert *Plin. d. c. 7.*

Museus & Hesiodus Polion herbam multis verbis commendaverunt

Antemis herba magnis laudibus celebrata eſt ab Aſclepiade.

Dioſcorides Artemiſiam plurimum extollit libr. de ſimplici medicina c.52. & de ea loqvitur *Plin. libr. 25 cap.7.* & eam matrem herbarum Macer dicit.

Hic tantum breviter recenſebo herbas qvaſdam, qvarum ego ſingulares virtutes & vires noſco.

CONCL. I.

Abſinthium.

HErba excellens, ſummo in pretio ap. antiqvos habita, incultibus divinis & Triumphis celebrata. Abſinthium ſummum eſt ſtomachi remedium teſte Galeno. *lib.1. ad Glaucon. c.9.* de febri tertiana, ubi ita ait: Si tibi in febribus concoctionis ſigna monſtrantur, jam cum fiducia aliqvid abſinthii potes exhibere, qvod alioqvin ſummum eſt ſtomachi remedium, ubi bilis infeſtaverit, præſertim ſi ex ipſius coma, qvantum ſufficiat, accipies & mellicrato intinxeris.

CONCL. II.

Artemiſia.

HAnc herbam Artemiſia regis Mauſoli conjux ſibi atribuit, & nomen ipſa ſuum indidit, ſive ſecundum Deam Dianam, qvæ vocatur Artemis. Hæc enim herba præſtat parturientib. ut ap. Ethnicos Diana.

Tradunt ſi ponatur in calceamentis, eſſe contra lasſitudinem peregrinantium. Vocatur

tur & Cingulum S. Joannis: Antiqvitus enim nocte S. Johannis circa ignem portarunt, sese ea cinxere & coronare, contra maleficia & infortunium infirmitatemqve ejus anni.

CONCLUS. III.

Aster Atticus.

HErba ita dicta à stellatis floribus, noctu lucet instar stellæ in cœlo, lucet ita clare, ut sæpius fallat homines, putantes esse spectra sive illusiones Dæmonis. Vocatur etiam Bubonium, qvia est remedium bubonibus contra ictus aranearum. Inde etiam freqventer habitant bubones in petris & rupibus ob hanc herbam.

CONCL. IV.

Cariopyhllata.

SIve herba benedicta, qvi hujus herbæ radicem secum portat, immunis & tutus est ab omni animali noxio.

CONCL. V.

Chelidonia.

HErba apparet qvando hirundines redeunt, & qvando discedunt, arescit iterum, dicitur Chelidonia, qvia hirundines dant suis pullis, unde statim visum suum recipiunt.

CONCL. VI.

Consolida Regalis.

HErbæ hujus flores resistunt oculorum dolori, hinc qvidam in conclavi suspendunt hanc herbam ut super oculorum obtuitui obversentur.

CONCL. VII.

Enula.

DE hac herba : versic. Enula Campana reddit præcordia sana,

CONCLUS. VIII.

Filix.

NOta herba Magis & veneficis qvi ejus semen noctu D. Joannis Baptistæ comprehendere solent. Nota miraculum in ejus masculi radice, qvæ si discindatur ex utraqve parte imago Aqvilæ videtur.

CONCL. IX.

Fuga Dæmonum.

VOcatur & perforata, qvia folia ejus perforatæ sunt, si adversus solem teneantur.

CONCL. X.

Heliotropion.

Herba est cujus flores semper versus solem vergunt.

CONCLUS. XI.

Hemerocollis.

HErba emittens flavum colorem. Inde propter signaturam remedium est adversus morbum.

CONCLUSIO XII.

Morsus Diaboli.

VOcatur & succisa & præmorsa inde, qvod radix ejus succisa est. Ferunt enim diabolum invidere homini hanc radicem propter singularem ejus virtutem, ideoqve in terra præmordere, ne vires suas retineat.

Con-

CONCL. XIII.

Mandragora.

PYthagoræ dicta Anthropomorphos à similitudine hominis. Agyrtæ multis dolis & fallaciis utuntur Mandragora, decipiendo miseros rusticos.

CONCL. XIV.

Ros Solis.

HErba sic dicta qvi sole meridiano calidissimo folia ejus plena guttulis aqvæ instar roris vigent.

CONCL. XV.

Ruta.

PLin. fortis odor rutæ consvevit rosas aperire cum ipsa fuerit inter Rosas plantata. Qvapropter scientes hoc hortulani sagaces, qvi in majo cito rosas habere volunt rutas plantant inter rosas,& cum velint ut rosæ aperiantur movent rutam, ex cujus motione odor ascendit & facit rosas aperire. Ruta gaudet siccitate,& nutritur cinere, ut erucis possit carere Plin. Antiqvi habebant Romani mustum rutarũ contra venenum & venenosa & alias passiones.

CONCL. XVI.

Salvia.

HErba ita dicta à salute qvasi salutis via, non plantari debet absqve ruta propter serpentes & bubones qvi ipsam rodunt.

CONCL. XVII.

Trifolium odoratum.

Hæc herba septies in die odorẽ suum amittit,

qvando adhuc ſolo adhæret & creſcit,arida verò & evulſa ſemper retinet odorem ſuum, præcipuè verò qvando turbida temperies eſt perſentitur ejus odor per totam domum, Suſpenditur contra maleficia, ſpectra & veneficia.

CONCL. XVIII.

Verbena.

Hæc herba antiqvitus Sacra dicta eſt, qvia contra ſpectra & maleficia conſecrata fuit & ſuſpenſa.

CONCL. XIX.

Victorialis.

Huic herbæ attribuunt, qvod ſi qvis ſecum portet, non vulneretur, celebratur à vetulis dicentibus, qvod qvi ſecum portet radices ejus haud poſſit vulnerari.

CONCL. XX.

Vinca pervinca.

Herba ſemper virens, de ea ſcribit Hieronymus Tragus ſe vidiſſe caput exhumari anno 1535. in die Marci, hacce herba coronatum penitus adhucce incorruptum.

CONCL. XXI.

Xanthium.

Nota. Lappas minores in Septembri apertas intra ſe habere duo grana frumenti, ſi ſunt hordeacea,ſignificant annum fertilem. Sin verò avenæ, ſignificant annonæ caritatem.

CONCL. XXII.

De plantis à Divis ſanctisve nomen habentibus

tibus extat libellus Ioan. Bauhini Med. Basileæ impress.

XVIII. CONSIDERATIO.

Illustrat Flores Terræ.

CUm longum foret de singulis laudes referre, ideo de paucis hic absolvemus. De cæteris meminit Plin. lib. 17 Etymol. c. 9.

CONCL. I.

Lilium.

SUi natura teste P*lin. lib. 21. cap 5.* est nobilissimum, qvo nulla florum celsitas major, flos cujus fragrat odore acutissimo, & est candidissimus, nobilitate proximus Rosæ, & qvadam cognatione unguenti olei, qvod ab eo Lilium appellatur. Est & Lilium rubens & etiam purpureum. Lilium laudatissimum est in Antiochia & Laodicæa Syriæ, tum in Phaleside & in Italia. Susa urbs Persarum à Mennone condita nomen sumsit à multitudine Liliorum. Nam Persæ Susam vocant Lilium.

Lilium multiplicem habet virtutem, ita qvod ejus radices virtute sua multis modis florem suum nobilitavere, secundum eund *Plin. lib. eo. cap.* 19. Avicen. & Phys. nam valent contra duritiem splenis & nervorum, maximæ sub prunis coctæ, & cum oleo roseo tritæ usturas sanant & vulnera cicatrizant & conferunt adustioni aqvæ calidæ cum sint exsiccativæ, mollitivæ, abstersivæ & consolidant: valetqve lilium incisionib. nervorum & splenis apostemata maturat &c. qvod facit ad laudem armo-

rum Franciæ in qvib. ſunt tria lilia cœlitus demiſſa. De laude qvorum ſcribit Joan. Ludov. Vinald' in ſuo tract. Triumpho de triumLilior. Franciæ & G.Bened. in ſua repet C. Raynur. in verb. duas habens filias n. 87. uſqve ad 109. Extr. de Teſtam.

CONCL. II.

Roſa.

DE Roſa qvæ ex floribus odoriferis eſt primaria, ſcribit *Plin. lib.*21.*c.*4. Naſcitur à ſpina ſive rubo, & eſt jucundi odoris uſus ejus in coronis propè minus eſt oleo, maceratur & in ungventa tranſit, per ſe medices artes præbet Plinius celebrat Præneſtinam, Campanam, Mileſiam (cujus color ardentisſimus ſit) Trachiniam minus rubentem, qvibuſdam annis minus odorata provenit roſa. Præterea magis omnibus locis ſiccis qvam humidis odoratior, teſte *Plin. libr.*21.*c.*7. Idcirco odoratiora in Oriente conſurgunt: qvia teſte Cælio *lib.*12.*lect.antiq.c.*12. poſt philoſ. Terra cum fervet atqve inuritur, qvod ediderit principio benè olet. Etenim qvæ parcè humido qvendam in modum recaluerint odorata redduntur, Humor enim calore concoqvi poteſt.

CONCL. III.

Viola.

VIolis honos eſt proximus teſte Plinio *lib.* 21. *c.*6. earum tria ſunt genera, purpure, alba & lutea. Viola propter viloentiam odoris ſic eſt nominata, ut dicit Iſid. Herba qvidem modica

eſt

est viola in substantiâ. Cujus flos maximi est odoris, unde odor ejus cerebri calorem mitigat, & Spiritus animales recreat & confortat, flores vernales prius oriuntur, sic se citius manifestant, parvitatem ejus insubstantia, magnitudo odoris pariter & virtutis notabiliter recompensat.

CONCL. IV.

Flos Solis.

EST Rosa peregrina ex novis Insulis Americæ ad nos delata, ita dicta à pulcritudine & magnitudine floris qvi permagnus, & pulcer est instar solis, surgit in altum ut Rembertus Dodoneus scribit se vidisse Madrili in Hispania, ad 40. pedes.

CONCL. V.

Amaranthus purpureus.

VEl Flos amoris nomen habet ab excellenti illo colore.

CONCLUS. VI.

Buphthalmum.

SIve flos S. Johannis. ita dictus qvia circa tempus S. Johannis in æstate maturat. Tradunt qvi hunc florem secum portarit, liberum esse ab amore hereos.

CONCL. VII.

Flos S. Jacobi.

ITa dictus qvi circa illud tempus ubiqve floret

CONCLUS. VIII.

Rosa Hierichuntina.

DE Rosa Hierichuntina vid. libell. in qvo de

de ejus natura, proprietatibus, motibus & causis pulchrè differitur, auctore Joh. Sturmio Mechliniano in Academ. Lovanienſi Philoſ. Profeſſ. qvi eſt expreſſus Lovanii ideò huc non transporto.

XIX. CONSIDERATIO

Tractat fructus Terræ.

NObiliores fructus terræ ſunt Aromata illa ſpecioſa, qvibus humanum genus à tot & tantis affectionibus & morbis præſervatur corpusqve ſuum ad tempus tuetur & defendit, qvi fruct' aromatici cum ſatis ab Herbariis deſcripti ſint, hic ſolummodo recenſebo benivolum lectorem ad illos ſelegendo.

CONCLUS. I.

Crocus.

OLim ſolum ap. Orientales notus fuit, ſed & in noſtris provinciis jam creſcit, præſertim prope Viennam in Auſtria qvi & Orientalem præcellere dicitur.

CONCL. II.

Caryophilli.

DIoſcoridi fuêre ignoti. Creſcunt in India, unde ad nos deferuntur.

CONCL. III.

Piper.

Ejus tria genera ſunt, Piper nigrum, piper albũ & piper longum eſt & Siliqvaſtrum. Latinis piper Indicum.

Con-

CONCLUS. IV.

Nux Moschata.

CRescit in Insula Badan versus Indiam multitudine magna.

CONCLUSIO V.

Cinnamomum.

TEmpore Galeni fuit in magno pretio, solum inventum ap. Imp. qvi ex Arabia adferri curabant & pro thesauro habuerunt, ut testatur Gal. lib. 1. de Antidot. unde adhuc dubitatur an verum Cinnamomum ad nos perveniat, cum Plinius scribit, sylvas Cinnamomi à Barbaris ex invidia adversus Arabas incensas conflagrâsse.

CONCL. VI.

Cassia.

CRescit in Arabia, & est nostrum Cinnamomum vulgare.

CONCL. VII.

Tune.

VUlgo Ficus Indica. Plinius vocat Opuntia, qvi prope fluvium in Opunte crescit.

CONCL. VIII.

Saccharum.

ALiud est nativum, aliud factitium, ut est Saccharum Thomæ, Saccharum melis, est Saccharum Canariæ. Saccharum Fini. Saccharum Candidum. Saccharum Penidium.

CONCL. IX.

Cardomomum.

SEu grana paradisi, sunt triplic. generis.

XX. CONSIDERATIO.

CONCL. I.

Connectit Radices.

CElebres sunt. Acorns Dioscoridis qvæ vocatur & Aphrodisea & Venerea. ap. nostros Apothecarios maxime usitata.

CONCL. II.

Calamus Aromaticus.

UT de scribit eum Dioscorides crescit in India.

CONCL. III.

Galanga.

Ap. qvosdam Cyperus Babylonicus.

CONCL. IV

Zedoaria.

Dicitur ab Arabibus Zadura vel Zaduara.

CONCL. V.

Costus.

Radix hodie solo nomine nota.

CONCL. VI.

Curcuma.

Ab aliqvibus habetur esse Cyperus Indicus.

CONCL. VII

Doronicum.

RAdix nota, figurata instar Scorpionis. Theoph. vocat Thelyphonum.

CONCL. VIII. & IX.

Rheubarbarum, Rheuponticum.

INter omnes radices qvæ laudem magis merentur & qvæ sunt exellentiores sunt Rheubarbarũ & Rheuponticum. Et dicitur Reu, id est, radix, & barbarum, id est, barbarica inde

inde radix barbarica tantum eſt latine, qvantum Rheubarbarum Græce, qvod in ſolo barbarico trans Danubium invenitur. Sed ſecundum alios, Rha fluvius à qvo nomen medicamento notabili (ut Ammianus inqvit,) qvod Rheu ſeu Rheubarbarum atqve Ponticum vocatur, ſed prima derivatio eſt communior. Et hæc qvidẽ radix eſt excellentisſima propter ejus mirabiles & excenlentes effectus, qvam medici inter alias extollunt, ita qvod vix nunqvam aut raro dant medicinam infirmis, qvin aliqvid de Rheubarbaro apponatur, & dicit Meſue, qvod non eſt alicujus nocumenti, & datur omni tempore, & omni ætate, pueris, ſenibus & prægnantibus & eſt de elegantiorib. & meliorib. medicinis. Et qvoddam eſt, qvod in barbariæ regione invientur, ut in India & intranſmarinis regionibus, & eſt laudabilius, & eſt calidium & ſiccum inſecundo gradu. Aliud eſt Ponticum ſic dictum, qvia in Ponto Inſula reperitur, vel qvia habet Ponticum ſaporem. Licet *M*eſue ponat tres ſpecies, laudatur tamen magis ex eis, qvod eſt ſubnigrum, declinans ad rubedinem, & qvod grave eſt cum raritate ſua non perforatum, & in qvo in confracturis interitus habet qvaſi qvaſdam venulas diſtinctas, ubi invenitur diſpergatio ex rufo & glauco, & qvod eſt croceæ tincturæ. Qvod autem nimis leve eſt, & perforatum, & interius minus ſolidum & qvaſi lignum, & hujuſmodi venas non habet, & interius

rius eſt qvaſi nigrum & ſubalbidum, qvod eſt maſticatum, non pungit, (qvia bonum maſticatum pungit ſicut crocus) non eſt eligendum, ſed abjiciendum. Et qvod eſt recens cognoſcitur, qvia non eſt adulteratum, qvoniam eſt rarum & minoris ſtipticitatis & croceæ tinčturæ. Adulteratum verò his contrariatur, & varietatem qvam habere debet, in fractura amiſit: ſervatur per tres annos. Et hujus effectus & virtutes circa medicinas ſcribit Platearius, & in lib. ſanitatis, tract. de herbis c. 389. & per ſcribentes in medicina.

CONCL. II.

Mechoaca.

PEregrina radix paucis abhinc annis ad nos pervenit ex Mechoaca provincia Americæ unde & nomen retinet.

CONCL. XI.

Sqvamatia.

ITa dicta à ſqvamis. Valerius Cordus nominat Aphyllon, Matthiolus in lib. 4. Dioſcor. c. 9. nominat Dentariam.

XXI. CONSIDERATIO.

Producat Segetes Terra.

SEgetes Terræ qvas ipſa in nutrimentum hominis, induſtria & abore ejus producit, hic ſolum recenſentur, effectus & virtutes earum ap. herbarios habentur. Sunt autem: Piſum, Cicer, Phaſelus, Cicercula, Lupinus, Faba,

ba, Vicia, Orobus, Lens, Triticum, Hordeum, Zea siligo, Frumentum Indicum seu Turcicum Milium, Sorgi, Panicum, Oryza, Frumentum Vaccinum.

XXII. CONSIDERATIO.

Degustat Vinum.

Vini primus plantator Noë esse perhibetur. Cum enim ut ajunt, hircum caprarum in Coricum Ciliciæ montem emisisset, ibidem lambruscas comedens inebriatus est, & reliqva animantia cornib. petere cepit. Hoc Noë comperto Lambruscæ virtutem agnovit, confestimqve ipsam sangvine leonis porci agniqve & Simiæ addito inseruit, & lambrusca in bonam vineam inserta fructum fecit perfectum, & vindemiavit eum.

CONCL. I.

De laude vini scripsit Plato librum unum. Cælius verò *lib. antiq. lection.* 17. *c.* 4. multum laudat vinum ex dictis Æsculapii & Platonis & de ejus utilitate scribit *lib.* 7. *cap.* 32. *&. lib.* 22. *&.* 24. Plinius vero *lib. nat. histor.* 14. etiam multis laudavit vinum, & de ejus fortitudine habetur, 3. *Reg. c.* 3. multi multa vina diversarum patriarum laudaverunt, sed inter alia Schola Salernit. probat illa habentia seqq.

Vina probantur odore, sapore, nitore, colore.

Et subdit: *Si bona vina cupis, hæc qvinq; probantur illis.*

Fortia, formosa, fragrantia, frigida, frisca.

CONCL. II.

Sunt autem laudata vina & celebrata à Poëtis. Tmolium ab Ovidio. Falernum à Varrone. Massicum ab Horátio. Aulonicum à Martiale. Lesbium à Propertio, Pamphilo & Horatio. Surrhentinum à Proculo Jurisconſ. in L. fin. D. de tritic. vin. Albanum à Marnale. Fundanum ab eodem, Maroneum à Tibullo.

Vina apud Græcos celebrata fuere Prannium, Chium Thaſium, Lesbium, Creticum, & ap. Syracuſanos Polium, Coum, deniqve & Rhodium.

Præſtant & vina Germaniæ, Rhenana, & Neccarina. Præcipuè nata ad Aram Bacchi, Æneæ Sylvio p. m. per qvam amata.

Præſtant & vina Italica, qvorum ultra 30. numero Romæ bibuntur. Cæterum de diverſorum vini generum natura Italici Medici qvoqve ſcripſere. Jacobus præfectus Netinus, Venetiis 1559. Jo. Bapt. Conſalonerius Veronenſis Baſil. 1535. Andreas Baccius Romæ 1597.

XIII. CONSIDERATIO.

Laudat ornamenta Terræ.

Maxima & pręcipua ſunt inventa hominum, urbes nimirum & oppida caſtra munitionesqve qvibus ſe adverſus hoſtium incurſus muniunt, tuetur & defenditur, alter cum altero familiaritatem init, & ſic una & ſimul vivere gaudet, laudes verò & dignitates omni[illegible]a urbium exponere, laborioſum multo & forte tædioſum

ofum eſſet,cum in tractatu, De locis ac mirabilibus mundi, qvi eſt impreſſus cum Geographia Ptolomæi c. 14. de laudo plurimarum, & de earundem origine, videri poteſt,& per Philipp. Bergomatem in ſuo ſupplemento Chronic. in ſuis locis opportunis,qvi complures urbeis notas, copioſe & eleganter laudavit. Item Auſonius Poëta Gallicus ſuis verſibus illuſtravit Romam, Conſtantinopolim, Carthaginem, Antiochiam, Alexandriam, Treverim, Mediolanum, Capuam, Aqvilegiam, Viennam, Emeritam, Athenienſem, Catinam, Syracuſam, Toloſam, Narbonam & Burdegalem ex qvâ natus fuit. Pyrrhus in ſuis orationibus laudavit Aureliam, de civitate Pariſienſi, vide de laude illius per Textorem Nivern. in ſua officina in Cornucopia in lit. p. in fin. & etiam Jacob Capellus habuit orationem in univerſitate Pictavienſi in laudem civitatis Pariſianæ. Leonhardus Aretinus librum unum de laude Florentiæ compoſuit, & Sabellicus Panegyricum rerum Venetarum & ita plures de multis aliis civitatibus ultra modum extollit Heduam patriam ſuam Barthol. Chaſſaneus in Catal. gloriæ mundi part. 12. conſid. 60. Magni facit laudibus Chamberium Allobrogum Jacob Delexius JC. Extat Baſilea P. Rami laudavit ſummopere Rhotomagum Natalis Taillepied. in Antiqvit. Rhothomag.

CONCL. I.

Urbes Terræ.

PRimam civitatem in mundo extruxit Cain & vocavit nomen illius civitatis juxta nomen filii sui Hanoch, Gen. c. 4.

CONCL. II.

Hierosolyma.

ARphaxat qvi & fertur fuisse Melchisedech, primus post diluvium condidit Salem urbem, ipsa est Hierusalem postea est appellata Joan. Ludov. Vinaldus de Monte regali, in suo opere regali in tract. de magnificentia Salomonis ample laudavit Hierosolymitanam civitatem, qvæ dicta fuit Hierusalem & ibi de ejus constructione. Hæc nobilissima & vetustissima civitas per varia tempora pluries vastata fuit. Primo à Babyloniorum rege. Dum Nabuchodonosor Chaldæorum rex tempore Zedechiæ cum ingenti exercitu in Iudæam venit: ibiqve magnis cladibus ejus civitates affecit. Ac etiam ipsam Hierosolymam obsedit Deinde profectus contra Pharaonem regem Ægypti, qvo fugato Nabuchodonosor sui exercitus principem ad obsidendam Hierosolymam rursus mittit, ibiqve decem & octo mensibus statione firmata Judæi se & urbem Chaldæis ignominiose tradiderunt. Qvi rege interfecto muros & turres everterunt, templa incenderunt, ejusqve vasa sustulerunt, & per septuaginta annos templi solitudo permansit. A Cyro rege laxata est captivitas. Extru-

ctum

ctum eſt templum ſub Dario rege Perſarum & Medorum.

Secundo ab Aſobe Ægyptiorum rege.

Tertio ab Antiocho Epiphane crudelisſimo omnium Tyranno facta eſt everſio. Hic Hieroſolymam civitatem ſanctam Menelao prodente vi cepit & ſanctum locum ſpoliavit, miſitqve homines impios qvi compellerent Judæos carnes porcinas comedere, & à patriis legibus ſe transferri, & non templum Domini ſed Iovis Olympii cognominare & Idolum venerari.

Qvarto à Pompejo, is Judæam vicit omnem cum Hieroſolyma & tributarios fecit, & ut Strabo habet, Pompejus eam cepit, obſervato jejunii die, dum ab omni opere Judæi abſtinerent, impleta foſſa & admotis ſcalis, jusſitqve mœnia omnia convelli.

*P*oſt hoc Qvinto Gabinius Scaucus Varus urbib. Iudææ & præcipue Hieroſolymæ inſultavere, & Herodes Magnus & Soſius captam oppidum ſervare.

*S*exto ad extremum fund itus evertit anno Secundo Imperii Veſpaſiani die octava menſis *S*eptembr. Titus ejus filius, urbs capta, & templum ſubverſum. Qvam cum cepiſſet complanatis mœnibus foſſas etiam impleri jusſit. Urbem autem illam viciſſe, victores gentium Romani tam clarum opus dixerunt, ut Titus tunc exercitus, poſt imperii gubernator in ipſo ingreſſu mœnia urbis admirans tantam

 vi-

victoriam non humanæ virtutis, ſed divinæ gratiæ fateretur. In eâ vaſtatione qvanta fuerit hominum ſtrages, qvanta fames, miſerorum qvanta funeſta necesſitas, ſi ulterius noſſe deſideras, Lege Joſephum, non audita ſed viſa, & communia cum cæteris referentem. Hæc deſtructio crudelisſimum exemplum iræ & vindictæ divinæ eſt, Et ſic completum eſt Voticinium Chriſti *Luc. 19. vid. Schedel, p. 17.*

CONCL. III.

Troja.

SIve Ilium, ſecundum Homerum omnium qvæ ſub ſole ac ſtellifero cœlo ſunt urbium, qvidem inſignisſima eſt Troja. Nunc autem ingens Troja totius Aſiæ columen ita extincta eſt, ut vix veſtigium aliqvod appareat, qvod Ovidius inqvit: Jam ſeges eſt ubi Troja fuit, & Virgil. En Campus ubi Troja fuit, condita eſt à Troade Erichtonii regis filio, Tempore Ehudis judicis in Iſraël Ilium inominatum à qvarto rege Ilio. Expugnata eſt 10. annis & ſex menſibns & vaſtata ob raptum Helenæ Menelai Græcorum regis filiæ à Paride perpetratum. Cujus cauſam dicunt: Cum Alexander qvi Paris dict⁹ eſt, in Ida ſylva venatu abiiſſet, Mercurium in ſomnis adduxiſſe Junonem, Venerem & Minervam, ut inter eas de ſpecie judicaret. Et tunc ſibi Venerem pollicitam eſſe, ſi ſuam ſpeciem meliorem harum ſpecie judicaſſet, daturam ſe ei uxorem, qvæ in Græcia ſpecio-

ciosior forma videretur. Unde cum ita audisset, optima facie Venerem dicitur indicasse. Postea Helenam regis Menelai uxorem rapuit, id extremum excidium Trojanis fuit. Hoc bellum decennale disertissime perscribunt Dares Phrygius, & Dictes Cretensis, qvi in clade Trojanorum præsentes, locorum nomina & gestorum lucidissime omnia norunt. Et ad rerum Trojanorum cognitionem nihil brevius, nihil clarius, & tersius reperiri poterit. Fuit capta tertio anno Labdam Judicis Israël ante urbem conditam, Anno 430. vid. Gl. m. p. 105.

CONCLUS. IV.

Roma.

Urbs toto orbe celebranda rerum domina in Latio ad amnem Tyberim sita à Romulo ejus conditore nominata: undecimo Ezechiæ regis Judæ anno, secundoqve octavæ Olympiadis anno ab ipso conditam fuisse affirmant, ambitum ejus urbis Plinius ex traditionibus Augusti scribit millia passus viginti. Flavius Vopiscus scribit Aurelium Imp. ambitum urbis ad triginta millia passuum, ampliasse Septem complectitur colles, portas urbis triginta apertas & septem clausas fuisse scribit Plinius. Ipsa intitulatur Caput orbis terrarum, ut est text. in. L. nemini. §. Qvoniam. C. de consul. & non spargend. &c. *lib.* 12. *& L.* 1. c, sed & siqvæ. *C. de. vel. jur. enucl.* Et caput

 omni-

omnium civitatum, ut in §. *fin. junct. gloss. inst. de satisd. tut.* Et omnium nationum, ut est text. in c. beati 2. q. 7. & qvomodo aliis pluribus nominibus nuncupatur, gloss. est ad hoc expressa & notanda in verb. Anterior, in Auth. ut Ecclesia Romana centum annorum &c. *in prin. coll. 2.* Vocatur & Sacratissima in L. 2. C. Qvæ res export. Item communis nostra patria in L. 33. *D.* Ad Municip. & de Incol. Ubi ego qvam plurima in laudem ejus retuli & congessi, qvæ qvia sunt impressa, huc non transporto. de antiqvitatibus ejus, de templis, de foris, de porticibus, de arcubus, de columnis, de obeliscis. Circis, theatris, amphitheatris, aqvæ ductibus, portis, mœnibus infra suo qvæqve loco numerabuntur. Ideò juxta Schedelium cum his Romæ descriptionem relinqvimus.

Oblectat me Roma tuas spectare ruinas,
Ex cujus lapsu gloria prisca patet.
Sed tuus hic populus muris defossa vetustis
Calcis in obseqvium marmora dura coqvit.
Impia trecentum si sic gens egerit annos.
Nullum hic judicium nobilitatis erit.

CONCL. V.

Karthago.

URbs fuit celeberrima in Africa à Kartho oppido dicta, teste Servio, nomen sumsit constructa primum à Didone Beli Regis Tyriorum filia, annis septuaginta trib. anteqvam Roma ipsa construeretur, & ædificaretur, ut dicit Justinus lib. 18. Qvæ prius à bovis corio Byrsa

Byrſa dicta fuit, qvia pro illa ædificanda tantum loci Dido emerat à Rege Hiarba, qvantum corio tauri cingere poſſet, dicente Virgil. Æneid. 1. Mercatiqve ſolum facti de nomine Byrſam, Taurino qvantum poſſet circumdare tergo. Corium enim illud in tenuiſſimos filos ſecari fecit, qvo loci multum circumdedit vocantes illum locum lingva Phœnicia Byrſam, id eſt Corium. Qvæ poſtea mutato vocabulo Karthago dicta eſt. Cicero qvoqve de natura Deor. lib. 2. Poſtqvam tres Hercules declaravit: Qvartus inqvit filius Jovis, & Aſteries ſororis Latonæ, qvæ Karthaginem filiam genuit, à qvâ Byrſa, qvam Dido condidit, Carthago vocata eſt. Hæc eadem teſte Plinio lib. 15. nat. hiſtor. centum viginti annis Romanis æmula fuit. Pluries enim deſtructa. Pluries inſtaurata. Fuit autem hæc inclyta civitas vetuſtate originis magnitudine & claritate ante omnes Africæ & Hiſpaniæ provinciarum urbes memoranda. Primo autem excidio Scipio junior, magni Scipionis nepos in tertio bello Punico conſul factus ſex continuis diebus ac noctibus illam oppugnavit, & ultra deſperationem tandem cives in deditionem traxit. Petens ut qvos belli clades reliqvos fecerat ſervire ſaltem liceret. Eo in bello mulierum viginti qvinqve millia, virorum verò triginta trucidata fuiſſe referuntur. Hasdrubal autem eorum rex ultra transfugiens ejus uxorem, ſe ſuosqve filios in medium jecit incendium, qvod

ſexdecim continuis diebus arſit. Et miſerum ut Livius ait, etiam victoribus præbuit ſpectaculum, & tunc Karthago ſexcenteſimo octavo ab ejus conditione anno omni murali lapide deleta fuit. Verum poſtqvam everſa fuit vigeſimo ſecundo anno Lelio Cecilio Metello, & T. Q. Flammineo Coſſ. reparari juſſa eſt, qvia reperta Romani cives eo multi diducti ſunt. Sed ut idem Livius inqvit, intra breve tempus Aethnat ultra ſolitum flammeos ignes evomens calidis cineribus exuſſit eſſet tecta deſtruxit. Cujus ſublevandæ calamitatis cauſa Senetatus R. decem annis ei vectigalia remiſit. Multas etiam per tempora Gethorum calamitates pertulit. Tandem in Maurorum manus deveniens regum ſedes, & regia nunc usqve habita eſt. Qvæ & Vernacula lingva Tunitium appellata eſt anno 1536. à Carolo V. Imp. Barbaroſſæ erepta.

CONCL. VI.

Athenæ.

Civitas fuit præclarisſima in Attica regione, cujus pauca veſtigia qvædam manent. Hanc primo ab Alabando conditam dixit Cic. *lib 3. de nat. deor.* Plato vero in Timeo dixit Amaſim regem Ægypti ejus urbis conditorem fuiſſe, eamqve vocabulo Ægyptio cognominaſſe, qvod lingva Græca Athenam ſonat. Alii Cecropem illam condidiſſe dicunt, & eam ſubita apparitione arboris Pineæ Minervam cognominaſſe, qvam ea arbor deſignat

gnat, & lingva Græca Thena dicitur. Verum alii ab eo non conditam sed instauratam dicunt, qvo tempore Athena apud illos pro Dea colebatur. De ejus nomine Divus Augustin' de civit. Dei lib. 18. varia scribit auctoritate Varronis, Cecrope Athenarum urbem instaurante subito aqva uno in loco erupit, & alio reperta olea arbor, super qvibus prodigiis sciscitatus Apollo Delphicus, qvid intelligendum qvidve faciendum foret, respondisse furtur, qvod olea Minervam, aqva verò Neptunum significaret, ambo consobrini, ambo Dii & contemporanei, essetqve in eorum civium arbitrio, ut ex alterius Deorum duorum nomine civitas vocaretur. Congregatis omnibus utriusqve sexus viri adhæserunt Neptuno. Mulieres verò Minervæ. Qvæ & obtinuerunt ut ex nomine Minervæ civitas appellaretur, & sic Athenam Græce urbem cognominarunt, qvod Latinè Minervam dicimus. Eò qvod mulierum voces una virorum numerum superarint. Qvamobrem iratus Neptunus marinis æstuantibus undis Atheniensium terras populatus est. Qvem cives placere volentes triplici supplicio mulieres affecere. Primo ut de cætero nullis publicis interessent consultationibus. Secundo ut nullus nascentium cognomen maternum acciperet. Tertio ne qvis filias suas Thenas vocaret. Poëtæ verò, dicunt Neptunum & Minervam Athenas condidisse, sed dum de nominis impositione inter eos

eos fieret dissensio, Diis reliqvis præsentibus fit inter eos conventio, ut qvi percussa terra laudabiliorem produceret effectum, urbi nomen imponeret. Neptunus autem tridente suo percussa terra, eqvum produxit belli omen. At Minerva hasta projecta, Olivam produxit pacis Arborem. Qvæ, qvoniam utilior eorum judicio visa fuit, ex suo nomine Athenas dixit. Hæc urbs nullius indigna præconii, tanta ejus super fluit claritas Doctorum Phiosophorum ac omnis doctrinæ liberalis fuerat. Eadem nostro tempore parvi oppidi speciem gerit.

CONCL. VII.

Theba.

URbs Ægypti ab Osyride rege Ægypti & Argivorum, & ejus conjuge Iside regis Argivorum Inachi filia condita, centum habuit portas, continuit 140. stadia, alias Diospolis dicta.

CONCL. VIII.

Babylonia.

URbs præclara in Chaldæa fuit. Hanc omnes Græci & Latini historici pariter & Poëtæ ab ipsa Semiramide regina conditam referunt aut ampliatam. Josephus historiarum scriptor diligentissimus libro ad Appianum Alexandrinum Grammaticum hos redarguens. Inducens Berosi Chaldæi auctoritatem antiqvissimi & verissimi scriptoris, qvi manifestissimè ostendit urbem ampliatam & ornatam ac

muro cinctam fuiſſe à Nabuchodonoſor rege longè ante Semiramidem. Hæc tamen ut Valerius refert, dum die qvadam circa cultum corporis ſui occupata eſſet, & nunciaretur illi Babylonem defeciſſe, ſoluta adhuc altera parte crinium protinus ad eam expugnandam cucurrit, nec prius decorem capillorum redegit in ordinem, qvam tantam urbem in poteſtatem ſuam reſtituit. Hæc urbs adeò nobilis fuit ut Chaldæam totam ac Meſopotamiam à ſe Babyloniam dixerit, de qva Lucanus: *Cumqve ſuperba foret Babylon ſpolianda trophæis.* Hujus muri, teſte Philoſtrato, in vita Apollonii Thyanei, trecentorum & octuaginta ſtadiorum circuitu detinebant. Plinius verò hiſtoriæ nat. lib. 6. murorum dixit amplitudinem fuiſſe ſexaginta qvatuor millia paſſuum, craſſitudinem qvinqvaginta cubitorum, altitudinem verò qvater tantum. Itaqve fuit mœnibus ac hortis penſilibus temploqve & arce maximè admirabilis. Everſio tandem hujus Babyloniæ facta eſt à Cyro Rege Perſarum.

CONCL. IX.

Ninive.

NIniven ſive Niſibin trium dierum itinere civitatem grandem condidit Ninus Rex Aſſyriorum patre ejus Belo morte ſublato, & regni caput conſtituit, in qva diademate ſuſcepto duxit totam vitam inqvietá. Ad hanc magnam civitatem miſſus fuit Jonas Propheta, qvem He-

Hebræi virum ſanctum nominant. Is cum videret peccatores civitatis Ninive Dei miſericordiam ſua prophetia conſecuturos ne videretur falſo prædicare, ad denunciandum ejusdem civitatis interitum ire omnino recuſabat. Ideò à conſpectu Dei ſe fugere poſſe putavit, propter hoc in mare demerſus à ceto deglutitus eſt.

CONCL. X.

Damaſcus.

ASſyriæ urbs primaria,& ut dicunt metropolis omnium fermè Aſſyriæ urbium vetuſtiſſima eſſe videtur: Qvam Abrahæ ſervos fundaſſe ſacræ tradunt literæ. Eſtqve campeſtris agrum habens, natura ſoli ſterilem ac aridum niſi qvatenus aqvæ irrigant ſupernè fiſtulis cuniculisque ſubductæ, qvarum humor terram reddit omnium fertilem, & conſitionib. præſtantiſſimam parvusqve amnis in regione unicus proximus menibus dilabens parva ab illis dirimitur terræ lingula conſitionibus omnium in orbe pretioſiſſimis contecta. Hæc inſignis civitas Damaſcenorum itinere ſex dierum ab Hieruſalem diſtat inqva S. Paulus baptiſmum ſuſcepit, & prope eam locus extat,ubi eum circumfulſit lux de cœlo, cum vocem de cœlo audivit: Saule qvid me perſeqveris. Qvi poſt pabtiſmum in ſynagogis prædicabat Chriſtum, ob inſidias Judæorum Damaſco noctu in ſporta per murum demiſſus fuit,ubi & domus Ananiæ, à qvo baptiſmum accepit,hodie viſitur. Con-

CONCL. XI.

Memphis.

Nunc Cayrum dicta regia Ægyptiorum qvam teste Diodoro Siculo lib. histor. 2 Ogelous Rex Ægypti condidit, & à filia ejus Memphis denominata. Ambitus stadiorum centum & qvinqvaginta, urbs omnium Ægypti præclarissima opportuniori totius ejus oræ loco, ubi Nilus scissus in plures partes efficit formam Deltæ Δ. qvo fit ut tanqvam in Nili claustro posita aditum præbeat, prohibeatqve ad superiora loca navigantibus. Et ad cohibendam aqvarum inundationem versus notum aggeres ingentes opposuit, & à partibus cæteris undiqve effossus est locus ingens ac profundus qvi urbem efficit munitissimam. Unde & posteri Reges ferè omnes relictis Thebis regiam habitationem in ea ædificarunt, & Babyloniam Ægypti atqve Cairum vocârunt. Memphis nunc urbs Saracenorum præstantissima, & populositissima & bonis pluribus refertissima. Divisa est autem in duas partes. Qvarum una Babylonia nova. Alia Cayrum dicitur. In qva olim Pharao Rex Ægypti habitabat, & ad eam gloriosa virgo. Maria cum puero JEsu & Joseph pervenit, præcipuè ad hortū balsami, qvi in his finibus celebris habetur. Ad eam etiam docti viri accesserunt Pythagoras & Plato, &c. ut Memphiticos audirent vates. Pyramides qvoqve ingentes hæc regio habet, & varia memorabilia qvæ diffuse ap. plerosqve scribuntur.

Con-

CONCL. XII.

Byzantium.

URbs Thraciæ maritimi à Græcis sic denominata. Lacedæmonii eam condidere primo, qvibus Apollinem consulentib. ubi nam sedes qværerent, mandasse oraculum memoriæ proditum est, ut contra cæcos habitationem locarent. Cæcos a. Megarenses appellavit Calcedonis conditores. Qvi cum prius in Thraciam navigassent, situmqve ubi postea Byzantium ædificatum est conspexissent, omissa tam locuplete ripa tenuiorem regionem in Asia elegerunt ut Strabo refert. Ut a. Justinus & Eusebius ponunt, hæc civitas anno ante adventum Christi 663. In Græcia ex opposito Calcedonensis agri loco qvidem optimo, & munitissimo à Pausania Spartanorum rege prius conditionis suæ initium habuit. Et cum parva admodum esset, postea à Constantino M. Imp. qvi eam adauxit & exornavit Constantinopolis dicta est. Hodie Turcici Imperii sedes, anno 14534. Kal. jun. à Mahumete Turcarum principe 50. per dies obsessa vi & armis expugnata, direpta & fœdata & notand. mirabile fatum hujus inclutæ urbis Constantinopolis per Costantinum M. amplificata, cujus mater Helena dicta fuit. Primus Episcopus sive Patriarcha fuit Gregorius, eadem perdita & Turcicæ Tyrannidis facta sedes sub Constantino ultimo, cujus mater etiam dicta fuit Helena, & Patriarcha tum temporis erat Gregorius, ut Fortalitium Fidei libr. 4. bello 156

pro-

probat. Extat Tit. lib. 11. c. De privileg. urbis Conſtantionpol. L. unic. in qvam lecturam confeci per ſeptem capita.

CONCL. XIII.

Venetia.

URbs ævo noſtro cantatisſima emporium nobile Italiæ terrâ mariqve potentisſima. Qvam qvidam ab Eneto ſeu Veneto Trojano initium habuiſſe dicunt. Troja enim everſa Anthenor, cum in intimum ſinum Adriatici maris claſſe vectus advenit. Erat cum eo multitudo Enetum, qvi ſeditione, ut T. Livius memorat, ex paphlagonia pulſi, qvam inhabitarent qværebant ſedem, qvi Venetia appellati, provincia hinc Venetia appellata. In intimo maris Hadriatici ſinu ſita eſt, ad annum ſalutis 56. ſupra qvadringenteſimum condita fuit, qvo anno Attila Rex Hunnorum Aqvilegiam diruit. Situm urbis potius mirari, qvam digne laudare poſſumus. Urbem è mediis undis ſurgentem, adeò humanarum rerum exundantem mari contiguam, ut omnes omnium generum merces excipiat. Cum interea illuc opportuna flumina accedant, qvibus fruges & alia vitæ neceſſaria mediterraneis locis aſportantur. Hinc illud fieri dictum mirabile, ut in qva urbe fermè nihil gignitur, in ea omnium copia exuberet. Taceo domorum amplitudinem, turres præcelſas ſacratisſimarum ædium ornamenta, & mediis undis tecta ſurgentia vix ipſis qvi non viderunt credenda.

CONCL. XIV.

Parisius

Regia & inclyta Galliarum urbs in Senonensi provincia post Trojanum excidium habuit initium : Nam Paris cum Ænea è Troja secedens unaqve cum Francone Hectoris filio in Galliam proficiscens juxta Seqvanæ fluvium consedit, & ibi populum constituens à se Parisios nominavit. Universitas ibi constituta est à Carolo M. anno 791. in qva docuêre & vixere, Joannes Gerson , Gvilielmus Budæus, Carolus Molineus, Andr. Tiraqvellus, Jac. Silvius, Gvilielmus Postellus, Adr. Turnebus. P. Ramus, Robertus & Henricus Stephani. Antiqvitates ejus peculiari libro , Stylo Gallico conscripsit Petrus Bonfons cui Tit.

Scaliger de ea:

Francigenæ princeps populosa Lutetia gentis
Exerit immensum clara sub astra caput.
Hic civis numerum, ars premium, sapientia finem
Exsuperant: superant thura precesq; Deos.
Audiit obstupuitq; hospes: factusq; viator
Vidit: & haud oculis credidit ipse suis.

CONCL. XV.

Madritium.

Urbs regia Hispaniæ & totius Toletanæ diœcesis felicissima, sita est editiori in Clivo & Septentrioni majori ex parte exposita cujus radices alluit modicus amnis vulgo Gvadarramma dictus. Situs amœnitate, aeris insigni salu-

lubritate, & soli egregia fœcunditate inter primas totius Hispaniæ civitates non injuria potest adnumerari. Freqvens hic recessus & habitatio regum præsertim Philippi 2. qvi variis illam operibus exornavit, ut nunc in splendidissimum oppidum evaserit, siqvidem toto regno huc excita nobilitas, sumtuosa sibi ædificia exstruxit, ut latius enumerat ejus laudes Ludovicus Nonius in sua Hispania cap. 71.

CONCLUSIO XVI.

Lugdunum.

PRimária & regia urbs Angliæ ad Tamesim fluvium sita, ejus conditor perhibetur esse secund. historicos Brutus, ut testatur Ponticus Vitruvius qvi sex libros de Anglia scripsit, Joannes Zelandus &c. Paulus Jonius. Gemma Frisius. Georgius Lylius Anglus.

CONCLUS. XVII.

Cracovia.

URbs regia Sarmatiæ, à Craco primo duce Sarmatiæ condita dicitur, hæc altis primum menibus cingitur, propugnaculis & celsis turribus post parvo muro & ob vetustatem maturo simili. Tandem & fossæ ut imminentibus hostibus facilior aditus prohibeatur &c. Latius de ea Æneas Sylvius.

CONCLUS. XVIII.

Praga.

CAput regni Bohemiæ civitas permaxima, post tempora Abrahæ initium habuit regum pontificumq; honesta sedes. Tres in partes

divisa qvibus nomina indiderunt parvam Pragam, Veterem autem Novam, parva sinistrum latus multa vi fluminis occupat colliqve conjungitur in qvo sita est regia & S. Viti Pontificale augustumqve templum. Vetus Praga in plano jacet, universa magnificis operibus adornata, inter qvæ prætorium & forum & lætam curiam & Collegium Imp. Caroli mirificis efferunt laudibus. Jungitur autem minori Pragæ lapideo ponte 24. arcuum. Novam civitatem à veteri fossa distingvit profunda, & utrimqve muro munita, hæc qvoqve civitas ampla est ad colles usqve protenditur, qvorum alterum S. Caroli, alterum S. Catharinæ appellant, tertium Vicegradum in arcis modum exædificatum, ubi & Collegium est. Est autem hæc civitas insignis in provincia Bohemiæ, de nomine civitatis cum disceptaretur, jussit Lybussa ex artificibus qvi primo occurreret, rogari qvid ageret ac ex primo ejus verbo vocari oppidum. Interrogat' faber lignarius qvispiam, Limen se agere dixit, qvod Bohemice Proba dicitur, indeqve urbi nomen datum sed corrupto vocabulo postea Pragam dixêre.

CONCL. XIX.

Sunt qvam plurimæ aliæ civitates celebriores in mundo, & præsertim in Europa & maximè in Germaniâ, qvæ dignæ essent ut elogiis & laudibus suis extollerentur, verum cum nimis longum foret eas omnes recensere, ad scriptores earum benivolum lectorem selego.

Con-

CONCL. XX.

Urbes Rheni.

QVam plurimæ urbes celebres adjacent celebri fluvio Germaniæ Rheno,ut Basilea celebris à Concilio qvondam ibi habito.

CONCL. XXI.

Argentina

CEleberrima urbs Germaniæ nobilis à Ponte sublicio supra Rhenum & artificiosa Turri,horologioqve cui vix similem Europa ostendit.

CONCL. XXII.

Spira.

Urbs Imperii : de qvâ Gregorius Cracovius

Urbs jacet ad ripas Rheni, qvæ Spira vocatur,
Justitiæ sedes judiciiq; locus.
Imperii regale decus præclara virorum,
Fixit in hac ædes urbe corona suas.
Condidit hanc fortis Cæsar Constantius olim
Cujus mater ibi contumulata jacet.

CONC. XXIII.

Wormatia.

URbs Vangionum celebris adhuc ab antiqvis heroibus Theodoro Bernensi, Hildebrando, Sigfrido, Cornuto, &c, cujus adhuc fortitudinis vestigia ibi apparent.

CONCL. XXIV.

Moguntia.

CElebris Tumulo Drusi, de qvo Celtes in lib. Amorum.

Inter qvæ Drusi, stant ardua busta Neronis.
Clara à Germanis nomina primus habes.

Idem lib. 2. Odar.

Rhenus antiqvam rigat altus urbem,
Qvæ micat multis opibus vetustis
Cui Mœnus Rheni sociatus undis,
Nomina præstat.

Celebris & est hæc urbs ab inventione nobilissimæ artis Typographicæ, qvæ anno 1440. primo ibi inventa fuit.

CONCL. XXV.

Colonia Ubiorum.

URbs Imperii celebris à trib. Magis qvorum ibi corpora servantur: Item celebris ab undecim millibus Virginum S. Ursulæ ejusqve cohortis.

CONCL. XXVI.

SUnt & aliæ urbes Imperii qvæ vocantur non minus celebres, ut Augusta Vindelicorum. Ulma Svevia. Norinberga Franconiæ. Francofurdum ad Mœnum. Brunsvigium. Luneburgum. Erffordia. Ratisbona. Lipsia. Mons Regalis. Mons Albanus. Magdeburgum.

CONCL. XXVII.

SUnt & urbes celebres Anseaticæ sive Maritimæ, ut Hamburgum, Lubecka, Fabiranum, Stadium, Wismaria, Rostochium, Amstelrodamum, Gedanum.

CONCL. XXVIII.

SUnt & urbes perqvam celebres Belgii, ut Ant-

verpia, Bruxellæ, Gandavum, Mechliniæ, Lovanium, Buſcum ducis, Middelburgum.

XXIV. CONSIDERATIO.

Recenſet Caſtra.

PErmulta eſſe in Gallia, in Italia, in Hiſpania, & Alemannia, & in tota Europa certum eſt, & multi principes ſe ipſos delectaverunt in conſtruendis pluribus caſtris.

CONCL. I.

ET inter alia unum ædificii ſumtuoſitate, & conſtructionis forma & mirabili impenſa laudat Philippus Bergomas lib. 14. ſui ſupplement. Chron. qvod Joannes Galeatius in Papienſi ſuâ urbe inter cætera Caſtellum ſive regiam domum incredibili pulchritudine & impenſa extruxit, in qvo & Bibliothecam condidit, in qvâ tantam librorum copiam contraxit, qvantam alibi ſe unqvam vidiſſe meminerit, & qvi viderunt, teſtimonium perhibeant de excellentia illius in medio qvippe illius eſt curia in qvadro diſpoſita, cujus longitudo & latitudo æqvalis eſt ab utraqve parte pro curſu, ut dicit unius lanceæ militaris, & qvatuor partes qvadratæ æqvali ædificio ſunt conſtructæ, patent undiqve deambulacra; hoc eſt gallariæ latitudinis 30. pedum ſingulæ cameræ & aulæ, & tota domus eſt depicta intus excellenti & ſingulari pictura ex auro puriſſimo & azureo eminenti. In qvalibet parte eſt

eſt aula ampla, & ſuperba, & hinc inde cameræ decenter diſtinctæ.

CONCL. II.

STat & caſtrum pro media parte meridionali in civitate, à ſeptentrionali parte extra civitatem, eſt porta ſingularis & eminens qva ingreditur in Leporarium, vivarium ſeu conſeptum principis vulgo Parcum, ubi ſunt tres domus excellentes pro ſolatio principum, & in eo includuntur omnis generis animalia fera, & eſt longitudinis 5. milliariorum & latitudinis duorum & ultra, & ad unum angulum, illius ſepti conditum eſt excellentisſimum Cœnobium Carthuſienſium.

CONCLUS. III.

Caſtellum S. *Angeli.*

SEu Moles Hadriani Imp. qvam ſibi & Antoninis ſepulchrum extruxerat, opus amplum ſolidum & latericium, ſed nunc gradib. pertuſum ut commode habitetur machiniſqve reſiſtere qveat præſidiumqve ſit ſummorum Pontificum qvi eo ſe per porticus ac meatus vulgo Curritoria nominant (ut obſesſi ab hoſte tuti ſint) ſecreto conferre poſſunt: olim Creſcentius qvidam per vim tenuit & urbem, nunc Pontificum eſt & Caſtellum S. Angeli hodie appellatur, ab angelo ut fama eſt, urbem gladio propugnante, ſpectaturqve in apice Angeli ſtatua: Auxit firmavitqve egregie Alexander VI. Borgia ut inſcriptio ad Pontem teſtatur.

Con-

CONCL. IV.

Castrum Mediolani.

INter fortissima Castra est Castrum Mediolani in porta Jovis, ideo Arx Jovis dicitur, qvo in Europa nullum est fama celebrius ob ejus magnitudinem operum ac munimentorum amplitudinem. Justæ etenim urbis capacitate vicos, plateas, fora, palatia, fabrum, omnisqve generis artificum mechanicorum tabernas operarias in se complectitur, nullius opis indigens externæ, sed commeatu annona, omniumqve rerum copia bello pacéqve necessariarum abundans. Effundit oppidorum instar undeqvaqve vasta propugnacula, circum ambiunt fossæ latissimæ profundis triplices & vivis amnibus perfluæ & utrinqve parietibus lateritiis evectæ Muri crassitudine, stupendi fulciunt aggeres latissimos & meatibus concameratis pervios. E qvorum pinnis & fenestellis per castri totius & propugnaculum circuitum exerunt, amplita capita tubi æneï ingentes tormentorum bellicorum prægravia pondera, totis ferratis imposita qvi sulphureo pulvere in flammati globos ferreos pondo 800. vel amplius evomere in hostem vel adversam molem possunt atqve obstacula qvæqve; maximo cum fragore prosternere.

CONCL. V.

Castellum Antuerpianum.

FOrtissimum & munitissimum est Castellum anno 1567. Ferdinando de Toledo Duce Al-

væ ædificari cæptum ex totis qvadratis lapidib. constructum, tam firmum ut simile haud inveniatur Architectus, dictus fuit Patrioto Sabauda, hic qvinqve propugnacula in eo fecit qvib. nomina imposuit juxta Albani nomen: Duc. Ferrando Toledo, Alva, & qvinto suum nomen: Patrioto.

Antuerpiæ in cujus area legitur:

Ferdinando Alvaretur à Toledo, Albæ Duci Philippi II. Hisp. ap. Belgas præfect. qvod extincta seditione, rebellib. pulsis religione procurata, justitia culta provinciæ pacem firmavit regis optimi minist. fideliss. positum,

XXV. CONSIDERATIO.

Perlustrat Templa.

Ædium sacrarum varia exstant nomina, qvæ recenset & declarat Joannes Stephan' Durantus de ritib. Eccl. lib. 1 c. 1. per tot. Templum vero à contemplatione dictum, qvasi tectum amplum Isidor. auctor est lib. 15 c. 14. qvo Etymo credidit Archidiac. in can. Et hoc dicimus. 16. q. 7. Templa vocari majores Ecclesias, ubi sub unius amplitudine tecti pop. adunatur, At verius est Templa, qvod & Varro lib. 6. de lingva latin. à tuendo, id est, conspiciendo dicta, Archidiac. in. can. universas 16. q. 4.

Templa etsi plane soli Deo vere & proprie erigantur & dedicentur S. Augustin, *epist.* 49. *q.* & *libr.* 8. de civitat. Dei. *cap.* 27. basilicas enim extru-

ſtruere ad cultum pertinet, qvi ſoli Deo debetur. *S.* Auguſtin. in lib. *3.* contra 3. ſerm. Arrianor. *& lib.* 1. *cap.* 11. contra Maximum. Nihilominus Sanctorum nomina templis tribuuntur & nominibus ſanctorum Baſilicæ ornantur. Vel qvia Deus illis in locis miniſterio Sanctorum illuſtria qvædam præpotentiæ ſuæ opera præſtitit. Vel qvia illi ſuo ſangvine ſparſo & fuſo loca illa Deo ſacrarunt. Vel deniqve qvia divinas ſanctorum virtutes ibidem ad Dei gloriam, & honorem deſiderant celebrare. Honoramus ait Hieronymus epiſt. 53. ad Riparium, reliqvias martyrum ut eum, cujus ſunt Martyres adoremus, honoramus ſervos, ut ſervorum honor redundet ad dominum qvi ait, qvi vos ſuſcipit, me ſuſcipit Marc. 9. &c.

Templa proinde varia in diverſis orbis partibus magnificè exſtructa eſſe, enumerat prædictus Durantus *lib.* 1. *c.* 2. *num.* 4. idem de templorum forma oblonga, & in modum navis, de templorum ad orientem exſtructione & *c. cap.* 3. *n.* 1. & 3.

CONCL. I.

Templum Salomonis.

MAgnificum illud templum Hieroſolymitanum Deo omnipotenti Salomon anno regni ſui qvarto ædificari cæpit, & ſeptem annorum ſpatio perfecit, annis verò ab ortu Adæ primi hominis, trib. millibus centum & duobus cujus magnificentia & dignitas ab omnibus in hodi-

hodiernum usqve diem approbatur. Fuit autem ſexaginta cubitorum in longitudine, & viginti cubitorum in latitudine, & triginta cubitorum in altitudine. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis juxta menſuram latitudinis templi, & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi, fecitqve in templo feneſtras obliqvas. Plura etjam alia mirabilia fuerunt in illo templo ut ſcribitur *3. Reg. 6. & 7. c.* Nihilqve erat in templo, qvod auro tegeretur, ut ibi dicit, &; in c. gloria Epiſcopi, ibi neqve vero 12. *q.* 2. & amplè de excellentia, & magnificentia illius ponit ultra alios Fr. Joan. Ludov. Vinaldus, de monte regali in ſuo opere regali tract. de magnificentia Salomonis, & ibi probat ſeptem rationibus, qvod illud templum fuit nobiliſſimum, & qvomodo fuerit formatum in modum pulcherrimæ ac fortiſſimæ turris, & de illius pompa & incredibili pulchritudine, & in officin. Textor. in c. Alia opera & ædificia ſumtuoſa in fin. ubi ultra alia laudat illud dicens, qvod inprimis à Salomone triginta hominum millia cædendis arboribus Cædris & Cupreſſis ſunt deſtinata ad illud ædificandum, lapicidarum verò octuaginta millia. Inferioris ſtructuræ materia erat ex candenti ſaxo. Trabes erant Cedrinæ, & Cedrina concameratio auro illita ut parietes omnes. Duo Cherubin ex puro auro pavimentum petalis aureis inſtructum. Januæ vicenum cubitorum altitudine auro

co-

corufcantes. Ante veftibulum erant duæ columnæ æneæ 18. cubitorum altitudine, ambituqve duodenum. Altare fuit æreum, denum pedum altitudine, longitudine duplo majore. Item menfa una aurea, phialæ & pateræ aureæ decem millia argenteæ qvadruplo majores numero. Candelabra 10 millia ex auro & argento fabrefacta. Et iftud eft de templo artificiali feu materiali non fpirituali, de qvo habetur Joan. 2. & 1. ad Corinth. 3. qvod eft Chriftus. Fuit & dictum templum fub Dario reædificatum in omni gloria & patet Efdr. 3. c. 7. Et per iftud Salomonis & Ezechielis templum arduum & fublime, qvod vidit Ezech. in fpiritu conftruendum, & admirabili exornandum decore, de qvo Ezech. 42. & per illud tabernaculum, qvod Mofes conftruxit jubente Domino, de qvo Exod. 25. imaginata & figurata fuit Ecclefia Chriftiana.

CONCL. II.

Templum Dianæ Ephefinum.

CEleberrimum omnium Temporum & auguftiffimum Ephefii fuit templum Dianæ dicatum totius Afiæ ftudio ducentis & viginti annis architecto Cherfiphrone ædificatum. Cujus erat longitudo pedum qvadringentorum, & qvinqve ac viginti, latitudo ducentorum & viginti, in qvô fuerunt centum & viginti feptem columnæ à totidem regibus erectæ admirabilis longitudinis & pulchritudinis. Nam ad fexaginta pedum menfuram accede-

cedebant, qvarum triginta sex fuerant incredibili artificio & magnifice celatæ, cum aptis tanto artificio columnarum epistoliis. Aderant & picturæ mirificæ & pulcherrimæ statuæ magnificentiæ ejus templi convenientes. Nam Cælyphon Samius in hoc templo pugnam pinxit Trojanorum ad Græcorum naves, & inprimis Discordiam horrendo vultu. Qvæ omnia ab Herostrato viro Ephesio incensa fuerunt, ut hâc ratione cum ingenii præstantia non posset, sibi perpetuitatem nominis compararet. Ne potiretur autem Herostratus re per tantum scelus optata, sanxerunt Ephesii propositis gravissimis suppliciis, ne qvis in posterum Herostratum nominaret. Scriptum autem reliqvit Strabo in libro 14. qvod cum illud templum, qvod affabrè & multo artificio à Chersiphrone extructum fuerat, conflagrasset, aliud Ephesii non minus magnificum construxerunt resectis prioribus columnis, detractis mulierib. aureis ornamentis, multisqve opibus & publicè & privatim undiqve in unum collatis.

CONCLUS. III.

Templum Jovis Ammonii.

Fuit templum Jovis Ammonis insigne & sumtuosum ab Jarba Getulorum Rege factum, in qvo erant centum aræ. Unde Virgil.

Jarbas Rex Getulorum.

Templa Jovi centum latis immania regnis.

Cen-

Centum aras posuit, vigilemq́ʒ sacraverat ignem
Excubias divum æternas.

De qvo etiam meminit Martial. in suo primo epigram.

CONCL IV.

Templum Augusti Lugduni.

TEmplum fuit Lugduni ab universis Gallis teste Strab. in 4. communi impensa designatum & extructum, & Augusto Cæsari dicatum ante tamen hanc urbem constructum, ubi fluviorum scilicet Araris & Rhodani est coitio, ubi nunc est Abbatia Attanacensis, qvod una cum tota regione, teste Strabone ad Lucillum, fatali igne qvod & colonia urbis, videlicet, tempore Senecæ exustum est. Et de excellentia hujus Ecclesiæ Lugdunensis vid. Campegium in suo tract. de antiqvitate urb. Lugdun. c. 2.

CONCLUSIO V.

Templum Jovis Capitolini.

CApitolium Tarqvinius Priscus bello Sabino ædificaturum se voverat, fundamentaqve jecerat, cum decressit. Verum Tarqvinio defuncto Superbus, capta Pometia, ex spoliis hostium consumavit qvo pulso Horatius Pulvillus Cos. consecrationem obiit Auth. Plut. & Cic. Interjecto deinde qvadringentorum & qvindecim annorum spatio, Scipione & Narbono Coss. per Mariana bella igni consumtum est, qvo autem modo incertum. Capitolium, Deorum domicilium ea nempe de causa ap-

appellavit Cic. qvod in eo omnium Deorum ſimulacra, templaqve multa, & celeberrima fuiſſe commemorant. Qvorum templorum primum omnium Romæ ſacratum Jovis Feretrii in bello Cenninenſium à Romulo votum eſſe, & poſt victoriam in vertice ipſius Capitolini collis extructum ferunt. Dion. Fuit a. celeberrimum & maximum, de qvo ap. eund. Dion. in hunc ſcriptum eſt modum. Extructum eſt autem ſuper crepidine firmatum alta, octo Jugerum in circuitu, ducentorum ferme pedum unum qvodqve latus habens, eminentiam altitudine qvindecim pedibus integris, à parte qvidem qva frons meridiem ſpectat, comprehenſum triplici columnarum ordine, ab obliqvis vero partib. ſimplici, &c. Capitolium eſt dictum, qvod hic eum foderentur fundamenta ædis Jovis caput hominis inventum dicitur, qvod eam arcem imperii rerumqve caput fore interpretatum eſt. Arnobius caput illud Toli Vulcentoni fuiſſe ſcribit. libr. 6. qvi à Germani ſervulo occiſus ibi ſepultus fuit.

CONCL. VI.

Pantheum.

ROmæ erat omnibus Diis ſacrum templum. Fecit hoc M. Agrippa, qvod etiam nunc exſtat in beatæ Virginis & omnium Sanctorum memoriam Deo dicatam, de qvo ita Plinius. Agrippa Pantheum decoravit Diogenes Athenienſis & Curyatides, in columnis templi ejus proban-

bantur inter pauca operum, ſicut in faſtigio poſita ſigna, ſed propter altitudinem loci minus celebrata. In honore eſt & in templo illo Hercules, ad qvem Pœni omnibus annis humana ſacrificaverunt victima, humi ſtans ante aditum porticus agnationis ſitæ. Item Plinius loqvens de Pantheo ait Syracuſana ſunt in Pantheo; capita columnarum a M. Agrippa poſita, ſed idem alibi ſcribit lib. 36. c. 15. Pantheon Jovi ultori ab Agrippa factum, Dion vero lib. 53. Pantheon dictum ſcribit ſecundum aliqvos, qvia Agrippa plurium Deorum imagines, ſub ſimulacris Martis & Veneris ibi poſuit. Ipſe vero exiſtimat, qvia factum fuit cœli inſtar rotundam, ac velut Deorum omnium habitatio. Voluit qvidem M. Agrippa, ait Dion, ibi Auguſti ſimulacrum erigere & templum ab eo denominare, ſed neutrum admittente Auguſto, prioris Cæſ. Auguſti, & ſuam ſtatuam in veſtibulo erexit, Hæc ille. Id templum culmen laminis argenteis tectum habuiſſe Pomponius Lætus ſcribit, qvis inqvit Conſtans nepos Heraclii veniens ad urbem ſuſtulit. Altitudo ejus brachia continet LXXVII. & totidem latitudo, hujus templi concamerata teſtudo, mira arte laqveata, habet in ſummo vertice circulare foramen, qvo ſolo liberum lumen cœli admittitur, & ad hujus imbres excipiendos recto diametro in ipſo lithoſtrato impluvium, verum ne teſtudo immenſo pondere gravaretur, vacui circumqvaqve ſpecus

ab imo ad ſummum relicti ſunt, Intus tota ædes aut marmorata aut mamoreis cruſtis exornata eſt, exterius tectorio illita, à fronte verò æreis laminis argento auroqve illitis tecta. Portæ verò templi æreæ miræ magnitudinis veteris ſtructuræ, cum æreis ſupra valuas cancellis. In hoc tot gradibus nunc deſcenditur, qvot olim aſcendebatur, ut columnarum baſis in porticu ipſius exiſtentium oſtendit, ſimul & area ex qvadrato lapide ſuperioribus annis detecta, ex qvo dephrehendi poteſt, qvantum ruinis creverit urbis ſolum. In frontiſpicio portibus literæ cubitales operis autorem oſtendentes ſunt hæ.

M. Agrippa L.F. Coſ. Tertium fecit.

De inſtauratione verò ejuſdem templi infra minores literæ leguntur hæ.

Imp. Cæſ. L. Septimius Severus Pius pertinax Arabitus Adiabenicus Parthicus Maximus Pontif. Max. Trib. pot. XI. Coſ. III. pp. procoſ. & Imp. Cæſ. M. Aurelius Antonius pius felix Aug. Trib. Poteſt. V. Coſ. procoſ. Pantheon vetuſtate corruptum cum omni cultu reſtituerunt.

In area autem Pantheonis viſuntur pari forma duo Leonum ſimulacra ex marmari dum lapide ſubnigro, ſub ſuis haſtibus collocata cum hieroglyphicis literis inter duo porphyretica labra.

CONCL. VII

Templum pacis.

ROmæ Veſpaſianus mira celeritate templum Pa-

Pacis, à Claudio prius inchoatum, poſt bella civilia ædificavit, cujus templi pars prope D. Mariæ ædem adhuc exſtare videtur. Fecit, inqvit, Sueton. nova opera, Templum Pacis foro proximum. Et Joſephus, poſt triumphum & Romani imperii firmisſimum ſtatum paci templum ædificavit. Fuit autem hoc templum maximum longitudine & latitudine, qvadrata forma maximis pulcerrimisqve exornatum columnis, qvarum una adhuc ibi eſt erecta tantæ crasſitudinis, ut trib. ulnis vix amplectatur. In eodem templo vaſa & ornamenta templi & Hieroſolymitani, triumpho Titi advecta repoſuit Veſpaſianus, & univerſa donaria in eo conſecravit. Auth. D. Hieronym. Veneremqve dedicavit. Incendio autem exhauſtum eſſe tempore Commodi Imp. ſcribit Herodianus in hæc verba: Nam cum neqve imbres, neqve nubes, tantumqve exiguus terræ motus antecesſit, ſeu nocturni caſu fulminis, ſeu igni aliqvo in ipſo terrarum motu veluti extrito totum de improviſo pacis templum conſumtum incendio eſt, qvod unum ſcilicet opus cunctorum tota urbe maximum fuit atq; pulcerrimum. Idem templorum omnium opulentisſimum egregieq; munitum multoq; ornatũ auro & argento. Qvippe univerſi ferme illuc divitias qvaſi in theſaurum congerebant. Hoc Templum ab ægrotis freqventatum fuiſſe Galenus in libr. de pulſibus ſcribit.

CONCL. VIII.

Templum Floræ.

Romæ erat in regione 6. Flora cum magnas opes ex arte meretricia qvæsivisset, pop. Romanum scripsit heredem certamqve pecuniam reliqvit, cujus ex annuo fœnore suus naturalis dies celebraretur editione ludorum, qvos appellant Floralia, qvod qvia Senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei qvædam dignitas adderetur. Deam finxerunt esse, qvæ floribus præesset, eamqve oportere placari, ut fruges cum arboribus aut viribus benè prosperéqve florescerent. Floræ templum Lucius & Marcius Publicii ædiles constituerunt, qvod vetustate consumtum Augustus instauravit Tiberiusqve dedicavit. Tac. lib. 2.

CONCL. IX.

Templum Sophiæ.

Constantinopoli Ecclesia Magna ita Templum S. Sophiæ, id est Dei sapientia à Constantino, vel ut alii à Constantio ædificatum erat, excellentius post templũ Salomonis regis filii Davidis. Nam dicitur major Ecclesia sanctissima & mater Ecclesiarum, Imperii ut est text. in Auth. ut determin. sit numer. cler. §. 1. c. 1. Et lib. 1. Chron. Reginonis dicitur. Extruxit qvoqve Justinianus Constantinopoli templum cujus opus in tantum cuncta ædificia excelit, ut in totis terrarum spaciis huic simile non possit inveniri: de cujus nobili architectura Peri-

an-

andri liber & alii extant. Evagrius ſcribit Templi longitudinem fuiſſe peditum 190. Latitudinem pedum 115. altitudinem à pavimento ad centrum hemiſpherii pedum 180.

CONCL. X.

Baſilicæ urbis Romæ præcipuæ.

PRæter alia qvam plurima templa Romæ ſeptem habentur præcipua ſanctioraqve tum ob inſignem ædificiorum magnitudinem, tum ob eorum reliqvias ſtationes & indulgentias, hæc ſunt:

CONCL. XI.

Baſilica S. Salvatoris.

QVæ & Conſtantiniana ab auctore & Lateranenſis à Loco & Aurea ab ornamentis dicta eſt. Nunc S. Johannis dicitur. Pontificum olim Rom. ſedes.

CONCLUSIO XII.

Baſilica S. Petri.

IN Vaticàno fabriça ſumtu magnificentia marmoribus & opere ſuperat omnia orbis terræ templa præſertim nova ſtructura cui tholum nuper Xyſtus V.P.M. impoſuit magnificentiſſimum & ſacellum inauratum, Gregorius XIII. D.Gregorio Nazianzeno conſecravit. Vincit haud dubie Epheſinum illud unum in ſeptem illis miraculis ab Eroſtrato incenſum, ut hoc flagitio nomen ad poſteros obſcurum alioqvi transmitteret.

CONCLUSIO XIII.

Baſ. S. Pauli Apoſtoli.

EXtra urbis mœnia in via Oſtienſi, amplum & pulchrum templum à Conſtantino M. ædificatum longum paſſ. 120. latum 85. fulcitur columnis ſtriatis marmoreis 40. aliisqve totidem rotundis & paulò minoribus, ut ſint in univerſum 114. pavimentum marmoreum &c.

CONCL. XIV.

Baſ. Liberiana.

ALias Xyſti papæ & Exqviliis, qvæ S. Mariæ Majores vel ad præſepe vocata eſt templum auguſtum inter cætera operis muſcui longitudine pedum 312. latitudine 112.

CONCL. XV.

Baſ. SS Stephani & Laurentii.

EXtra urbis muros via Tiburtina. Ædes pulcra marmoreis nixa columnis 36.

Hæ qvinqve Patriarchales Eccleſiæ dictæ ſunt: qvod etiam refert Joannes Monachus, Picardus Cardinalis. S. R. E. in c. fundamenta, de elect. in his verſic.

Paulus, Virgo, Petrus, Laurentius atq; Johannes.
Hi Patriarcharum nomen in urbe tenent.

CONCLUSIO XVI.

Baſ. Sebaſtiani.

OB venerandum divi Calliſti cemeterium tot ſanctorum corporibus nobilitatum, & ob ſacras catacambas, perfugia qvondam eorum qvibus pro Chriſto à conſpectu fugiendum erat.

erat. Templum oblongum in via Appia simplicis structuræ pavimento marmoreo.

CONCLUS. XVII.

Bas. S. Crucis in Hierusalem.

TEmplum mundum, & elegans ab Helena Constantini M. Imp. matre ædificatum columnis 30. Summi altaris tectum 4. marmoreis columnis sustinetur. Solum loci illius è terra sancta Hierosolymis advectum fuisse inscriptio testatur & asylum ibi olimfuisse sub Romulo, auctamqve inde à Tullo Hostilio urbem pomerioqve additum olim fuisse referunt, ut ubi olim sceleris impunitas, ibi sub Christo criminum venia tribuatur. Atqve ita septenarius numerus completus est, ne tam religioso instituto mysterium deesse videretur, qvod is sanctissimus habetur omnium numerorum qvos in sacris literis legimus. De his septem præcipuis urbis Romæ sanctioribusqve basilicis scripsere. Onuphrius Panuinius Veronensis, & M. Attilius Serranus, qvi sunt impressi hic Romæ ap. hæredes Antonii Bladii impressores Camerales anno Jubilæi M D LXXV. ille Coloniæ ap. Matern. Cholinum anno M D LXXXIV.

CONCLUS. XVIII.

Templum D. Mariæ De Laureto.

CEleberrimum totius orbis terrarum hoc seculo est templum D. Mariæ de Laureto, tum ob admirabilem ejus situm, tum præcipuè ob varia & maxima miracula, qvæ peregrinantibus

eo patent. Eſt enim nutricula Domini noſtri J. C. & primò in Galilæâ ingenti honore culta, poſtea amiſſo cultu in Galilæà divinitus aſportata fuit in Dalmatiam. Demigravit ex Illyrico ingenti cum luctu Dalmatarum. In Picenum advecta Recinetenſem inſedit ſylvam, è ſylvâ translata in collem duorum fratrum ex fratrum colle ob eorum avaritiam diſcordiamqve demigravit in oppidum Lauretum ubi adhuc freqvens, & qvotidiana eſt peregrinatio ab univerſis Chriſtiani orbis regionibus eò confluentium, oſtenduntur ibi ſingulatim precioſa & rara principum atqve magnatum donaria qvæ religionis ac voti cauſa Divæ virgini matri, in ſacroſancto illo delubro dedicata fuere. Item in ſacrario veſtes ac vaſa ſacra ex auro & argento gemmis & unionibus onuſta. Item Votinæ tabulæ, qvibus laudes Deiparæ Virginis Lauretanæ à præclariſſimis ingeniis decantatæ continentnr, ſcripſit ſingulariter Lauretanam hiſtoriam libris qvinqve Horatius Turſellinus Romanus ad Petrum Aldobrandinum S. R. E. Card. Extat & Baptiſtæ Mantuani teſtimonium initio ſuæ hiſtoriæ, de æde Lauretana. Item Teſtimonium Leandri Alberti de eadem æde. Franc. Scottus & Fr. Hieronymus ex Capugnano in itinerario Italiæ part. 1.

CONCL. XIX.

Templum S. Marci Venetiis.

AUguſtum Divi Marci templum ſumtu & artificio

ficio mirabile, qvod qvidem ampliſſimum ac ex marmore nobili conſtructum eſt, pavimentum ex Porphyreticis, Laconicis Thaſiis, Ophiticis aliorumqve preciſorum marmorum lapillis teſſelatum, ac varietate colorum reſplendens, picturas egregias & inſignia emblemata repræſentat ubiqve ſpectantium oculis, qvæ curioſa ingenia diverſis conjecturis exercent, parietes templi ſeu baſilicæ marmoreis tabulis varietate colorum pulcerrimis ſunt incruſtati. Ad læuam duæ albæ conjunctæ ſunt ex uno trabe marmoris ſectæ, in qvarum commiſſura lineis nigricantibus natura ludibanda tanto artificio viri effigiem expreſſit, ut omnibus induſtrioſe depicta videatur, & ejus tanqvam miraculi mentionem fecerit Albertus Magnus in ſuis Meteoris. Teſtudinem templi ſculpturis atqve picturis ornatam ſuſtinent triginta ſex ſolidæ columnæ ex vario marmore, & plures ex Phrygio pulcerrimæ craſſæ per diametrum pedes duos. Tectum qvinqve Hæmiſpheriis plumbo veſtitis conſtat. Frons autem qva parte ex foro qvinis æreis portis, patet aditus in templum, à ſolo ad faſtigium uſq; Græcanico opere cum emblematis inaurata eſt crebræqve per ordines eminent divorum ſtatuæ ex marmore per inſignes. In hujus frontis ſupercilio, ſupra mediam portam majorem miræ venuſtatis qvatuor eqvi ex ære Corinthio inaurati unius qvadrigæ antiqvæ juſta ſtatura ac magnitudine vivorum eqvorum exornant

ingressum, eos Romani fuderunt qvo tempore Hiero de Parrhis triumphavit, & in ejus arcu posuerunt. Constantinusqve postea Byzantium transtulit, Veneti Byzantio potiti Venetias ad ornatum frontispicii ipsius templi D. Marci deportarunt. In sacrario D. Marci thesaurus custoditur ingens stupendæqve prorsus opes divitiarum atqve ostenduntur ibi inprimis divorum imagines, coronæ ex auro plurimæ atqve capita cum pectoribus humanæ magnitudinis ex auro item puro fabrefacta, gemmis margaritis pretiosissimis exornata, visuntur Carbunculi, Adamantes, Smaragdi, Topazii Chrysolithi, hyacinthii ac uniones miræ magnitudinis ac precii incredibilis. Longum esset enumerare singula. Anno 829. huic templo initium fuit. Athenis ex totaqve Græcia columnis petrisq; comportatis. Structura ipsa à Græcis sumta, forma à cruce Salvatoris nostri, totius ædificii columnæ plusqvam D. numerantur. &c. vid. de eo Fr. Scottus & Fr. Hieronymus ex Capugnano in Itinerario Italia c. Venetiæ.

CONCL. XX.

Templum Sanctæ Mariæ à Flore.

FLorentiæ in Italia ingens & magnificum Templum est marmorei in eo videntur duodecim apostoli, qvos varii ea in facultate præstantes viri effinxerunt, & illa ædis testudo admodum fama celebris, cujus altitudo est

gra-

graduum 532. tale ædificium eſt, ut vix in urbe ſimile patiatur totum ex marmore albo, nigro, rubroqve ita diſpoſitum, ut veram & jucundam oculis admirationem adferat.

CONCL. XXII.

Templum S. Mariæ.

SEnis in Hetruria magnifica eſt primaria ædes pretioſiſſimis marmoreis lapidibus erecta ſingulari artificio conſpicuo apparet. Ejus pavimentum à Duccio Pictore celeberrimo inceptum, à Becca ſumo tandem perfectum eſt.

CONCL. XXII.

Templum S. Laurenti Eſcuriale.

HIeronymianorum monaſterium in Hiſpania ſexto lapide à Madritio: Viſitur ibi mirandi operis egregia moles, & planè regia qvam maximus Hiſpaniæ Regum Philippus 2. regio ſumtu dedicavit. Celeberrimo enim illo prælio ad oppidum S. Qvintini Veromanduorum caput D. Laurentio & tutelari patrono florem Gallicæ nobilitatis fudit & firmisſimam urbem expugnavit anno Chriſti Servatoris M D LVII. Eſt templum & monaſterium rarisſimæ ſtructuræ, de qvo Ludov. Nonius in ſuâ Hiſpania c. 71.

XXV.

XXVI. CONSIDERATIO.

Exaltat Turres.

CONCL. I.

Turris Babylonica.

NEmbroth gigas manu fortisſimus, ut cunctos cæteros homines à Dei timore revocaret, perſuaſit eis ut lateres facerent, & igni coqverent & turrim ædificarent excelſam, cujus cacumen uſqve ad cœlum pertingeret, tanqvam aſcenſuri per eam in cœlum Qvam cum ædificarent magna eorum ſuperbia ſe contra Deum erigentes. Ædificandum temeritatem hac ſola animadverſione percusſit Dominus, ut gentes duo & ſeptuaginta, qvæ ibi convenerant & deſcenderant ex tribus filiis Nohæ,qvibus una erat lingva totidem lingvarum confuſione ſuper inducta ut alter alterius vocem non intelligeret, illa conſpiratio ſic diſſoluta eſt, ut ſuper omnem terræ faciem ſpargerentur. In qvo autem loco hæc turris Babel ſtetit paucis notum eſt.Ferunt in Oriente eſſe civitatem emporium nobile Chaldæorum prope Eufratem Baldach vocitatem. Ibi incolæ ajunt non longe ab urbe videri magnam congeriem lapidum & devaſtationem. Et propter rupes & animalia venenoſa non patere acceſſum, eam ibi fuiſſe opinantur, & ab hac ſingula ad eorum civitatem è Babylonia traducta. Turris autem altitudo, mille centum ſeptuaginta qvatuor paſſuum à Beda fertur habuiſſe, paulatim altiorib.in anguſtiis coarcta deſcribitur, & vocatum eſt nomen

men Babyl. id est confusio, cum ibi fuit labium universæ terræ & Dominus super faciem cunctarum regionum eos dispersit.

CONCL. II.

Turris Cremonæ.

TUrris omnium totius orbis altissima, ut in Proverb. abierit. Unus Petrus in Roma, unus portus in Ancona. Una turris in cremona. In cujus summitate steterunt simul Johannes 22. Pont. Max, & Sigismundus Imp. unà cum Gabriono Fundulio urbis regulo, qvi postea de se ipso conqverebatur crudeli animo inflatus, qvod præclari facinoris occasionem prætermisisset, & Papam & Imp. ea die à summo turris ad ima non præcipitarit Herostrati exemplo, qvi Dianæ Ephesiæ templo ignem apposuit, ut perpetuitatem suo nomini daret.

CONCLUS. III.

Turris Asellorum & Garisenda.

BOnoniæ in Italia, qvæ urbs instar navis Onerariæ est formata, hoc est longior qvam ampla proræ figuram ex uno manifeste latere indicans, & ex altero puppis. Stat in medio Asellorum Turris qvasi malus scalas habent pro ut ego mensus fui, 470. Et Garisenda scalis ostendit.

CONCLUS. IV.

Turres urbis Romæ.

TUrres ipsorum murorum Romæ tercentum & sexaginta numerantur, qvarum mul-

multæ ſunt collapſæ,multæ ita vetuſtate corro-ſæ,ut indies ruinam minentur.

CONCL. V.

Turris Mæcenatis.

ROmæ loco Exqviliarum edidiriſſimo fuit celeberrima illa Mæcenatis Turris ex qvâ crudeliſſimus Nero, ſcenico habitu alioſim Trojæ canens,urbis incendium ſpectavit,cujus incendii initium ab ea parte Circi Maximi originem habuit, qvæ Palatino Cælioqve montib. contigua eſt,finis autem ad imas Exqvilias auth. Sveton. qvanqvam Corn. Tacitus vult Neronem Antii tunc fuiſſe,ut viſum eſt, de hac turri ſic meminit Horat. Molem propinqvam nubibus arduis, omitte mirari,ubi interp. in Mæcenatis hortis ſtatuit, qvi amœniſſimi erant in Campo Exqvilina.

CONCL VI.

Turris militiarum.

ROmæ in primo Clivo ſupra forum Trajani, ſtatim occurrit Turris militiarum, cui milites Trajani ibi ſtationem olim habentes nomen fecere.

CONCLUS. VII.

Turris Venetorum.

VEnetiis juxta Baſilicam S.Marci ex qvadrato lapide extructa eſt turris æqvilatera qvaqva verſum lata pedes amplius qvadraginta. Ejus fundamenta ſubterranea pluris qvâ turris ipſam à ſolo conſtitiſſe Sabellicus auctor eſt. Subli-

me

me fastigium tegulis æneis inauratis tectum est qvod sole splendente qvam longissimè ab Istria Liburniaqve navigantibus conspicitur. Ascenditur per scalas lapideas concameratas, qvæ interiores turris parietes cochleatim circum ambiendo exurgunt sensim ad cacumen usqve. Hujus Turris fundamenta jacta fuerunt anno 888. qvæ cum tota ferè incendio conflagrasset restituta fuit, & ad fastigium usqve inaurata ubi anno 1517. positus fuit ligneus angelus, deaurato ære incrustatus ego gestu, ut pop. manu benedicere videatur, qvi in ferreo cardine spirantibus ventis circumvolvitur. Hæc turris undiqve 162. pedes dilatatur altitudine usqve ad prima tabulata est pedum 164. hinc ad angelum, pedum 152. à Campanis verò ad ipsum angelum columnis & leonibus marmoreis & æreis & pulcherrimis mœnianis exornata est, & scalas habet ascensu facilimas.

CONCL. VIII.

Turris Argentinensis.

CEleberrima Germaniæ turris, altitudinis pedum 574. Icone edidit Bernhardus Jobinus.

CONCLUS. IX.

Turris Murium.

PRópe Bingam medio in fluvio Rheno stat turris murium, sic dicta. Sigfridus Presbyter lib. Epitom. 1. anno Domini 923. memorat Attonem Moguntinum Archiepiscopum à murib. in ea

ea fuisse devoratum, nec in continenti, nec in Insulis ulla ratione potuisse sese ab eis eximere, qvanqvam auctor Chronolog. compilat. sub an Dom. 914. non muribus id tribuat, sed dæmonibus in se stantibus auditam addit vocem in aëre.

Sic peccata lues sicq; ruendo rues.

Vid. Munst. lib.3. Cosmogr. & Buntinus lib.1.

XXVII. CONSIDERATIO.

Pulsat Campanas.

SOnorum Campanarum sonitum amœniori multiplicare sono admonet cottidianus illarum ad precationes & sacrificia summo offerenda pulsus: Sonitus igitur subseqq. bene in auribus audientium sonabunt.

CONCL. I.

Unde dicatur Campana.

SOrtita est Campana nomen suum à regione Italiæ Campania, qvæ vocatur in cujus urbe Nola primum fuit inventa, unde & Nola dicitur, hinc *B*apt. Mantuanus.

Sortitas igitur Campana nomine Nolæ.
Qvod Nola inventrix operis fuit, orgia & horas.
Voce notant plebemq; monent à turribus altis.

CONCL. II.

An sonitus earum contra Tonitrua faciat.

USitatum hocce fuit, & ad huc est in plerisqve locis, ut ad Tonantis Jovis sonitum, Campanas pulsarent, pautantes malignos spiritus qvi sæpissime tonitrub. sese immiscent, earum audito sonitu propelli & fuga-

fugari, ſicut & ex ſagarum depoſitionib. patet, ſpiritus illos ad campanæ ſonitum evanuiſſe. Addiderunt hanc rationem qvod campanæ ſint benedictæ & conſecratæ in illius vel iſtius ſancti nomine, alia itidem cauſa eſt qvod id fiat, ut pop. ad precationes, orationes admoneatur, Tertiam invenerunt novelli ideo fieri qvod earum ſonius nubes diſpellat, ſicqve etiam tonitrua perturbet, vel in alium locum cogat. Verum qvi poterit tam tenuis ſonitus, qvi vix ad milliare unum percipitur ad tantam diſtantiam qvi ſunt nubes, & altitudinem pervenire, & adhuc ſuas exercere vires. Vacillat ergò hæc ratio.

CONCL. III.

An Campanæ in Veteri teſtamento fuerint.

TUbarum earumqve uſus deſcribitur Num. 10. circa pr. ibi fac tibi duas tubas argenteas ductiles qvib. convocare poſſis multitudinem, qvando movenda ſunt caſtra &c. fit mentio feſti tubarum Levit. 23. ibi Menſe ſeptimo prima die menſis erit vob. ſabbathum memoriale clangentib. tubis & vocabitur ſanctum &c. Tintinabulorum in Tunica Aaronis fit mentio. Exod. 28. ibi. Deorſum vero ac pedes ejusdem tunicæ per circuitum, qvaſi mala punica facies ex hyacintho & purpura & cocco bis tincto miſtis inmedio Tintinabulis &c. Campanas verò majores non invenio.

CONCL. IV.

Seqvuntur Campanæ celebres, Campana Erfordiana.

A magnitudine perqvam celebris est Campana Erfordiæ in Thuringia templo *S.* Mariæ, qvæ omnes alias qvas ego vidi superat.

CONCL. V.

Campana Coloniensis.

POst eam à magnitudine celebratur illa Coloniensis in Dominica.

COONCL. VI.

Campana Heduenses

HEduæ in Ecclesia Sancti Lazari in insigni illo companili sunt viginti Campanæ, & ultrà qvarum duæ sunt magnæ molis, una ponderis est 18. millium, altera verò 16. Sonus autem dum pulsantur, est consonantiæ & concordiæ tantæ, ut musicam ipsam retollere videatur.

CONCLUSIO VII.

Campana Halberstadensis.

CElebris est etiam illa Campana in primario templo, Cantabona qvæ dicitur, de qva Henricus Meibomius in Chronico Riddagshuseno p. 68.

CONCL. VIII.

Campana Hildesiana.

A pretio commendatur illa Campana Argento Hildesii in summo templo.

Con-

CONCL. IX.

Campana Herolsfeldiana.

A ſigni impreſſione famata eſt illa Hersfeldiana Campana Dæmonis figuram inſculpta, id qvod ex maledicentia fuſoris accidiſſe commemoratur.

CONCL. X.

Campana Cœnobii Hainæ.

A ſigni ejusdemqve paulo lepidi oris impreſſione famata qvoqve eſt illa Cœnobii Hainenſis in Haſſia in qva tres Lepores cum tribus auribus,& qvilibet tamen duas aures habet, inſculpti viſuntur.

CONCL. XI.

Campana Aaronis Sylvæ.

IN Nova Marchia ſunt tres ingentis molis Campanæ in Dominica, & in ſemitonio per LA SOLFA conſonant, reddunt locum illum perqvam celebrem. Marchia Andreæ Angeli.

CONCLUS. XII.

Campana Rothomagenſis.

ROthomagi eſt Campana maxima totius Franciæ qvæ pondere tenet libras triginta ſex mille qvam fudit Joannes Machon, qvi præ nimio timore qvem habuit, dum deerraret in tanto opere & nimio gaudio, qvem perfeciſſet feliciter, ſolutus viceſimo ſexto die poſt obiit, nec ſonitum ejus tonantem veneratus. Sepultus eſt in Pronao templi B. Virginis vulgo Noſtre Dame & Campana inſculpta lapidi ſepul-

crali anno 1501. ut refert Natalis Taillepied. in Antiq. Rothom. c. 52. & ego vidi.

CONCL. XIII.

Campana miraculorum.

UT refert Leonhardus Vairus de fascino lib. 2 c. 14 in regnis Hispaniæ in oppido Villilla nuncupato Cæsar Augustanæ diœcesis Campana qvædam est, qvam Miraculorum appellant. Hæc per aliqvot menses anteqvam aliqvid adversi in rep. Christiana contingat, ex se ipsa nemine impellente pulsatur, cujus rei testimonium per publicos tabelliones testibus pluribus adhibitis hisce oculis egomet legi, præter fidem, qvam de eadem re illius regni proteges suis literis faciebant. Natalis Taillepied. de apparit. spirit. cap. 14.

XXVIII. CONSIDERATIO.

Laudat & extollit Palatia.

ET propriè sunt domus principum. Et dicuntur Ædes consecratæ, qvæ ab omni privatorum usu & communi habitatione excipiuntur. L. unic. C. De Palatiis & domibus Dominic. lib. 11. Et est regale habere Palatia in civitatibus, ut in tit. Qvæ sunt Regalia, in usibus feudor. & l. fin. C. de offic. rector. provinc. & l. qvicunq; C. de operib. public. Et in magnis civitatibus debent & solent esse palatia principum, ut in civitate Romana sunt multa Palatia tam summorum Pontificum qvam Cardinailum.

Con-

CONCLUS. I.

Palatium S. Petri in Vaticano.

ROmæ ſitu longè auguſtiſſimum Rom. Pont. qvi relicta Lateranea ſede ob amœnitatem loci & ſalubritatem huc commigrarunt, oppidum potius dixeris adeò amplum eſt qvam domum. Symmachus Papa primò illud fecit, ut ſcribit Blondus, de Roma inſtaurata lib. 1. n. 50. Nicolaus V. in Vaticano Pontificale Palatium ſumtuoſiſſimè extruxit & murorum ingentem molem ibid. inchoavit qvib. coërceri hoſtes poſſent, ne Pontificis ædes diripere poſſent. Sacellum hic Xyſti qvod ampliſſimum æqvat templum qvâ ſede vacante conveniunt Cardinales creando Pontif. M. & Conclave vulgò nominant. In ſacello Dei judicium ſupra altare depictum viſitur cum ſtupore mortaliam etiam ſummorum pictorum. Opus eſt magni illius Michaelis Angeli toto orbe vel illo opere celeberrimi qvi & vicinum Paulinum ſacellum, ſed longè minus illo depinxit.

CONCLUS. II.

Palatium Lateranenſe.

ROmæ inſtauravit Eugenius Qvartus teſte eodem Blondo eod. lib. n. 305. Anteqvam Xyſtus V. noſtra memoria novum Lateranenſe Palatium à fundamento inſtruxit cœnaculum hic erat Rotæ ampliſſimum in qvo Pontifices ac Cardinales & Archiepiſcopi ſedebant, cum de rebus magnis eſſet agendum tresqve

portæ altiſſimæ marmoreæ ex Hieroſolymitano prætorio erant advecta conſilia hic Lateranenſia habita totius cleri conſeſſu.

CONCLUS. III.

Palatium S. Laurentii in Lucina.

QVod ob magnos fornices & ampliſſima fundamenta ſuper qvibus ædificatum eſt partem operum Domitiani arbitrantur, & id ad annum ſalutis 300. ſupra 1000. à Cardinale Anglico in prædictis Domitiani operum ruinis ædificatum Joannes Cardinal. Rothomag. multa impenſa adauxit, qvod nuper Joannes ex Gallis Picardus Card. Morin. cum in eo habitaret tanto ampliavit ornavitqve impendio, & nullam, præter Pontificale Palatium ſancti Petri domum urbs Roma nunc habebat pulcriorem, ut refert idem Blond. lib. 2. n. 15.

CONCL. IV.

Palatium Mediolanenſe.

INexpugnabilis Mediolani arx & loci natura & amplitudine & elegantia, & munitione & oppugnationis difficultate cunctas Europæ arces facile antecellit, hanc viva cingit aqva foſſa triplex, patentes & arcanæ ſubſidiariæ ſunt viæ ſuperius, inferius ubiqve & ampli, & augusti ſunt auxiliarii aditus. Majus arcis qvadrum intra foſſam in ſecluſis turribus, qvæ parva fere caſtella poſſunt appellari, ducentos ambitus cubitos habet. At verò extra anteridem poſt-

post habitis forcipibus mille ferè, ac sexcentos ambit cubitos.

CONCL. V.

Palatium Ducis *Venetorum.*

HOcce Palatium opibus & Asiatico luxu refertum, nedum ducali & senatorio, sed regio & imperiali resplendet sumtu, admirationem fere excedit, fundamento Angelo participato Duce anno 809. jacta fuerunt. & cum qvinqvies aut totum aut pars incendio perierit, semper elegantius instauratum est. Palatii fastigium antea plumbeis tegulis, postea propter incendium anni 1574. æreis tectum fuit &c. longum foret describere ampliss. & noblissimũ hoccePalatiũ, laudavit illud Bartholomæ' deSaligniaco in suo Itineratio Terræ sanctæ 2. cap. 1. Tom. Laudarunt illud, Franc. Schottus & Hieronym. ex Capugnano in Itinerario Italiæ c. Venetiæ. p. mihi 25, qvo benivolum selego lectorem.

CONCL. VI.

P*alatium Parisiense.*

INter alia Palatia Galliæ Parisiense est excellentius tam longitudine & latitutine seu magno spacio terræ, qvam in ædificiis sumtuosissimis & amplis. Ejus tamen exellentia consistit potius cum in eo exerceantur variæ jurisdictiones pro administranda justitia, qvas recenset Barthol. Chassanæus in Catolog Gloriæ mundi part. 12 considerat. 67.

CONCL. VII.

Prætorium Patavinum.

QVo nullum in orbe pulchrius esse tenetur, cum esset casu crematum, speciosius Veneti construxerunt anno 1420. qvod annis 200. & amplius diratum perduravit. Id est plumbo tectum, nullis columnis tignisqve suffultum latum habens pedes 86. Longum 256. In eo digna sunt qvæ spectentur. Loculus T. Livii ossium parieti qvi Occidentem spectat inclusus sua ad vivum imagine, & his verbis conspicuus.

V. F.
T. Livius
Liviæ. T. F.
Quarta el.
Halys.
Concordialis.
Patavi.
Sibi & suis
Omnib.

Portis insident viri qvatuor Titus Livius. Jul. Paulus, Albertus ex Augustiniana familia Eremitarum, & Petrus Apponus.

XXIX. CONSIDERATIO.

Admiratur Amphitheatra.

THeatrum à Græca trahitur Etymologia, dicitur enim ἀπὸ τῦ θεᾶσθαι, qvod est specto, & habet hemicycli formam. Amphitheatrum autem Ovalem, appellatum. ἀπὸ τῦ ἀμφὶ καὶ θεάσ-

θεάομαι, qvod eſt circumſpecto, qvaſi in unum juncta duo viſoria. Caſſiod. Titum omnium primum amphitheatrum inveniſſe putavit: Ejus ſunt hæc verba: Hoc Titi potentia principis divitiarum profuſo flumine excogitavit ædificium fieri,& cum Theatrum hemiſphærium Græcè dicatur amphitheatrum, qvaſi in unum juncta duo viſoria, recte conſtat eſſe nominatum, qvod ſpeciem ejus arena concludat, & ut currentibus aptum daretur ſpacium, & ſpectantes omnia facilius viderent, dum qvædam prolixa rotunditas univerſa collegerat. In amphitheatro autem multi ſpe premii qvod publicè dabatur cum beſtiis pugnabant. Capiti etiam damnati & bello capti hoc miſerrimo certamine capitis diſcrimen ſubire cogebantur. Claudius enim Imp. pacatis Ægyptiis qvum militum non parva manus rebellaſſet, partem illorum occidit,partem Romam miſit cum beſtiis pugnaturos.

CONCL. I.

Amphitheatrum Statilii Tauri.

QVi inter primarios cives Romanos Auguſti tempore floruit, videtur adhuc dirutum in cœnobio Baſilicæ S. Crucis in Hieruſalem in agro Seſſoriano, & in ipſis mœnibus urbis qvod lateritium ut plurimum eſt. De hoc Marlian. lib. 4. c. 9, loqvens de palatio Seſſoriani & cæteris ibi proximis, in hæc habet herba. In proximo loco extant Statilii Tauri Amphi-

theatri reliqviæ qvod Statilius posuit. Augusto cives Romanos hortante, ut pro viribus qvisqve conaretur urbem exornare auct. Suet. qvi etiam commemorat Caligulam munera gladiatoria partim in Statilii amphitheatro, partim in septis aliqvot egisse &c. Blondus Flavius Romæ instauratæ libr. 1. n. 87. de hoc amphitheatro sic ait: Visitur qvoqve in Cœlio monte portam inter nunc dictam majorem. qvam olim diximus fuisse Nerviam & Amphitheatrum semidirutum qvod Statilii Tauri, majores appellaverunt. Sanctæ Crucis in Hierusalem Ecclesia Helenæ Constantini Flavi genitricis opus &c.

CONCL. II.

Amphitheatrum Vespasiani.

INter Cœlium montem & Exqvilias Amphitheatrum vulgo Colosseum appellatum, qvod media urbe, ut destinasse compererat Augustum, Vespasinus excitavit. Titum deinde ejus filium dedicavisse ostendit Suet. his verbis: Et tamē nemine ante semunificentia minor amphitheatro, dedicato thermisq; juxta celeriter exstructis mun' apparatissimum largissimumq; dedit. Utriqve tamen id est Patri Vespasiano, & Tito ejus filio Amphitheatri opus attribuere videtur. Eusebius vero exstructionis & dedicationis Titum authorē facit. Et Cassiodorus asserit ipsum Titum, falso tamen, primum omnium hujuscemodi excogitavisse molem. Titum au-

autem vel inchoasse & perfecisse, vel cum genitor cepisset absolvisse nemini dubium videri potest, si qvis reliqvæ ædificia ab eodē prope exstructa cognorit Mar. verò hanc ipsam Molem Domitiano attribuit, sed id factum est per adulationē Colosseo fuit nomen à Neronis Colosso qvi erat in portica domus, ut in æreis ejus numismatibus sæpe videtur. Verum utrum Titus intra amphitheatrum concluserit, aut postea eò transtulerit, aut ædificando prope stare permiserit parum liqvet, & tamen à Colosso nomen obtinuit, qvo in loco ipsius Neronis stagna prius fuisse, idem Martialis sic testatur;

Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri,
Erigitur moles stagna Neronis erant.

Ipsum autem Amphitheatrum Arenam appellatum legimus, qvod solum arena sparsum esset, ea nempe de causa ut gladiatores certatoresqve reliqvi sine periculo caderent, simulqve sangvis illico tegeretur, ne illius aspectu pugnantes adversarios timerent, minusqve alacriter in certamen descenderent & nudati, perunctiqve pugiles eo pulvere perfusi solidiores vicissim præberent amplexus &c. Caveam qvæ ludorum diebus linteis operiebatur loca septem & octuaginta millia cæpissē refert. P. Victor. Cujus cum vetustate tum barbarorum invidia & immanitate magna pars eversa est, qvæ enim penitus dolere non poterant, impia lancinarunt manu.

Con-

CONCL. III.

Amphitheatrum Castrense.

ID forte fuit qvod à Caligula inchoatum juxta septa Tranqvillus scribit septa Castra intelligens, Unde Castrense dici potuit. Septa tamen proprie tabulata vocabantur qvibus septus erat Campus Martius.

CONCL. IV.

Amphitheatrum Veronense.

VEtustissimum & è qvadrato saxo peramplissimum cujus exterior paries qvatuor Zonis pulcerimis, cinctus totidem columnarum arcuum ac fenestrarum ordinibus qvadruplici ordine Dorico videlicet , Jonico, Corinthio, & composito in admirandum extollebatur altitudinem, qvemadmodum ex dicti parietis qvatuor arcuum parte colligi potest, qvæ sola reliqva manet adhuc erecta , totum enim exteriorem Amphitheatri circulum barbari posterioris seculi sublatis ad alia ædificia marmoribus, utqve ad fundamenta sunt demoliti Tantæ fuit capacitatis, ut supra viginti tria millia hominum per circuitum in eo sedere potuerint,

XXX. CONSIDERATIO.

Perambulat Circos.

TRes Romæ Circi fuere Flaminius à qvo IX. regio nomen habuit, Maximus & Neronis Circus Maximus, primo à Romulo in raptu Sabinarum designatus, ut ait Plutarch. in Romulo, mox à Tarqvinio Prisco rege con-

conditus fuit inter Palatinum & Aventinum montes, ubi inqvit Dionyſ. lib.3. circumqvaqve operta tecto fecit ſedilia, nam antea ſtantes ſpectare ſolebant, furcis tabulata ſuſtinentib. Locos ſpectaculorum in XXX. Curias diſtribuit, ut curialium qviſqve ſuo loco ſpectaturus ſederet, qvod opus & ipſum procedente tempore annumerandum erat inter totius orbis pulcerrima Longitudo enim ejus eſt trium ſtadiorum cum dimidio, latitudo qvatuor jugerum. A duob. majorib. laterib. & uno minore cingitur Euripo, qvi aqvas recipiat decempedali profunditate ſimul & latitudine. Poſt Euripum extructæ ſunt triporticus, imæ habent lapidea paulum ſandentia, ſicut in theatris ſedilia, ſuper duplici contignatione ſunt lignea. Duas majores porticus tertia minor conjungit tranſverſum lunata ſpecie oppoſita, ut ex tribus una conficiatur amphitheatralis octo ſtadiorum amplitudine capax 40. millium hominum. Reliqvum eminoribus latus qvod ſubdivale eſt, habet fornicatos carceres unde eqvi emittantur, omnes uno clauſos repagulo. Externe ambit circum ſimplex porticus habens officinas, & ſuperne collas, per qvas ſpectatores intrant & aſcendunt per officinas ſingulas, ut nulla confuſio exoriatur inter tot millia, tum venientia tum diſcedentia. Ita Circum Dionyſ. deſcribit Plinius verò à C. Julio. Cæſ. Circum maximum factum fuiſſe ſcribit, qvod intelligendum eſt inſtau-

ſtauratum. Circum maximum inqvit à Cæſare Dictatore extructum longitudine ſtadiorum trium, latitudine unius, ſed cum ædificiis jugerum qvaternorum ad ſedem CCLX. millium inter magna opera dicimus.

Tertius fuit Circus in VI. regione ad templum Floræ Cai, & Neronis dictus, in qvo tertius erat Obeliſcus, de qvo Plinius lib. 36. cap. 11. Circus maximus, qvi caput loca qvadringenta octoginta qvinqve millia. Plinius CCLX. millia. Victor CCC XXCV. Dionyſ. dicit CL. millium hominum, ſed poſtea ampliatum fuit. Continet XII. portas. Victor XII. Carceres, Caſſiodorus verò ait XII. portas fuiſſe inſtar XII. Signorum Cœleſtium, & XII. menſium. Biſſena inqvit Oſtia ad XII. ſigna poſuerunt, ut qvaſi per XII. ſigna digrediens annus integer ſignaretur. Biga qvaſi Lunæ, qvadriga qvaſi ſolis imitatione reperta eſt, & infra VII. metis omne certamen peragitur in ſimilitudinem hebdomadis reciprocæ, Obeliſcorum qvoqve prolixitates ad cœli altitudinem ſublevantur, ſed potior ſoli inferior Lunæ dicatus eſt. Hæc Caſſiodorus lib. var. ad Fauſt. Epiſt 51. qvi plura ad circum pertinentia recitat, multa à Tertulliano de ſpectac. c. 6. De arte Circi mutuatus.

XXXI.

XXXI. CONSIDERATIO.

Deducit Aqva ductus.

ERant illi ex firmis lateribus constructi Canales. Tribus enim modis aqva in urbem ducebatur fistulis plumbeis, aut tabulis fictilibus vel structilibus canalibus qvæ formæ appellantur, ut tradit Vitruvius lib. 8. c. 7. Addit Palladius lib. 9. cap. 1. canales ligneos. Forma igitur erat meatus structilis, seu ex latericio opere fabricatus, per qvem aqva ducebatur. L. 1. c, de aqvæduct. Hæc olim præaltis fornicibus formam sustinentibus utrinqve muro inclusa per colles Romanos discurrebat, cujus etiam nunc veteres extant reliqviæ. Viginti verò qvatuor aqvæ Romam deductæ à P. Victore nominantur, sed ob hostium incursiones & bella aliqvarum meatibus interclusis XIX. tantum in descriptione urbis ante Notitiam reperiuntur. Itaqve magna aqvarum copia Romam per aqvæductus derivata, deinde in lacus thermas & privatorum ædes divisa magistratum creari oportuit, qvi sartas integrasqve formas esse curaret, ne aqva exiret, sed pura salubrisqve curreret & ad natas formis arbores, ædificia corrumpentes exscindi juberet, & hic magistratus vocabatur Comes Formarum, ut videre est ap. Gvid. Pancirol. in Notiti. Imper. Occident. c. 7. Vehebantur autem qvotannis tria millia vehum calcis Romam qvorum 1500. erant pro formis aqvæductuum restituendis, aliæ pro sacris tectis ha-

habendis. Valentinianus A. ad Volusianum urbis Vicarium in L. 3. C. de calc. coctor. De calce locutus, non amplus inqvit, qvam terna millia calcis minoris vehæ annuæ postulentur. Hujus autem vehationis ratio ita fit partita, ut mille qvingenta onera formis alia sartis tecti annua deputentur. Hæc ille, qvi onus minorem veham appellat, eratqve certam librarum pondus, veluti qvod pluribus in locis apud Italos XXV. libris constat.

CONCL. I.

Fuere autem Romam deductæ aqvæ hæ numero XXIV. qvas P. Victor recenset: Appia, Martia, Virgo, Claudia, Herculea alias Herculeana, Tepula, Damnata, Trajana, Amnia alias Anna. Alsia seu Halsietina, aut Halsientina, qvæ & Augusta dicitur. Cærulea, Julia, Algentiana, Cimina, Sabatina, Aurelia, Septimiana, Severina, Antoniana, Alexandrina, Anien nova, Anien vetus, Albudina, Crabra. Qvæ ferè omnes ab earum auctoribus & ductoribus nomen habent. Justiniano Imperante XIV. Aqvæductus urbem ingrediebantur. Procopius in Princ. de bello Gothic. Romæ inqvit aqvæductus decem & qvatuor numero sunt, octo ex latere per priscos homines illos ædificari & latitudine ac simul profunditate, ut eqvester vir aliqvis ipso cum eqvo per eos supernè evadere liberius qveat. Hactenus Procop. Inter has currit aqva virgo sub delectatio-

ne

ne purisſima, qvæ ideò ſic appellata creditur qvod nullis ſordibus polluatur. Nam cum aliæ, pluviarum nimietate terrena commixtione violentur, hæc aërem perpetuo ſerenum purisſimè labens, unda metitur.

XXXII. CONSIDERATIO.

Illuſtrat Fora.

ROmæ qvatuordecim erant fora, in iis, præcipua & celebria magis.

CONCLUS. I.

Forum Trajani.

FUit inter Nervæ, Capitolium & collem Qvirinalem cujus Architectum Apollodorum fuiſſe his verbis oſtendit Dionyſ. Hadrianus architectum Apollodorum qvi Trajani forum Mejodeum & Gymnaſium illo jubente fabricaverat, primum urbe expulit, poſtea interfecit. Hujus autem fori tectum æneum fuiſſe ſcribit Pauſ. Gellius in foro inqvit, Trajani ſimulacra ſunt ſita circumundiqve inaurata eqvorum atqve ſignorum militarium, ſubſcriptumqve eſt ex manubiis.

CONCL. II.

Forum Nervæ.

FUit poſt ædem nunc S. Adriani in tribus foris in medio cujus columna ænea ingentis magnitudinis tectum ex laminis Aurichalci extructum ſuſtinebat, intrinſecus vero lumen erat ambiguum. Auth. Pauſ. Hoc forum jam antea

inchoaverat Domitianus, fuiſſe autem variis columnis & ſtatuis exornatum teſtatur Spartianus de Alexandro Severo, loqvens his verbis Statuas jocoſas vel eqveſtres divis Impp. in foro Nervæ, qvod nunc Tranſitorium dicitur locabat, omnibus cum titulis & columnis æreis, qvæ geſtorum ordinem continerent.

CONCL. III.

Forum Romanum.

QVod & Latium appellavit Statius à radicibus Capitolii, producebatur ſecundum longitudinem, uſqve ad Eccleſiam S. Mariæ Novæ, ut teſtatur Dionyſ. memorans Valerium in colle imminenti foro demum habuisſe.

CONCLUSIO IV.

Forum Cæſaris.

FUit in eo loco qvi poſt Fauſtinæ templum valdè depreſſus cernitur, de qvo ſic loqvitur Appianus, poſt victoriam contra Pompejum Cæſar atrium templo Veneris circumduxit, qvod Rom. forum eſſe voluit, non rerum qvidem venalium, ſed eorum qvæ ad jura convenirent, in hoc ſtatuas pulcerrimas collocavit inter qvas Loricatam ſibi dicari pasſus eſt, brevi qvidem inqvit Plin. ſpacio forum, ſed inter urbis ornamenta perſpicuum.

Con-

CONCL. V.

Forum Augusti.

BReve qvidem ſicut etiam Cæſaris fuit, qvia ipſe princeps non eſt auſus proximas domos poſſeſſoribus extorqvere, erat tamen multis ſtatuis ornatiſimum. Inerat enim cum Caſtoris & Pollucis cum victoria Alexandri M. Corvini & in ejus casſide pugnacis corvi ſimulacrum Apollinis eburnea, de qva Horat. Sic me ſervavit Apollo, & juvenal. Iurisqve peritus Apollo, fori autem extruendi cauſa fuit hominum, & judiciorum multitudo.

XXXIII. CONSIDERATIO.

Habet Pontes.

SEptem præcipui numerantur Pontes urbis Romæ.

CONCL. I.

Pons Ælius.

AB Ælio Adriano juxta ejus ſepulcrum nunc caſtellum S. Angeli dictum, ædificatus fuit. Spartianus in Hadriano: Fecit inqvit & ſui nominis pontem, & ſepulcrum juxta Tiberim, idem, & Dion, Sepultus eſt ait, juxta flumen ad Pontem Ælium, monumentum fecerat, propterea qvod Mauſolæum plenum erat, in qvo nemo amplius ſepultus eſt.

CONCL. II.

Pons Aurelius.

FActus à M. Aurelio Antonino Philoſopho: de qvo Capitolin' ſcribit, Tiberim ſub M. Au-

relio graviter inundâsse, & multa vexâsse ædificia, qvæ mala Marcus inqvit, temperavit & hac occasione fortè hunc Pontem exstruxit. Addit Victor, alius Vaticanus.

CONCLUS. III.

Pons Molvius.

POstea Milvius est dictus. Hunc Molem appellant Ammianus auctor est à M. Scauro, L. Syllæ privigno in censura factum fuisse. in via Flamina situs est, plus minus duobus millibus passuum ab urbe distans. Forte à milvis eo convolantibus nomen habuit.

COONCL. IV.

Pons Sublicius.

HUnc Pontem ad janiculum montem in adversam Tiberis ripam tendentem Ancus Marnus rex fecit. Dionysius Sublicium inqvit Pontem mere ligneum cui compingendo nefas est qvicqvam ferri ærisuè addere, ille imposuisse Tiberi dicitur, qvicqve superest & sacer habetur ab omnib. qvod si qva pars ejus sarcienda est, id Pontifices curant, non sine solenni sacrificio. Hæc ille. Ab eo Horatius Cocles hostes repulit, donec cæsus, & qvia clavis confixus ægrè solvi potuit, postea nullo ferro eum transfigi placuit Plin. Romæ inqvit sine ferreo clavo Pontem sublicium fieri postqvam Horatio Coclite defendente ægre revulsus est. Dictus est autem Sublicius Pons qvod ex Ilice

esset

esset compactus vel à Sublicibus, qvæ lignea Volscasunt longæ trabes, hic Pons postea ab Æmilio Prætore, ait Pomponius Lætus factus est lapideus & appellatus Æmilius.

CONCL. V.

Pons Fabricius.

HUnc Pontem L. Fabricius fieri curavit, ut ejus arcubus insculpta ad huc extans indicat inscriptio: L. Fabricius C. F. Cur. Faciundum curavit, & ab alio latere L. Fabr. & sub fornice fenestræ Idem procuravit, ab alia parte arcuum legitur. Q. Lepidus M. F. M. Tollius, M. E. Coss. S. C. probaverunt. Hic Pons conjungebat insulam Tiberis continenti, de qvo ita Horat. Atqve à Fabricio non tristem Ponte reverti. Hodie Pons Qvatuor capitum dicitur, à qvatuor Iani vel Termini qvadrifrontibus simulacris in aditu Pontis à sinistra collocatis. Marlian.

CONCL. VI.

Pons Cestius.

A C. Cestio Gallo ejus conditore sic dictus qvem cum M. Servilio Rufo Honiano Coss. fuisse Plinius libr. 10 c. 43. & Tacitus libr. 5. annal. scribunt, id fuit sub Tiberio anno humanæ salut. XXXVI. Nunc S. Bartholomæi pontem vocari Marlianus scribit, qvem sub nomine Gratiani instauratum inscriptio ibi in tabula marmorea indicat.

CONCL. VII.

Pons Probi.

IMp. ſcilicet qvem multos Pontes extruxisſe Vopiſcus memorat

Et hi ſunt pontes urbis Romæ, de qvib. Fr. Albertinus in ſuo opere de mirabilibus Romæ chart. 7. & 56.

CONCL. VIII.

Pons Nitocris.

LEgitur apud Herodotum & Curtium, qvod Nitocris Aſſyriorum regina, qvæ poſt Semiramidem floruit, Eufratem fluvium, qvi Mediam, qviqve Babyloniam rectus præterfluebat, fecit tortuoſum, ſupraqve Pontem erexit trium ſtadiorum difficillimum factu propter paludes qvæ urbem ambiunt.

CONCL. IX.

Pons Trajani.

TRajanus lapideum Pontem fecit in Danubio in qvo viginti ex qvadrato lapide erant pilæ qvarum alitudo centum qvinqvaginta pedum præter fundamenta extabat, latitudo 60. pedes continebat, diſtabant inter ſe 170. pedibus fornicib. vero coniungebantur, qvum tamen fluvius ille ſit concitatus ripa longius ſubmoveat, & ubi anguſtior eſt ibid. ſit ferox & verticoſus, Hunc tamen poſtea ſeu livore maligno ſeu alia de cauſa dirupit Adrian. ut dicit Dion. Casſius.

CONCL. X.

Pontes Rheni.

QVamplures fuere Pontes Rheni, ut ſupra de Rheno dictum eſt, Cæſar unum mira celeritate decem diebus abſoluit, ut ipſemet refert in ſuis commentar. de bello Gallic. lib. 4.

Carolus M. Pontem opus egregium qvingentorum latitudinis ap. Moguntiam extruxit.

CONCL. XI.

Pons Argentinæ.

Ligneus, hoc ſeculo celebris eſt, & mirabilis.

CONCL. XII.

Pons de Rivo alto.

VEnetiis ad rivum altum pons eſt omnium pulcerrimus, in qvem 80. & plura ſcutatorum millia impenſa fuere, ad ejus faſtigium trib. ſcalis elegantisſimis aſcenditur, & harum media gradib. 66. qvælibet vero aliarum 145. teritur.

CONCL. XIII.

Pons Caligulæ.

CAligula per forum Rom. à colle Palatino ad Capitolium Pontem marmoreum duxit, qvo nihil ambitioſius tota urbe. Suſtentabatur n. octuaginta ingentib. columnis candidisſimi marmoris qvarum tres ad hujus totidemqve ad illius montis radices ad huc ſtantes cernuntur.

XXXIV. CONSIDERATIO.

De porticibus.

POrticus perqvam plures fuere Romæ qvas hinc inde in Topographia Romæ recenset Barthor. Marlianus, ideo huc non transporto. Fuere autem

1 Porticus Clivi Capitolini.
2 Porticus Metelli
3 Palatina
4 Concordiæ
5 Constantini
6 Libertatis
7 Q. Catuli
8 Mercurii
9. Panthei.
10 Augusti
11 For. Augusti
12 Antonii Pii
13 Trajani
14 Antonini & Faustinæ
15 Claudiæ
16 Severi
17 Veneris Erycinæ.
18 Liviæ
19 Circi Max.
20 Amphitheatri
21 Neptuni
22 Qvirini
23 Octaviæ
24 Corinthia
25 Pompeia.

Porticus Antonini & Faustinæ pulcherrimæ variisqve marmoribus exstant ap. Divi Laurentii in Miranda Columnæ ingentes cum hujusmodi indice: Divo Antonino & Divæ Faustinæ Ex SC. Fuit autem in via sacrá, in qva via publica domo sita, ubi templum pacis, Cæsarem habitavisse, scribit Svet. qvam domum Augustus à Livia nepte nimis sumtuose ornatam solo æqvari jussit, in cujus area excitata est, deinde Porticus Liviæ, de domo & porticu Ovid. in Fast. sic meminit.

Disce tamen veniens ætas, ubi Livia nunc eſt,
Porticus immenſæ tecta fuere domus.

At de Porticu etiam I. de Arte ita,

Nec tibi vitetur qvæ Priſcis ſparſa libellis
Porticus Autoris Livia nomen habet.

Dion. refert Nervam in Auguſti foro, nunc in Porticu Liviæ pro tribunali litigantes audiviſſe. Claudiam etiam Porticum appellatam accepimus. Mart.

Claudia diffuſas ubi porticus explicat umbras
Ultima pars aulæ deficientis erat.

A Nerone autem everſam ſub nomine priſco Domitianus reſtituit, cujus pars umbraculis unius vitis erat operta. Plin. Una inqvit vitis Romæ in Liviæ porticibus ſubdiales ambulationes umbroſis operculis opacat eademqve duodenis muſti amphoris fœcunda.

Porticus Panthei.

Hæc Porticus pulcherrima & fermè integra adhuc ſtat, cujus tectum æreis ac inauratis trabibus canalium modo compactis ſuſtentatur, rotundis ingentibusqve attollitur columnis: de qva Baptiſta Leo hæc habet verba: Exſtant in hanc uſqve diem ad porticum Agrippæ: Contignationes æneis trabibus pedum XL. opus in qvo neſcias impenſam ne magis an artificis ingenium mirere, præter columnas rotundas habet qvasdam alias qvadratas qvæ dicuntur Anthæ.

XXXV. CONSIDERATIO.

Admiratur Pyramides.

TAm altæ in Ægypto traduntur fuiſſe ut magna omnium admiratio fuerit, qva ratione in tantam altitudinem ſubvecta ſint cementa. Unam ex eis qvæ ex Arabicis lapidibus conſtabat 360. hominum millibus annorum 20. ſpacio conſtructam prodiderunt, & in raphanos allium & cepas qvibus operarii veſcerentur mille octingenta talenta erogata. Neqve aliam ædificandarum pyramidum rationem fuiſſe qvam Regum Ægypti in erogandis pecuniis ſtultam oſtentationem ſive nec pecuniam ſucceſſoribus relinqvendo inſidiandi ibi cauſam præberent. Seu ne plebs eſſet otioſa. Aut ad uſum ſepulcri.

CONCL. I

EArum tres eximiæ magnitudinis, ſed duæ præcipuè inter orbis ſpectacula numerabantur, ſingulæ altitudine ſtadii figura qvadrata & latitudine paulo minore In ſummo erat inſignis & turbinatus lapis, unde per cochleares ſcalas ad regis ſepulcrum ibatur, qvemadmodum Strabo Diodorus & alii tradunt.

CONCL. II.

OMnium minimam fecit Rhodope meretricula Æſopi conſerva, divitiis illis qvas meretrici qvęſtu ſibi comparaverat. Scribit Herodotus in Euterpe Cleopen Ægypti regem feciſſe pyramidem ex Arabicis lapidibus cujus longitudo ęrat qvinqve ſtadiorum, latitudo

tudo decem paſſuum, altitudo octo paſſuum, in qva decem annos fuiſſe conſumtos memorat.

CONCL. III

FEcit & aliam 20. annis abſolutam in qva tantum profudit pecuniæ ut nimio ſumtu attritus filiam, qvam habebat formoſisſimam coactus ſit proſtituere. Ea eſt in qva 180, talenta in Cepis & raphanis erogata fuere.

CONCL. IV.

Pyramis Ceſtii.

ROmæ exſtat adhuc ex omnibus una apud portam Oſtienſem mœnibus urbis incluſa, qvæ fuit ſepulcrum C. Ceſtii ſeptem viri Epulonum, qvemadmodum hujuſmodi probat index.

C: CESTIUS. L. F. POB. EPULO PR. TR. PL. VII. VIR EPULONUM.

Inferius vero litteræ minores leguntur hæ,

OPUS ABSOLUTUM EX TESTAMENTO DIEB. CCCXXX Arbitratu. Ponti. P. F. Clamelæ *H*AEREDIS ET PONTHI. L.

XXVI. CONSIDERATIO.

Extruit Obeliſcos.

VOcantur ſtructuræ minores Pyramidibus deorſum verſum ſpecie qvadrata in anguſtum verticem deſinentes & paulatim graciſceſcentes.

Con-

CONCL. I.

Obelisci Ægypti.

Ægypti reges qvatuor fecerunt Obeliscos 480. cubitorum longitudine. Ramises Rex Ægypti cujus ætate captum est Ilium Obeliscum fecit 40 cubitorum & alium longitudine undecenis pedibus per latera cubitis qvatuor, qvem fecisse dicuntur viginti hominum millia, cujus operis admiratione factum est, ut cum Syenem oppidum expugnaret Cambyses Rex ventumqve esset incendio ad crepidines Obelisci, extingvi ignem juberet molis reverentia Obeliscum posuit Plinius 48. cubitorum, Ptolomæus unum Alexandriæ 80. cubitorum.

CONCL. II.

Obeliscus Vaticani.

Romæ Obeliscus secus Ecclesiam Apostolorum in via olim Triumphali solus ex majoribus omnibus nunc est erectus his titulis inscriptus.

Divo Cæsari, Divi Julii F. Augusto, Ti. Cæsari
Divi AUGUSTI F. AUGUSTO sacrum.

Ab altero vero latere.

Divo Cæsari D. Julii F. Augusto. Ti. Cæsari.
Divi AUGUSTI F. AUGUSTO sacrum.

In cujus vertice pila aurata posita est. De hoc autem Obelisco Plinius ita tradit: Tertius est in Vaticano Caji & Neronis principum circo, ex omnibus unus omnino fractus in molitudine ejus, qvem fecerat Sostridis filius Nuncoreus, & post cœcitatem visu reddito Soli sacravit

cravit, altitudine cubitorum centum, Sixtus V. P. M. anno 1586. è priori illa sua sede ingenti sumtu transtulit ingenio & opera Dominici Fontanii Architecti è pago mili Agri Novocomensis, imposita cruce magna poprii freqventia & devotione.

CONCL. III.

Obeliscus S. Mariæ Majoris.

OBeliscus qvi ætate nostra anno 1587. erectus est à Sixto V. Pont. Max. ante basilicam S. Mariæ Majoris in Exqviliis, diu jacuit ante fores Ecclesiæ S. Rocchi, Unus, enim est è duobus, qvi erecti erant in Mausolæo Augusti prope eandem Ecclesiam multasqve erat fractus in partes, cui super impositum est sacrosſ. Crucis signum una cum stigmatib. seu insigniis ipsius Pontificis tribus nempe montib. & stella. Latera ejus talib. ad memoriam inscriptionibus sunt obsignata: In latere Orientali.

Christus per invictam crucem populo pacem præbeat. Qvi Augusti pace in præsepi nasci voluit.

In Latere Meridionali,

Sixtus V. Pont Max. Obeliscum Ægypto advectum Augusto in ejus Mausolæo dicatum, eversum deinde ac in plures confractum partes in via ad S. Rochum jacentem in pristinam faciem restitutum salutiferæ Cruci felicius hic erigi jussit, Anno D.M.D.LXXXVII. Pont. III

In Latere Occidentali.

CHRI-

CHRISTUM Dominum, qvem Augustus De Virgine nasciturum vivens adoravit seqve deinceps Dominum dici vetuit, ADORO,

In Latere Septentrionali.

CHRISTI Dei in Æternum viventis Cunabula Lætissimè colo. Qvi mortui sepulchro Augusti Tristis serviebam.

CONCL. IV.

Obeliscus S. Joan. Lateranensis.

HUnc etiam Sixtus V. anno MDLXXXVII è Circi Maxima cavea erutum pedum 112. longitudinis in Lateranense forum ingenti sumta transtulit & erexit.

CONCL V.

Obeliscus S. Crucis in Hierusalem.

ET hic ex prædicto loco Circi Maximi ejusdem Pont. M. Sixti V. jussu in sumtu erutus, longitudinis pedum LXXXII. soli ab Augusto olim dicatus ante basilicam S. crucis in Hierusalem qvæ dicitur in agro sessoriano eodem architecto Dominico Fontanio erectus est, ejus inscriptio est:

Imp. Cæsar. Divi F. Augustus.
Pontifex Maximus.
Imp. XII, Cos. XI. Trib. pot. XIV. Ægypto in potestatem populi Romani Redacta Soli Donum dedit.

XXXVII. CONSIDERATIO.

Enumerat Arcus Triumphales.

ET in honorem illorum erigebantur, qvi pro-

provinciis aut exteris nationibus debellatis. Rebus pop. Rom feliciter gestis triumphum meriti essent, à qvo triumphales denominantur, in qvibus simulacra oppidorum, fluviorum, navium illorum qvos devicerat, in rei perpetuam memoriam, incidebant, qvemadmodum in his qvi adhuc Romæ stant cernere licet. Sed arcus triumphales ante Impp. tempora excitavit nemo ut qvorundam est opinio, neqve antiqviorem qvàm Titi arcum in urbe videmus. Plinius hunc morem suo tempore cepisse narrat, prius enim triumphales statuas vel trophæa ponere solebant.

CONCL. I.

ROmæ arcus triumphales plures fuere. Ex his verò Constantini ad angulum montis Palatini juxta amphitheatrum triumphalibus ornamentis conspicuus est, superato Menzentio ap. Milvium Pontem à Constantino ipso positus cum hoc indice.

Imp. Cæs. Fl. Constantino Maximo P. F. Augusto S. P. Q. R. Qvod instinctu Divinitatis, mentis magnitudine, cum exercitu suo, tam de Tyranno, qvam de omni ejus factione uno tempore justis Remp. altus est armis Arcum Triumphis insignem Dicavit.

In majori autem fornice parteqve interiori à dextris & sinistris legitur hinc : LIBERATORI URBIS. Illinc Fundatori Qvi-

Qvietis. Superius extra ſic Votis X. Votis XX.

CONCLUS II.

Arcus Titi Veſpaſiani.

Romæ in via ſacra ſtat adhuc arcus marmoreus Veſpaſiani Imp omnium antiqvisſimus nunc exiſtentium, ſed mutilatus in qvo legitur Titulus talis.

Senatus populusq; Romanus Divo Tito, Divi Veſpaſiani F. Veſpaſiano Auguſto.

Extructus autem fuit devictis Hieroſolymis in qvo ſculptæ ſunt victoriæ cum arca fœderis præcedentibus XII. faſcibus conſularibus ab altero fronte ſpectantur triumphi ſpolia, aureum candelabrum ſeptem habens ramos, in qvibus erant ſeptem lucernæ erraticas ſignificantes ſtellas duæqve tabellæ legis Moſaicæ. Vaſa templi menſa aurea ponderis talenti magni, de qvibus plura Joſephus.

CONCL. III.

Arcus Triumphalis Septimii.

Ad radices rupis Tarpeiæ ſtat adhuc arcus L. Septimii omnium pulcerrimus & parum mutilatus, in utroqve frontiſpicio cujus inciſæ alatæ victoriæ cum trophæis & terreſtris navalisqve belli ſimulacra cum hac inſcriptione:

Imp. Cæſ.L. Septimio.M. Fil. *S*evero Pio Pertinaci *A*ug. Patri patriæ, Parthico Arabico & Parthico Adiabenico *P*ontif. Maximo Tribunic. poteſt.XI.Imp.XI- Coſ. III. Procoſ. Et. Imp. Cæſ.M.Aurelio *L*. Fil. Antonino Aug. *P*io fe-

felici Tribunic. poteſt. VI. Coſ. Procoſ P.P. Optimis, Fortisſimisqve principib. ob Remp. reſtitutum imperiumqve Pop. Romani propagatum inſignibus virtutibus eorum Domi Forisqve.

S.P.Q.R.

CONCL. IV.

Arcus Galieni.

APud ædem S. Viti eſt arcus Triumphalis Galieni Imp. ex Tiburtino lapide inqvo legitur tantum hic titulus.

Galieno Clementisſimo Principi, Cujus invicta virtus ſola pietate ſuperata eſt M. Aurelius victor dedicatisſimus numini majeſtatiqve ejus.

CONCL. V.

Arcus Theodoſii, Valentiniani & Gratiani.

QVidam ajunt in via Triumphali arcum Theod. Valent. & Gratian. Imp. fuiſſe, verum nihil certi habetur, niſi qvod fragmenta qvædam ſuperioribus annis apud ædem S. Celſi inventa dicuntur horum principum, de arcu indicium facientia. Aliqvi dicunt in eo arcu titulum inſculptum eſſe hujusmodi:

Impp. Cæſ. D.D.D. N.N.N. Gratianus. Valentinianus & Theodoſius Pii felices & ſemp. Auggg. Arcum ad concludendum opus omne porticum maximarum æterni nominis ſui pecunia propria fieri ornariqve juſſerunt,

CONCL. VI.

Arcus Camilli.

VErſus Pantheona conſpicitur rudis nullisqve ornamentis inſignis arcus,ut videtur antiqviſſimus qvem Camillianum tanqvam Camillo erectum nunc vocitant.

CONCL. VII.

Arcus Gordiani.

IN ea viâ qvæ ad portam inter aggeres ducebat,in ipſis Tarqvinii aggeribus Gordiani, arcus ſteterat marmoreis ornamentis, triumphis inſculptis conſpicuus, cujus marmora ad Palatii S. Laurentii in Damaſo ſubſtructionem fuere translata.

CONCL. VIII.

Arcus Coclitis.

ARcus Horatii Coclitis ad primas Aventini radices inter ipſum ſcilicet montem & Tiberim fuere,ubi paucos ante annos eruta ſaxa hujusmodi inſcriptionem habebant.

P. Lentutulus C. N. F. T. Qvintius Criſpinus, Valerianus Coſſ. ex S. C. faciendum curavere iidemqve comprobavere.

CONCL. IX.

Arcus Fabianus.

IN via ſacra ſtetit juxta regiam à Fabio Cenſore qvi devicit Allobroges excitatus,ut ſcribit Aſc. in qvo ſculpta fuerunt ejus ſcuta & ſigna victoriæ.

Con-

CONCL. X.

Arcus Trajani.

FOrum Trajani exornavit etiam Arcus Triumphalis ejusdem principis, de qvo Dionys. sic loqvitur: Triumphalis tunc arcus, præter alia multa qvæ in honorem ejus, & decreta facta fuerant in illius foro substructus est.

CONCLUS XI.

Arcus Domitiani.

TRiumphalis arcus mutilatus fuisqve spoliatis ornamentis & titulis inter S. Sylvestri & Laurentii in Lucina sacras ædes viam amplexus Flaminiam Domitiano Imp. adjudicatur, argumento qvod in ipso cernitur talis, qvalis à Svet. describitur, videlicet somnians se à Minerva destitutum, & illam excedere sacrario, negantemqve se ultra eum tueri posse, qvod armata esset à Jove.

XXXVIII. CONSIDERATIO.

Erigit Columnas.

CONCLUS. I.

AUgustus victor totius Ægypti, qvam Cæsar pro parte superavit, multa de navali certamine sustulit rostra ærea; qvibus conflatis qvatuor effecit columnas, qvæ postea à Domitiano in Capitolio sunt positæ, qvas hodieqve inqvit Ser. conspicimus, nunc verò in Latera-

nensi Ecclesia sunt sitæ, de his intellexit Virg. cum dixit:

Surgentes ære columnæ.

CONCL. II.

Columna Trajani.

IN medio foro Trajani Romæ stat adhuc Cochlidis ejus columna, in qva circum qvaqve rerum gestarum simulacra cælata visuntur, & inprimis Dacicum bellum. Intus vero gradus centum octuaginta qvinqve in ejus fastigium præbent ascensum, habet autem fenestellas qvadraginta qvinqve. Altitudinem verò pedum centum viginti octo, vel ut scribit Eutropius, centum qvadraginta. In summo Trajani ossa aurea pila condita fuere, qvanqvam Dion. ait, Hadrianum in columna ossa Trajani condidisse, cujus hæc sunt verba, ingentem columnam in foro statuit, sive ut ea pro sepulcro esset, sive in ostentationem ejus operis, qvod ille circa forum egit. Clivus surgebat qvem effossa qvoqvo versus terra ita complanavit, ut undiqve columna conspiceretur, forumqve deinde in areæ modum æqvatum mansit. Hanc autem columnam Trojano bellum gerenti apud Parthos Senatum dedicavisse ipsumqve principem eam non vidisse ferunt nam è Persis rediens ap. Seleuciam Syriæ urbem fluxu sangvinis decessit.

Con-

CONCL. III.

Columna Cæsaris.

POp. Rom. in Cæsaris gratiam columnam marmoream lapidis Numidiæ XX. pedum cum Titulo hoc: *P*atri *P*atriæ in foro statuit, de qva *L*actantius meminit, & *C*ic. in hæc verba. Talis animadversio fuit Dolabellæ, cum in audaces sceleratosqve servos, tum in impuros & nefarios liberos talisqve eversio illius execratæ columnæ, ut mirum mihi videatur, tam' valdè reliqvum tempus ab illo uno die dissensisse.

CONCLUS. IV.

Columna Antonini.

QVam instar Trajani ipse sibi erexit altitudinis pedum CLXXVI. cum interiore cochlea & gradib. CVI. ac fenestellis LVI. incendio parum deformata, circum qvaqve res à se gestæ incisæ nunc spectantur. In vertice verò ejus olim simulacrum nudum, qvale in ipsius numismatibus cernere licet.

CONCL. V.

Columna Bellica.

ANte Bellonæ existentis Auth. Sext. Pomp. ante portam carmentalem fuerat columna Marmorea index belli inferendi. Bellica denominata, à qva Romani in bellum profecturi hastam in eam partem versus mittebant, in qvam ituri erant, qvia laboriosum admodum videbatur propagato imperio ad hostium fi-

nes ex instituto pervenire, in eorumqve agros jacere. Hanc columnam Blondus juxta circum maximum perperam statuit, deceptus illis Ovidii carminibus.

Prospcit à tergo summum brevis area circum
Est ibi non parva parva columna notæ
Hinc solet hasta manu belli prænuncia mitti
In regem & gentem cum placet arma capi.

CONCL. VI.

Columna Lactaria.

Romæ in foro holitorio ut asserit Sex. Pomp. stetit columna Lactaria, ad qvam infantes lacte alendi deferebantur.

CONCL. VII.

Columna Milliaria.

Romæ erat in foro posita ab Augusto, à qvâ omnes viæ Italiæ initium capiebant & finem. Dion. 54. hodie conspicitur ad scalas Capitolii cum hac inscript.

Imp. Cæsar Vespasianus. Aug. Pont. Max. Trib. potestat. VII. Imp. XVII. Designa. VIII.

Imp. Nerva Cæsar Aug. Pontifex Maximus Tribunitia potestate Cos. III. Pater Patriæ refecit.

Imp. Cæs. Divi Trajani F. Divi Nervæ Nepoti Trajano Adriano Aug. Pont. Maxim. Trib. potest. II. conf. II. Viatori, qvi ipsi etiam Cos. & Pu. cæterisqve magistratib. apparent E.T.H.V.

S.P

S. P. Q. R.

Columnam milliariam primi ab urbe lapidis judicem ab Imp. Vespasiano & Nerva restitutam de ruinis suburbanis viæ Appiæ in Capitolium transtulit auctoribus Vicentio Capocio Coss. Horatio Mutio prior.

CONCL. VIII.

Columna Rostrata.

ROmæ in Palatio Conservatorum præter alia multa spectatu digna, ad gradus monumentum longè antiqvissimum columna Rostrata est, cum sua inscriptione prisci illius seculi C. Duilii cui de Cartaginensibus bello Punico victori posita est, mutilaqve est: cujus meminit & Fabius Qvintilianus & Servius, explanavitqve Doctiss. Lipsius in antiqvis lection. & singulari libello Petrus Ciacconius Toletanus homo doctiss. qvi Romæ in Vaticano Typographeio excusus legitur.

CONCL. IX.

Columna Florentina.

PRopè S. Trinitatis ædem ingens & sublimis columna erecta, cujus in fastigio extat justitia. Eam erexit Cosmus Magnus Dux, cui per urbem deambulanti illic de victoria renunciatum fuit qvam Malignam Marchio in Senarum finibus anno 1555. contra Petrum Strozium obtinuit.

CONCLUS. X.

Columna Veneta.

IN capite Fori Venetiis, qvod littus maris ſpectat monſtravit ex ſolido marmore phrygio binæ columnæ per ingentes ex Conſtantinopoli advectæ è mari venientibus nautis à longè conſpicuæ in qvarum una D. Marci Venetorum, alati nempe Leonis, inſignia inaurata viſuntur. In altera D. Theodori ſtatua inaurata poſita eſt. In ipſo intercolumnio de noxiis condemnatis ſupplicia ſumuntur. Allatas ſimul tres ejusdem magnitudinis ferunt onerariis navibus è Græcia Sebaſtiano Ganio Duce ante annos qvadringentos, earumqve unam vi ponderis, dum è navibus extraherentur in terram, ruptis architectorum inſtrumentis in aqvas decidiſſe & in fundo adhuc cerni poſſe tradunt, alias duas ad caput fori Marciani ubi nunc conſpiciuntur, modico interuallo erectas fuiſſe ingenio Nicolai Beratterii, Longobardi Architecti, validis rudentibus novis è ſublimi demiſſis & aqva madefactis. Qvidum ſeſe contraherent, & pondus vi ſua ſenſim ſublevarent alios ſiccos breviore ſemper ſpacio ſubjectos & aqvis item irrigatos fuiſſe: eoqve modo paucis diebus opus continuando moles illas ipſum erexiſſe dicunt. Addunt non aliud architectum induſtriæ præmium poſtulaſſe à Republica qvam ut aleatoribus in eo intercolumnio ludendi impune libertas ſemper eſſet.

XXXIX. Con-

XXXIX. CONSIDERATIO.

De Statuis

N'nus secundus rex Assyriorum primus fuit inventor idololatriæ

CONCL. I.

EX eo qvod patri suo Belo mortuo imaginem in lenimentum doloris sui fecit concedens omnib. reis qvi ad eam confugerant, securitatem & sic adorari cepit, cujus exemplo, & alii hujusmodi homines imagines fecerunt mortuis, qvas dæmones intrantes dabant responsa. Divinos obtinuerunt honores. Hujus tandem idolum Daniel Propheta cum in Babyloniam captivus adductus fuisset cum ejus templo subvertit.

CONCLUS. II.

Statua Nabuchodonosor.

N Abuchodonosor statuam auream LX. cubitorum altitudine in campo statuit & convocavit omnes principes regionum ad dedicationem statuæ & præco clamabat. Adorate statuam, qvi non adoraverit eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentem, & adoraveruut omnes præter socios Danielis & accusati sunt ap. regem & succensa est fornax septuplum, & missi sunt vincti cum vestibus in medium fornacis. Viros autem ilios qvi miserant eos inierfecit flamma ignis. Angelus autem induxit qvasi ventum roris flantem refrigerantem eos. Tunc illi tres uno ore benedicebant Deum.

CONCLUS. III.

Statua Augusti.

IN Mausolæi Augusti, qvod ipse in Valle Martia non suum modo, sed omnium Impp. & cognatorum sepulcrum extruxit, summo positum erat Cæs. Augusti simulacrum ex ære fabricatum, nunc lapidea statua, immensa moles, C Augusti ibi conspicitur, ut ego vidi & notavi, forte an illa, qvæ olim in Pronæo pantheonis stetit.

CONCL. IV.

Colossus Solis.

RHodi qvem fecerat Lindus Lysippi discipulus, Qvi LXX. cubitorum altitudinis fuit, qvi post qvinqvagesimum sextum annum terræmotu postratus fuit, atqve de septem mirabilibus mundi unum fuit.

CONCL. V.

Colossus Apollinis.

ROmæ in Capitolio fuit Colossus Apollinis XXX. cubitorum, centum & qvadraginta talentis factus ex Apollonia Ponti à Lucullo in urbem translatus.

CONCL. VI.

Colossus Neronis.

EXtat adhuc ingens æneum caput, qvod ut testatur Lampridius, demptum Colosso Neronis sive imposuit statuæ, Commodus Imp. cujus Colossus ex marmore fractus cernitur in ædib. conservatorum

Con-

CONCL. VII.

Simulacrum Marforii.

AModo in Capitolio jacet marmoreum ingens Simulacrum Marforium vocitatum, qvem Pistorium Deum sive Panarium jovem, qvod tumores instar panum circumqvaqve promineant, multi esse affirmant. Nam ut auctor estLactantius, eo tempore qvo Romani obsessi in Capitolio erant Iuppiter per qvietem admonuit, ex omni frumento, qvod haberent, panem facerent, in hostiumqve castra jactarent, eoqve facto soluta est obsidio, desperantibus Gallis inopia subigi posse Romanos, qvarejovi Pistori non solum Aram, verum etiam statuam in perpetuam rei memoriam posuerunt, At cum in scopulo simulacrum hoc sit collocatum Rheni Germaniæ fluminis qvidam esse tenent, ut vult Fulvius est Nar fluvius, verius fuisse simulacrum Rheni, qvod procubuit ad pedes eqvi ænei Domitiani, de qvo Papinius,

Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni.

CONCL. VIII.

Statua Herculis Ænea.

INfantis Herculis serpentes occidentis duos qvam mira antiqva simulacra Romæ visuntur, alterum æneum, alterum marmoreum. de qvib. Marlianus in Topographia Romæ libr. 7. in Belvedere hortis Pontificis in Vaticano est Hercules licet truncus, usqve eo tamen à Micha-

gnorum, qvæ Romæ ſunt abſolutisſimum eſſe dixerit Artificis Apollonii nomen hic inſcriptum, ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΝΕϹΤΟΡΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ.

CONCLUS. IX.

Statua Laocoontis.

ANno M. D. VI. Felix civis Romanus in vinea ſua Laocoontis ſtatuam reperit ea ſpecie, qvalis à Poeta deſcribitur, de qva Plin. ſic meminit. Laocoon in Titi Imp. domo opus omnibus & picturæ & ſtatuariæ artis præponendum, ex uno lapide eum & liberos draconumqve mirabiles nexus de conſilii ſententia fecere ſummi artifices Ageſander & Polydorus & Anthenodorus Rhodii. Nunc autem viſitur in Vaticano.

CONCL. X

Statua Cleopatræ.

IBidem viſitur & Cleopatræ morientis, & exangvi ſimilis ſtatua, ea arte perfecta, ut per veſtes tenuisſimas è marmore factas corporis forma numeris omnibus abſoluta appareat.

CONCL. XI.

Simulacrum Pasqvini.

IN extremo Parionis vico eſt ſtatua Pasqvini in urbe decantata, famoſis olim onuſta libellis & toto orbe nota, vide qvæ Antonius Tibaldeus Ferrarienſis, de hac narrat ap. Fr. Scott. & Hieron. ex Capugnano in urbis Rom. admirandum itin. die 2. plures in hoc conve-

veniunt gladiatoris esse simulacrum, nisi malueris Martis aut militis cujuspiam, eô enim gestu corporis manet qvasi ferire volentis, ac subter se marmoreum aliud mutilatum truncum seu fragmentum habet alterius simulacri. Ferunt nonnulli hoc esse simulacrum, unius ex ducibus præcipuis Alexandri Macedonum regis, qvi etiam Pasqvini nomine vocitatus sit, qvod innuit auctor qvidam: qvi vetusta urbis marmorea & ænea simulacra typis excudit.

CONCL. XII.

Statua Satyri.

IN palatio conservatorum est Satyrus marmoreus caprinis pedibus alligatus arboris trunco.

CONCLUSIO XIII.

Statua Tiberis & Nili.

ROmæ in hortis Pontificis visitur, hodie Nili simulacrum & circumqvaqve animalium genera, in eo flu. nascentium, ac. Tiberis cum pueris urbis conditorib. Lupæ mammam tractantibus.

CONCL. XIV.

SUnt & alia Romæ in Capitolio, in Palatio conservatorum in Palatio Farnesiorum, & per totam urbem multa sane spectatu digna, ut orbis compendium videatur, qvæ omnia nimis longum foret recensere, & qvia sunt impressa huc non transporto.

Con-

CONCL. XV.

Statua Rolandi.

HIc Rolandus Palatinus Comes Caroli M. ex sorore nepos vir præstans fortitudine incomparabilis virtutis ac magnitudinis fuit, cujus fortia facta per universum orbem celebrantur. Hic cum in prælio contra Vascones siti periisset. Carolus ipsi Epitaphium fecit sic.

Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinqvis,
Te tenet aula nitens nos lacrimosa dies
Sed qvi lustra geris octo & binos super annos
Ereptus terris justus ad astra redis.

Et in qvibusdam civitatibus Statuam ipsius in memoriam erexit, ut Brandeburgi in Marchia in foro, & vidi ego Bremæ in Saxonia Delitiis Magdeburgi ibid. Rolandum vix Vetustate Agnitum Coss. D. Joannes Schyringus Artium & V.I.D. &c. & D. Haine Altman S.P.Q.M. expensis renovari ac restaurari curaverunt anno Domini 1539

Stabat & Halæ apud Saxones Rolandi simulacrum Imp. Libertatis signum in foro, sed tecto nunc ac cancellis apparet inclusum, causa amissæ hujus libertatis erat discordia civium Halensium, Gregor. Gritschius in descript. Salæ de Hala & Magdeb.

XL. CONSIDERATIO.

Enumerat eqvos.

CONCL. I.

ROmæ in foro Trajani erat Eqvus Imp. Trajani inauratus, qvod forum cum Constans

Con-

Constantini filius cerneret, spe talia conficiendi amota Trajani eqvum solum locatum in atrii medio imitari se velle dicebat, cui regalis Ormisda respondit Stabulum prius tale condas. Hujus autem eqvi imago in numismate ejus videtur, cum hoc indice:

S.P.Q.R. Optimo Principi.

CONCL. II.

Eqvi Cæsaris, Constantini, Domitiani.

DEcoravit forum Romanum Eqvus Cæsaris & Constantini, sicut Domitiani, atrium Minervæ, de qvo qvidem eqvo Papinius sic mentionem facit.

Quæ super imposito moles gemmata Colosso,
Stat Latium complexa forum.

CONCL. III.

Eqvus L. Veri.

IN Platea Lateranensi stabat ærea eqvestris statua qvam M. Aurelii Autonini esse multi putant, aliqvi tamen L. Veri non desunt etiam qvi Septimii Severi. Herodianus enim litteris tradidit post adeptum imperium ex somnio qvod viderat, statuam sibi posuisse. Hodie collocata est in area capitolina.

CONCL. IV.

Eqvus Æneus in Pall. Rucelai.

EQvi ænei simulacrum ingens, qvod ad præsens in ædib. Oricellariorum visitur, prope arcum Domitiani; Decem enim cubitorum seu viginti Palmorum altitudinis totidemqve longitudinis exstat, de anno 1563. & 1564. pro Hen-

Henrici II. Galliarum regis memoria & monumento in summitate montis Qvirinalis in ipsis Thermis Constantinianis conflatus est à Daniele Ricciarello Volaterrano, Lutetias Parisiorum asportandus erat, ac in principali illius civitatis foro locandus ob ipsius regis Henrici monumentum, una cum ejus itidem æneo simulacro assidente. Verum interea mortuo Henrico Galliarum rege ac bellis intestinis & tumultib. vexata Gallia mansit idem eqvus Romæ. Ferunt in hoc simulacro ad sex millium & qvingentorum numerum aureorum summã impensum, & qvinq; ac viginti millium pondo constare.

CONCL. V.

Eqvus Phidiæ & Praxitelis.

ROmæ in monte Qvirinali vulgo monte Caballo, extant duo eqvi marmorei egregia opera Phidiæ & Praxitelis, inscriptiones adiicere libuit propter insignem artificum præstantiam.

Phidias nobilis sculptor ad artificii pręstantiam declarandam Alexandri Bucephalum Domantis effigiem è marmore expressit.	Praxiteles sculptor ad Phidię æmulationem, sui monimenta ingenii posteris relinqvere cupiens ejusdẽ Alexandri Bucephaliqve signa felici contentione fecit.

Con.

CONCLUS. VI.

Eqvis Cosmi Medicis.

FLorentiæ in Italia in foro conspicitur Cosmus Medices æneus æneo insidens Caballo ingentis magnitudinis, opus egregium.

CONCL. VII.

Eqvi Veneti.

VEnetiis in Templi D. Marci frontis supercilio supra mediam portam majorem miræ venustatis qvatuor sunt eqvi ex ære Corinthio inaurati unius qvadrigæ justa statura ac magnitudine vivorum eqvorum: eos fuderunt Romani qvo tempore Hiero de Parthis triumphauit, & in ejus arcu posuerunt. Constantinusqve postea Byzantium transtulit. Veneti Byzantio protiti Venetias ad ornatum frontispicii ipsius Templi D. Marci deportârunt.

CONCLUSIO VIII.

Eqvus Bartholomei Coleonii.

VEnetiis pro æde DD. Ioannis & Pauli erecta est celebris Colossea eqvestris inaurata Bartholomei Coleonii militari gloria pernobilis ac Imp. sui temporis primi, qvam Veneti publica impensa meritorum virtutis ac fidei ergo pp.

CONCL. IX.

Eqvus Nicolai Borsi.

FErrariæ ante palatium Nicolaus Borsius, primus Dux Ferrariæ eqvo æneo insidet, ut notavi ego ibi.

CONCL. X.

Eqvestris statua Gattamelatæ.

PAtavii Antenoris in Cæmiterio Templi D, Antonii erecta conspicitur Eqvestris ex ære statua Erasmi de domo Narnia, cognomento Gattamelatæ. Veneti exercitus Imp. à Sen. Ven. excitata Donati Flor. opus.

CONCL. XI.

Eqvus Trojanus.

QVo nimirum astute Ilium captum est satis notus est ap. scriptores ideoqve ad eos remitto, hoc solum attingam qvod viderim Patavii Ligneum eqvum ad instar illius eqvi Trojani confectum in via S. Danielis in arca cujusdam nob.

XLI. CONSIDERATIO.

Artem picturæ.

HUjus artis initia sunt incerta, Græci alii Sicyone alii ap. Corinthios primum inventum fuisse prædicant, hujus inventionem alii adscribunt Philocli Ægyptio, alii Cleanthi Corinthio. Sed primi teste Plinio exercuere Aridices Corinthius & Telephanes Sicyonius sine ullo colore, jam tamen spargentes lineas intus, qvæ magis admonerent qvam ostenderent, ideo & qvos pingerent adscribebant. Cleophanes Corinthius primus invenit eos colorem addere testa trita & jam tum pictura in duo genera discreta est, in linearem videlicet & coloratam, de qva Ludovicus Demontiosius in sua pictura.

So-

Solum hic referam insignes pictores & picturas qvasdam.

CONCL. I.

Zeuxis.

HEracleotes maximus pictor fuit, & inclitus sua ætate, qvi Plinio teste libr.35. nat histor. Penicillum ad magnam gloriam per duxit, opesqve tantas acqvisivit, ut institueret donare opera eo qvod nullo pretio satis digno permutari posse diceret. Pinxit autem, ut idem Plinius ait puerum uvas ferentem ad qvas advolarent aves, processit iratus operi, & dixit Uvas melius pinxi qvam puerum, nam & si hunc consummasset aves ipsæ timuissent, idem etiam secundum Qvintil. umbrarum inventor perhibetur.

CONCL. II.

Parrhasius.

EPhesi natus fuit etiam summus pictor, & cum prædicto Zeuxi in certamen descendit. Et cum Zeuxis detulisset uvas tanto decore pictas, ut aves advolarent ipse linteum avibus pictum detulisse traditur, ita veritatem repræsentans, ut Zeuxis alitum judicium efflagitaret, sed tandem remoto lintheo & ostensa pictura atqve errore intellecto palmam ingenuo pudore concesserit Parrhasio, qvoniam ipse aves fefellisset. Hic primus Symmetriam picturæ dedit, inter alia ejus opera qvā plurima pinxit Archigallum, qvā picturam

amavit Tiberius princeps atqve LX. ſeſtertiis æſtimatam cubiculo ſuo incluſit.

CONCL. III.

Apelles.

ET omnes prius genitos futuroſqve poſtea ſuperavit Apelles. floruit tempore Alexandri cui maximè gratus fuit, unde etiam edicto vetuit ne ab alio pingeretur, pinxit & ipſum Alexandrum M. fulminigerum in templo Dianæ Epheſiæ talentis 20. Venerem Cois inceptam moriens reliqvit imperfectam nec inventus eſt, qvi tam egregio operi ad præſcripta lineamenta ſuccedere vellet. Huc addo nobile illud certamen inter Apellem & Protogenem valde celebrãtum. Tametſi pauci admodum intelligunt, de qvo inter nobiles illos artifices certatum fuerit Qvod certamen ſic à *P*linio deſcribitur, ut illis temporib. vulgatisſimum. *S*citum eſt inqvit inter Protogenem & Apellem qvod accidit. Ille Rhodi vivebat, qvo cum Apelles adnavigaſſet, avidus cognoſcendi opera ejus fama tantum ſibi cogniti, continuo officinam petiit. Aberat ipſe ſed tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ anus una cuſtodiebat. Hæc Protogenem foris eſſe reſpondit, interogavitqve à qvo qvæſitum diceret, Ab hoc inqvit Apelles, abreptoqve penicillo lineam ex colore duxit ſummæ tenuitatis per tabulam. Reverſo *P*rotogeni qvæ geſta erant anus indicavit. Ferunt artificem protinus contemplatum ſubtilitatem

dixisse Apellem venisse, non enim cadere in alium tam absolutum opus, ipsum tunc alio colore tenuiorem in eam in ipsa illa duxisse, præcepisseqve abeuntem, si rediisset ille ostenderet, adjiceretqve hunc esse qvem qværeret, atqve ita evenit Revertitur enim Apelles, sed vinci erubescens tertio colore lineas secuit nullum relinqvens subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus in portum devolavit hospitem qværens: placuitqve sic eam tabulam posteris tradi, omnium qvidem, sed artificum præcipuo miraculo. Addit Plin. consumtam eam constat priore incendio domus Cæsaris, in Palatio avidè ante à nob. spectatam spaciosiore amplitudine nihil aliud continentem qvam lineas visum effugientes, inter egregia multorum opera inani similem & eo ipso allicientem omniqve opere nobiliorem &c. Reprehendit Demo ociosius Plinium præd. loco. Et de Apelle & Parrhasio fit mentio in §. si qvis in aliena. instit. de rer. divis. ubi dicit text. Ridiculum est picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere.

CONCL. VI.

Timanthes Cechicius.

LAudatur prudentia ejus in ea tabula qvam colorem vicit. Nam cum in immolanda Iphigenia tristem Calchanta fecisset, tristiorem Ulyssem & mœstum admodum Menelaum conceptis animo affectibus obvolvendum caput Agamemnonis, ejus patris esse dixit, ut

videlicet cogitandum relinqveret, ſummum illum luctum, qvem *P*enicillo non poſſet imitari.

CONCL. V.

Lucas Evangeliſta.

NAtione Syrus, & hic picturæ artis edoctus fuiſſe perhibetur, & propter converſationem, qvam jugiter cum B. Maria habuit, ut ſcribit Damaſcenus ejus imaginem pluries depinxit. E qvibus nunc Romæ duæ perhibentur una ap S. Mariam de pop. vidi & ego unam Patavii in templo S. Juſtinæ.

CONCL. VI.

Michael Angelus Bonarotus.

IN *P*alatio Pontificis Rom in ſacello Xyſti Dei judicium ſupra altare depictum viſitur cum ſtupore mortalium, etiam ſummorum pictorum, opus eſt magni illius Michaelis Angeli, toto orbe vel illo opere celeberrimi, qvi & vicinum Paulinum ſacellum, ſed longe illo minus depinxit. Certè judicii extremi pictura ſæpius in æs inciſa exemplar ac typus eſt pictorum, hominum ſitu vario mirifice commendatur ac ſymmetria.

CONCL. VII.

Raphael Urbinus.

ROmæ in aula Conſtantiniana eſt pictura ejus Imp. pugna ad Pontem Milvium cum Maxentio partaqve victoria: opus Raphaelis Sanctii Urbinatis, cujus tumulo inſcriptum fuit, illo ſoſpite naturam nec vinci nec mori potuis-

tuisse: Est & opus ejus egregium in summo altari S. Petri in Monte Aureo, pictura Christi transfigurati.

CONCL. VIII.

Albertus Durerus.

NOrimbergensis Germanus insignis pictor floruit tempore superiori, opera ejus summo æstimantur precio ubi habentur.

CONCL. IX.

Raphael Sadeler, Dominicus Custodis, Crispinus Passæus.

FLorent à modo hi tres & exellunt in Chalcographeia, J. ap. Cæsar. Majestatem. alter Augustæ Vindelicorum, tertius ap. Ubios, qvorum opera nunc ubi vis celebrantur.

XLII. CONSIDERATIO.

Recenset Fontes.

ET fontium & aqvarum in civitatibus semper habitam fuisse magnam æstimationem, ob salubritatem & qvotidianam necessitatem.

CONCLUS. I.

Fons Juturnæ.

JUturnæ aqvæ fontem in Velabro Romæ adhuc scaturire putat. Fluv. & olim fecisse lacum in foro Romano juxta templum Vestæ aqvamqve ipsam saluberrimam habitum. Sed ut Marlianus vult antiqva est cloaca vel aqvæ ductus ut fornices ex saxo qvadrato in Tiberim usqve producti clare ostendunt.

CONCL. II.

Fons Mattheiorum Romæ.

POsteaqvam aqva qvæ Saloma dicitur Gregorii XIII. Pont. Max. tempore in urbem ad fontes producendos, aliosqve varios usus cœpta est derivari, inter alios qvi sumto publico ad ejusdem urbis ornatum & commodum fabricati sunt fontes præstantissimus, ob artificii excellentium pop. Rom, jubente, ac Mutio Mattheio viro inter Romanos cives primario curante ille videtur, qvi in foro Mattheiorum cernitur, ubi olim circum flaminium fuisse scribitur. In eo namqve qvatuor sunt vasa ad conchiliorum similitudinem ex Africano marmore insculpta, qvibus totidem ænei Delpini superstant ore in vasis hisce suppositis aqvam promentis, superqve his qvaterna juvenum ænea simulacra mira artificio conflata, qvæ pedes alternos attollentia, Delphinorum capita premunt alternosqve extendunt, sicut itidem manu altera caudam ipsius marinæ belluæ vicissim attrectant, altera ad invicem qvasi labrum seu concham superiorem fulcientia eniti videntur: Hic inter cæteros qvi nostra ætate Romæ constructi sunt fontes præstantioris atqve absolutioris operis spectatur. Qvæ simulacra ænea anno 1585. conflata sunt ac egregio artifice Thadeio Landino Florentino, in hoc toto fontis opere ad mille ducentos nummos aureos impensum esse à fide dignis refertur.

Con-

CONCL. III.

Fons Veronensis.

IN primario Mercatorum foro Veronæ fons est nobilissimus statua marmorea antiqva Veronam repræsentante, ad cujus pedes regium Diadema jacet: ibi: Est justi fautrix urbs hæc & laudis amatrix.

CONCLUS. IV.

Fons Bononiensis.

BOnoniæ in foro fons conspicuus eminet marmoreis, primo æreisqve simulacris plenus aqvas inspergens, in cujus elaborato opere ingenium Johannis Stradæ Brugiensis, & Flandri dignoscitur.

CONCL. V.

Fons florentinus.

IN foro lympidas aqvas fons effundit marmoreis figuris Neptuni & Faunorum ab Amanate confectis.

CONCL. VI.

Fons Branda Senarum.

NOn mediocrem spectantibus adfert admirationem. Hinc in suo inferno Dantes illum est admiratus.

CONCL. VII.

Romæ Fons in Via Flaminia.

Lymphæ matri sacer est, ejus inscriptio est: Si humano ingenio perpetuo viatoribus parari vina potuissent, non amœnum qvem cernitis,

tis, fontem C. Lepidus magna impensa ad auxisset Pota felix.

XLI. CONSIDERATIO.

Addit Cœmitteria.

DEcomiteriis egi in lib. de Mirac. mortuor. p. 7. qvo benivolum selego Lectorem, hic solum mirabilia Cœmiteria repeto.

CONCL. I.

Campus Sanctus Romæ.

HOc mirabile non modo, sed & prodigio simile. Est Romæ è regione S. Petri in Vaticano Cemiterium Campus Sanctus qvi dicitur, ubi corpora peregrinorun brevissimo tempore, spacio viginti qvatuor horarum consumuntur. qvamvis non inprofunda sepeliantur terra, ut in aliis cœmiteriis contingit, sed leviter tantum solotegantur, ut etiam articuli pedum parum eminere aliqvando conspiciantur. Vidi ego sæpius qvum Romæ essem sub Pontif. Clemente VIII. meminit etiam P. Binsfeld. in tract. de confess. malef. dub. 4. concl. 2. p. mihi 134. Et dicit se vidisse.

CONCL. II.

Campus Sanctus Pisis.

PIsiis [est urbs vetetrima ex duodecim Hetruriæ urbibus] est etiam Campus Sanctus tunc institutus, cum Barbarossæ Imp. Terræ sanctæ bellum inferenti triremes 50. Pisani miserunt. Verum cum vitam in undis fluminis ille amisisset, navalia terra sancta repulerunt, qvam in hoc Cæmiterium contulerunt. Fr. Schot-

Schottus, & Fr. Hieronymus ex Capugnano in Itinere Italiæ part. 1. c. Florentia. mihi 182.

CONCL. III.

Campus Sanctus Parrhisius.

Ejusdem nominis & similis Campus est Parrhisiis in via S.Dionysii à la Trinitè.

CONCL. IV.

Calvaria Chamberii.

IN sodalitio Benedictorum Divæ claræ & Lemenci extra muros Chamberii in Sabaudia in Promontorio est Calvaria, in qvam de functorum corpora efferri solent, qvæ triduo absumuntur, per mirum dictu, qvantum ossium illuc elatum sit, testis Jacob. Delexius IC. in Chorographia Sabaudiæ p. 24

CONCL. V.

Cæmiterium Chamberii.

CHamberii Franciscano in templo sunt sepulcra qvæ inferne cancros nutriunt, à qvibus juxta vernaculam linguam Latialem insonum nomen sumsisse videtur, testis idem Jacob. Delexius in Chorogr. Sab. audiæ p. 1. f. 2.

CONCL. VI.

Cæmiterium S. Ursulæ ap. Ubios.

IN commento ad Passionale S. Ursulæ legitur, qvod hodierno die in cæmiterio, ubi reliqviæ SS. virginum reqviescunt, nullus potest sepeliri qvia si aliqvis sepeliretur, clauso tumulo in crastinum super terram apparet, qvia hæc terra de corporibus sanctarum virginum creditur sanctificata, imo pueros recens baptizatos de nocte

nocte qvasi evomens in superficiem rejicit visendos, cujus rei miracula narrant incolæ non rara, qvæ alibi non facile inveniantur, ut Lindanus doctiss. vir. Script. ap. III. Cardinal. Baron. 21. Octobr. Hermannus Flejenus in libello de S. Ursulæ & sodalium ejus historia, extat. tomo 4. Zachariæ Lippelei de vitis sanctorum. Inter *Basilicas*, inqvit, sacras illam qvæ sanctarum virginum est in tanta veneratione semper Agrippinates habuerunt, ut nullius mortui corpus ibidem unqvam sepelierint. Ut autem in dicta sanctarum Virginum basilicâ nullû corpus terræ mandetur, statuto cautum est, qvod in antiqviss. ejusdem Ecclesiæ libello his verbis scriptum invenimus : Divinis flammeis visionibus freqventer admonitus & virtute magnæ majestatis martyrii cœlestium virginum imminentium ex partibus Orientis exhibitus pro voto Clematius hic de proprio in loco suo hanc basilicam voto, qvod debebat, à fundamentis restituit. Si qvis autem super tantam majestatem hujus basilicæ, ubi sanctæ virgines pro nomine Christi sangvinem suum fuderunt corpus alicujus deposuerit, exceptis virginibus, sciat se sempiterni tartari ignibus puniendum. Hæc Aubertus Miræus de SS. virginib: Coloniensibus.

XLIV. CONSIDERATIO.

Magnificat Sepulcra.

De Sepultura, de sepulcris, & eorum institutione &c. tetig, in opere meo de mirac.

Mor-

Mortuor. part. 7. qvæ qvia ſunt impreſſa, ideo huc non transſporto, ſolum hic magnifica qvædam & glorioſa ſepulcra ſubnectam.

CONCL. I.

Mauſoleum.

ARthemiſia regina Cariæ Mauſolo marito mortuo ſepulcrum erexit inter orbis miracula annumeratum, cujus altitudo attollebatur 25. cubitis, cingebatur columnis 36. patebat ab Auſtro ad Septentrionem 63. pedes toto circuitu continebat pedes 411. ipſum ab Occidẽte celavit Scopas, à Septentrione Briax à meridie Timotheꝰ, ab occaſu Leocares. Regina opere nondum abſoluto conceſsit fatis, artifices tamen non receſſerunt niſi & conſummato, Ab hoc ſepulcro omnia regum & Impp. monumenta qvæ pretioſa ſunt vocantur Mauſolea, de hac Propert. lib. 3.

Nec Mauſolei dives fortuna ſepulcri
Mortis ab extrema conditione vacat

Martial libr. 1.

Aere nec vacuo pendentia Mauſolea
Laudibus immodicis Cares ad aſtra ferant.

CONCLUS. II.

Sepulcrum Sanctum.

UT dicit Bartholomæus de Saligniaco in ſuo Itinerar. terræ ſanctæ in c. 6. ſeptim. Tom. diſtat pedib. 109. à loco Crucis Chriſti Deſcenditur enim à loco Crucis Chriſti ad ſuperficiem pavimenti Eccleſiæ ſpacio pedum 29. qvod reſu-

resultat ex decem & octo gradibus, & à principio pavimenti usqve ad sepulcrum spacium est pedum 80. Et est dispositio loci Dominicæ sepulturæ talis. In media templi area stant duæ domunculæ sive criptæ. Sunt enim è rupe cavatæ interius, exterius parentibus marmore incrustatis tecto rudi juxta naturam rupis exterius manentis. Hoc sepulcrum est septem pedibus longum, octo palmis altum, à pavimento ex marmore candido atqve lucente. Hujus sepulcri est templum gloriosissimum, qvod sicut singulari gloria est à Deo glorificatum, ita sumtuosissime & pulcerrimè à princip. Christianis constructum ornatum atqve ditatum & plurimarum nationum fidei Christianæ officiis sanctis die noctuqve freqventatur. Est enim hoc templum miræ altitudinis & amplitudinis plurima loca sancta includens, & ab utrisqve lateribus multis sacellis distinctum innititur columnis marmoreis 73. singulis supra basium triginta pedum altitudine elevatis.

XLV. CONSIDERATIO.

Apponit Epitaphia.

Seu inscriptiones, qvæ adeò sunt sepulcrorum propriæ, ut vix sine iis monumenti nomen vel memoriæ tueri possint. Concipiebantur autem illæ vel prosa oratione vel versu. Erantqve solemnia inscriptionum verba Dis. Manib. Sacr.. Itemqve memoriæ nomen defuncti, parentes, patria, monumentis inscripta.

Hic

Hic ſitus eſt. Hic jacet. Elogia item & res geſtæ monumentis inſcriptæ. Spacium Vitæ conjugii. Sine qverela, offenſa, & ſimiles formulæ, Cauſa item mortis, & alia hujus generis, qvæ doctè collegit Johan. Kirchmannus de funer. Roman. libr. 3. c. 19. & 20. & tetigi ego in opere de Mirac. Mort. parte 9. Epigraphas tum antiqvas, tum recentes qvi velint, hos ego ad complura in hoc genere edita ſelego volumina. In publico enim ſunt Epitaphia Georgii Fabricii, Monumentorum Italiæ libr. 4. à Laurentio Schradero divulgati, delitiæ itinerum Nath. Chytræi. Antiqvitates Nemauſenſes Jacobi Graſſeri. Antiqvitates Pariſienſes, Petri Bonfons inſcriptiones marmorum totius Europæ, Petri Appiani, Cyriaci Anconitani, Martini Smetii &c.

CONCL. I.

Apud GADES ad Extremum orbis,

D. M. S.

Si lubet legito.

Heliodorus in ſanus Chartaginenſis, ad extremum orbis ſacrophago teſtamento, me hic juſſi conditer, ut viderem ſi qviſqvam me unqvam inſanior, ad me viſendum, ad hæc uſqve loca penetrarit.

CONCLUS. II.

BOnoniæ in Italia tale viſitur monumentum.

D. M.

Ælia Lelia Criſpis, nec vir nec mulier, nec androgyna, nec puella, nec juvenis nec avus,

nec

nec casta nec meretrix nec pudica, sed omnia sublata, neqve fame neqve ferro, neqve veneno neqve igne nec peste, sed omnibus nec cœlo nec aqvis nec terris, sed ubiqve jacet. Lucius Agatho priscius nec maritus, nec amator nec necessarius, neqve mœrens neqve gaudens, neqve flens, hanc nec molem nec pyramidem neqve sepulcrum, sed omnia scit & nescit cui posuerit. Hoc est sepulcrum intus cadaver non habens, hoc est, cadaver extra sepulcrum non habens. Sed cadaver idem est & sepulcrum sibi.

CONCL. III. Al.

Epitaphium hoc ex veteri sepulcro & cadavere ante LX. annos prope Inculissmam repertum est. Erat lamina pretiosa circa regionẽ cordis, ubi septem vocales Græcæ ita suas sedes undiqvaqve variabant.

α.	ε.	η.	ι.	ο.	υ.	ω
ω	υ	ο	ι	η	ε	α
ε	η	ι	ο	υ	ω	α
υ	ο	ι	η	ε	α	ω
η	ι	ο	υ	ω	α	ε
ο	ι	η	ε	α	ω	υ
ι	ο	υ	ω	α	ε	η.

CONCL. IV.

Al. Pontiæ Rom.

Pontia T. Pontii Filiam hic sum, qvæ duobus natis veneno absumtis, avaritiæ opus, ipsa mihi mortem conscivi. Tu qvisqvis es, qvi huc transis, si pius es à me oculos averte.

Con-

CONCL. V.

Athei.

Vixi & ultra vitam nihil credidi. Qvo vadam nescio. Invitus morior. Valete posteri.

CONCLUSIO VI.

Romæ in Xenodoch. S.

Hospes disce novum mortis genus improba felis
Dum teneo, digitum mordet, & intereo.

CONCL. VII.

Alibi Cadaver.

Prius sperma fœtidum,
Vixi domus stercorum,
Donatus esca vermium.
Speculum peregrinationis humanæ.

CONCL. VIII.

Romæ ad portam majorem.

HEus viator miraculum ! Heic vir & uxor non litigant. Qvæ res qvi sumus ? non dicam. Ad chodum ipsa duco. Hic Belbius Ebrius me Ebriam nuncupat, non dico amplius Ohe conjux, & jam defuncta garris?

CONCL. IX.

Alibi in Tumulo Rom.

Vixi qvemadmodum volui; qvare mortuus sim nescio.

CONCL. X.

Angeli vadi.

Ipse qvod es, Lector fuimus nos, tu qvoq; fies
Qvod sumus, hoc melior, sors mea qvam tua sors.

CONCLUS XI.

Al.

Romæ in hoſpitali S. Mariæ de conſolat.

Qvod hoc vides amice, corpus ſine corpore, ne ſtupeas aut damnes, qviſqvis es. Teſtamento ſic ipſa cavi, ut hoc, qvod cernis, fierem Philoſophis ac Medicis ſacrum. Horum ſi es de numero, ſacro legato utitor. Sin prophanus, indoctus, hinc ocyus abſcedito.

CONCL. XII.

Al. Neapoli ad S. Laurent.

Hoſpes qvid ſim, vides, qvid fuerim noſti. Futurus ipſe qvid ſis cogita.

CONCL. XIII.

Al. in Monte Faliſcorum.

Propter Eſt Eſt, Dominus meus mortuus eſt.

CONCL. XIV.

Al. Sen. in S.Spiritus.

Potatoris.

Vina dabant vitam mortem mihi vina dedere
Sobrius auroram cernere non potui.
Oſſa merum ſitiunt vino conſperge ſepulcrum
Et calice epoto care viator abi
Valete potatores.

CONCL. XV.

Al. Pariſienſe.

IN templo Gordigerorum ſeu fratrum minorum Parrhiſiis hocce Epitaphium legere eſt: Hic Nicolaus filius Mini Joannis de ſancto Qvirico, civis civitatis Senarum, qvi obiit anno Do-

Domini 1338.; die Dominica duobus Jovis die menſ. Aug.

CONCL. XVI.

Al. Patavii in Curia.

V.F.T. Livius. Liviæ T.F. Qvartæ Legionis Halys concordalis. Patavi ſibi & ſuis omnib.

Delph. Pot. Matth.
Delph. fil. M Dand. F.

Oſſa tuumq́ caput cives tibi maxime Livi
Promto animo hic omnes compoſuere tui.
Tu famam æternam Romæ patriaq́ dediſti
Huic oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat patria hæc; & ſi majora liceret
Hoc totus ſtares aureus ipſe loco.

Titus Livius IV. Imp. Tib. Cæſaris anno vita exceſſit, ætatis verò ſuæ LXXVI.

Prætor. EQ. Præf.
Iuſt. Opt.

CONCL. XVII.

Al.

IN monte Pauſylippo in ſepulcro Virgil.

Qvi cineres? tumuli hæc veſtigia, conditur olim
Ille hoc, qvi cecinit paſcua rura duces.

CO CLUSIO XVIII.

TUmulus Ovidii Poetæ in finibus Græciæ & Walachiæ teſte Laurentio Mollero in hiſtoria Polonica & Moſcovitica.

Fatum neceſsitatis lex:

Hic ſitus eſt vates, qvem, Divi Cæſaris ira,
Auguſti Latia cedere juſsit humo.

Sæpe miser voluit patriis occumbere terris,
Sed frustra: hunc illi fata dedere locum.

XLVI. CONSIDERATIO.

Proponit Armamentaria.

Romani arma privatim non tenebant, sed perfectis bellis reponebant in Armilustrum aut in Tarpejam rupem. Hinc Spartian. dicit Vespasianum ex armilustro arma legionibus permisisse & Lucan. jam rupes Tarpeja sonat.

CONCL. I

Armamentarium Venetarum.

ARsenalem nunc vocant locum qvasi Artem navalem, qvod arte naves ibi struantur. Insula est urbis angulo contigua versus Orientem & Adriatici maris portus amplitudine duorum milliarum in circuitu fossis ac muris undiqve validis munita, & cum opportunis ad custodiam turribus. Divisa est per regiones suas atqve artificum operariorumqve diversas tabernas atqve officinas opportunis qvasqve locis dispositas complectitur. Qvadringentorum hominum labore continuo naves machinas atqve instrumenta omnis generis bellica perpetuo æstimant, ibi fabrorum lignariorum amplissima regio, ubi materia ad classem navesqve præparatur adaptaturqve ibi adustione spondas & costas incuruant, malos antennas remos ac tonsæ levigantur, ibi fiunt trochleæ Pontes, antliæ corbitæ machinarum belli-

bellicarum rotæ cæteraqve navalia instrumento ibi Vulcaniæ fabrorum ferrariorum officinæ, ubi formantur giganteæ tormentorum bellicorum moles graves æneæ fistulæ & prælongæ, tubi fasti atqve immanes globi ferrei ibi cuduntur ponderosæ anchoræ, item harpagines, falces, catenæ borui belliciqve navales apparatus varii, In tana qvæ est restionum aut calostrophorum magna regio ibi immensæ rudentum & camelorum Spiræ ibi protoni pesmata, & hyperæ intorqventur, aliaqve velorum antennarumqve retinacula,

CONCL. II.

Armamentarium Mediolanense.

EST capacissimum amplitudine & armorum telorumqve omnis generis ornatissimorum infinita copia refertum.

XLVII. CONSIDERATIO.

Colligit Bibliothecas.

CONCL. I.

GOrdianus Imp. cum eruditus vir esset bibliothecam maximam extruxit in qva sexaginta duo millia voluminum collocavit.

CONCL. II.

Bibliotheca Tyramnionis.

TYramnion Grammaticus qvi floruit ætate M. Pompeji super tria librorum millia possedit.

CONCL. III.

Bibliotheca Antonini.

PLutarchus in Antonino scribit pergame-

nas

nas bibliothecas habuisse ducenta librorum millia.

CONCL. VI.

Bibliotheca Vaticana.

SUnt tres bibliothecæ Pontificis in Vaticano palatio, una clausa qvæ est selectorum librorum, cui adjuncta etiam alia, tertia qvæ vulgo omnibus dieb. non festivis per duas horas patet, Græcis Latinisqve libris calamo, si qvæ in orbe terrarum, in membranis exaratis instructissima, beneficio Nicolai V. Pont Max. item noua Xysti V. pp. qvarum inscriptiones pictura & carmina singulari libro ab Angelo Rocho Episc. edita sunt.

CONCL. V.

Bibliotheca Cælii Calcagnini.

FErrariæ infratrum cœnobio est ingens bibliotheca Cælii Calcagnini, qvam ego vidi & exscripsi ibi intus. Qvom Cælius Calcagninus nihil magis optaverit vivens qvam de omnibus pro fortunæ captu qvam optimè mereri decedens bibliothecam, in qva multo maximam ætatis partem egit in suorum civium gratiam publicari, & in ea se condi mandavit. Tu qvisqvis es rogo, ut hominis B. M. manibus Deum Opt. Max. propitium preceris ex diuturno studio inprimis hæc didicit mortalia contemnere & ignorantiam suam non ignorare. H.M.H.N.S. Jo. Hieron. Ferrato gratiss. ejus alumno procur.

Con-

CONCL. VI.

Bibliotheca Palatina.

MYrtilleti in palatio natu eſt egregia & ingens Bibliotheca in Templo ad SS. qvam benivole mihi monſtravit doctiſſ. & venerab. Paulus Meliſſus, Fr. p.

CONCL. VII.

Bibliotheca Fuldenſis.

LAudatur & hodie maximoperè Bibliotheca Fuldenſis in Buchonia.

CONCL. VIII.

Bibliotheca Florentina.

CElebris eſt illa. Epigramma ejus eſt.

Deo præſidibus familiæ Divus Clemens VII. Medices P. M. libris opt. ſtudio major. & ſuo. undiqve conqviſitis bibliothecam ad ornamentum Patriæ civiumqve ſuorum vilitatem DD. Hanc Bibliothecam Coſ. Med. Tuſcorum magnus Dux perficiundam curavit. Anno Dn. M. D LXXI. III. Id. Iulii.

Item

Coſmus in has ædes meliora volumina κόσμυ
Tranſtulit & primas qvas habet orbis opes
Sic genuitq; tandem ſterili de nomine Coſmus
Rem ſibi tum mundo cœlitibusq; parem.

CONCL. IX.

In calce Pandectarum Florentinarum legitur.

Ego Marſilius Ficinus interfui dum hoc reperiretur opus: idqve manu propria ſcripſi die 9. April. anno Dn. 1496. Petro Bern-

hardo de Bernhardis ſedente vexillifero juſtitiæ.

XLVIII. CONSIDERATIO.

Collaudat Mœnia.

EA ſunt ſancta. Hinc Pomponius JC. in L. ſi qvis violaverit,qvæ eſt L.fin. D. de rer. diviſ. ſic inqvit. Et frater Romuli Remus occiſus traditur, ob id qvod muros tranſcendere voluerit,id eſt, voluntariè tranſcenderit ſecund. Gloſſ. ibi. Unde Livius lib. 1. vulgarior fama eſt ludibrio fratris Remum novos tranſiliiſſe muros. Hinc & de jure juxta portas & mœnia civitatum non eſt habitand. propter fortuita,ut qvia inhabitantium culpa fortè comburetur turris aut ad evitandum ſuſpicionem proditionis,ut inqvit Paul. in L. neqve muri neqve portæ habitari ſine permiſſu principis propter fortuita incendia poſſunt D. Ne qvid in loco ſacr. fiat.

CONCL. I.

Murus Babylonicus.

QVem ſemiramis condidit aut ſaltem ruinoſos reſtauravit. Nam primus poſt diluviam Nembroth Gigas eum fundaverat coctili latere atqve bitumine interfuſo, latitudine, ut ait Herodotus qvinqvagenum cubitorum, altitudine ducenum, ambitus ejus 480. ſtadiis circumvenitur,qvem tam latum fuiſſe ſcribunt, ut qvadrigas inter ſe occurrentes facile reciperet, unde inter ſeptem ſpectacula ſeu miracula orbis

bis annumeratur. Huic autem operi portentoso adhibita sunt trecenta hominum millia.

CONCL. II.

Murus Thebarum.

Thebæ Ægyptia urbs insignes habuit muros à Busyride Ægypti rege conditos ambitu 140. stadiorum, ut refert Herodotus.

CONCL. III.

Pergama Trojæ.

Feruntur habuisse in ambitu 40. millia passuum. Creditur Laomedon pater Priami, qvod cinxerit Trojam mœnibus Ser. Apollini & Neptuno id negocii adscribitur, nec ob aliam causam qvam propter magnificentiam & altitudinem ingentem. Unde de his Lucan. lib. 6.

Nunc vetus iliacos attollat fabula muros
Adscribatq; Deis.

CONCL. IV.

Murus Byzantii.

Urbis Thraciæ olim fuit Milesio qvadrato lapide adeò in discreta laterum structura, ut una prope muri compagis spectantibus videri posset.

CONCL. V.

Murus Romanus.

A Romulo primo Romanorum rege constructus, ejus verò ambitum varium fuisse credendum est cum Plinius dicat suo tempore 20.

millia passuum continuisse, & Fl. Vopiscus scribit Aurelium Imp. seu Aurelianum ambitum urbis ad 30. passuum millia ampliasse.

CONCL. VI.

Murus Thracius.

INter Europam & Thraciam seu regionem supra Ahrum flu. & citra erat murus, qvem ad excludendum Chersonesum à Gordia ad pactiam Miltiadas duxit, ut auctor est Herodotus, ibiqve erat urbs Longus murus dicta Plin. lib. 4. c. 11. Oppida inqvit Ciplella *B*yzante Macrothycos dictum, qvod à Propontide ad Meltam sinum inter duo maria porrectis muris procurrentem excludit Chersonesum. Hæc ille. De hoc ita Evagrius lib. 3. cap. 38. Anastasius opus plane amplissimum & cum primis memorabile ædificavit, qvod Longus murus vocatur, in Thracia loco commodo situm abest Constantinopoli summum CC LXXX stadiis, mare utrumqve complectitur ad CCCXX. stadia instar freti cujusdam & urbem ferme insulam pro peninsula efficit, transportatqve eos, qvibus libitum est navigare à Ponto ad Propontidem & mare thracium cum summa securitate, *B*arbaros deniqve qvi ex Ponto Euxino & Colchide & Neotide palude excursiones faciunt, qviqve ex locis ultra Caucasum, & qvi ex Europa erumpunt arcet repellitqve idem tradunt Suidas, Zonaras & Nicephorus lib. 16. c. 39. erat longitudinis millium passum qvingentorum & latitudinis pedum viginti opus me-

memorabile ex ſilicibus torrentium extructum inqvit Cyrus Manuel in Encomio utriusqve Romæ,ut potius mons qvam murus videretur, qvod bàrbaros excludebat, à qvibus captum & ruptum poſtmodum Juſtinianus reſtituit turribusq; munivit, inqvit Procopius in 4. de ædif. Juſtin.

CONCL. VII.

Murus Britannicus.

HAdrianus Inſulæ Britanniæ partem , qvæ nunc Scotia dicitur muro excluſit, auctor. poſt Dion. & Euſebium Spartianus Murum inqvit per 80000.paſſuum primus duxit, qvi Romanos barbarosqve diuideret, neqve cum Caledonia ſeu Scotia Romanis parebát. Hunc murum vetuſtate collapſum Severus reſtituit. Idem Spartianus, Britanniam inqvit maximum ejus imperii decus muro per transverſam Inſulam deducto ad finem Oceani munivit, unde & Britannici nomen accepit. Hæc ille. Hoc fuit vallum ex ceſpitibus extructum non murus, Beda lib. Eccl. hiſt. gent. Angl. J. C. Severus, ait, genere Afer Tripolitanus receptam partem inſulæ à cæteris indomitis gentibus non muro,ut qvidam exiſtimat , ſed vallo diſtingvendum putavit: Murus enim de lapidibus. Vallum verò qvoad repellendum vim hoſtium caſtra muniuntur,fit de ceſpitibus qvibus circumciſis è terra velut murus extruitur altus ſuper terram, ita ut ante fiat foſſa de qvâ levati

levati ſunt ceſpites, ſuper qvam ſudes de lignis fortiſſimis præfiguntur. Itaqve Severus magnam foſſam firmiſſimumqve vallum crebris inſuper turribus communitam è mari ad mare duxit, Hæc ille.

XLIX. CONSIDERATIO.

Aperit portas.

QVæ qvoqve ſanctæ habentur de jure ſupra d L. neqve muri neqve portæ D[illegible] qvid in loco publico. Ideo non debet qvis egredi civitatem aliunde qvam per portam conſvetam d. l. fin. de rer. divid.

CONCL. I.

Portæ Babylonis.

Erant centum ex ære.

CONCL. II.

Portæ Conſtantinopolis

ERant undecim dignitatem ipſius atqve murorum præ ſe ferentes.

CONCLUS. III.

Portæ Thebarum.

ERant centum, in qvarum ſingulis memoratur 200. cuſtodes excelluiſſe eqvis & currib. Unde & Juven. Satyr. ult-

Atq; vetus Theba centum jacet obruta portis,

Et Plinius.

Unde Dioſpolis magna eadem Theba portarum centum nobilis.

Pontanus: *Hinc ad centiforem Nilus ſubit oſtia Thebem.*

Con-

CONCL. IV.

Porta Romana.

ROma triginta habuit portas. Blondus vero de Roma illuſtrata lib.1.ponit nomina portarum, qvæ erant tempore qvo triumphabat & ſunt iſta: Flumentana, Collatina, Qvirinalis, Exqvilina, Viminalis, Nevia, Qverculana ſive Qverqveculana, Gabiuſa, Lavernalis, Ruduſculana, Rutamena, Saginalis, Latina, Appia Cepena, Trigemina, Aurelia, Fontinalis, Carmentalis qvam ſcelerata Pandana vel Libera, Mugonia qvæ & Trigillia, Catularia & Triumphalis, & ibi ponit unde ſic denominatæ fuerint inſeqvendo Feſtum Pompejum, & ibi plures ex iis laudat, reducendo ad eas qvæ repertæ fuerunt ſuo tempore. Inter illas dicit portam triumphalem eſſe omnium celeberrimam. Et dicit Livius à ſuo tempore 37. portas fuiſſe in urbe, Plinius vero dicit, qvamuis ſeptem clauſas fuiſſe confirmet. De his & qvibus nominibus vocentur Franc. Albertin. in ſuo opuſc. de mirabilibus urbis Romæ Chart.5.

CONCL. V.

Porta Acus.

ERat Hieroſolymis, de qva Chriſtus Matth.19. facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, qvam divitem in regnum cœlorum ingredi, de qva dixi ſupra conſid. De animal. Terræ Artic. de Camelo.

Con-

CONCLUS. VI.

Porta Nigra apud Treviros.

TReviris olim erat porta magna & ſumtuoſa cognomento Nigra, & etiam Martia, Martem namqve Deum belli colebant, & qvando exirent ad bellum ea porta exibant, & qvando infelici Marte pugnatum eſſet, ceu triſtes & mœſti per eam portam ingrediebantur, & ideò nominabant Nigram portam propter triſtitiam, hodiè vocatur Porta Simeonis teſtatur Joannes Ennius in medulla geſtorum Treverenſ. c. 2.

CONCL. VII.

Porta ſacra in Luco Fanenſi.

ESt porta qvædam ſacra in mea patria qvæ Bruſſella vocatur vulgo, per eam ante hac ex proximo vico, qvi ab inferiori ſylva nomen habet, defuncti ad ſepulturam inferrebantur, ideoqve funeſta qvaſi & ſacra habita, & habetur adhucce ominoſa, & nullus ſponſus neqve ſponſa ad feſtum nuptiale celebrandum per eam ingreditur aut vehitur, de qvâ & ſuperiori egi in opere meo, de Miracuulis mortuorum part. 7.

L. CONSIDERATIO.

Concludit Cloacas.

CLoaca eſt locus concavus per qvem colluvies qvædam fluit L. 1. §. Cloaca D. de ripa muniend. Cloacæ appellatione & tubus & fiſtula continentur, d. l. 1. §. Cloacæ, Eas Tarqvinius

qvinius Priscus primus Romæ invenit, ut aqvas ex collibus in convalles & plana descendentes eveheret; qvod plebis manibus fecit, Cloacis è vestigio in Tiberim ductis Livius in 1. Illarum amplitudinem, inqvit Plinius lib. 36. cap. 15. eam fecisse proditur, ut vehem fæni largè onustam transmitteret, unde eas opus omnium dictu maximum appellat, per qvas postea cæptum est navigari, suffossis inqvit montibus atqve urbe pensili subterqve navigata. Id M. Agrippa fecit, in ædilitate per meatus corrivanis septem amnibus cursu præcipiti torrentium modo rapere atqve auferre omnia coactis. Hæc Plinius. Dion. lib. 49. & ipse scribit M. Agrippam Cloacas purgâsse, & per ipsas in Tiberim navigâsse. Cassiodorus qvoqve lib. 5. Epist. 30. ad Argolicum P. V. Cloacæ ait Romæ tantum visentibus conferunt stuporem ut aliarum civitatum possint miracula superare. Videas illic fluvios qvasi montibus concavis clavos per ingentia stagna decurrere, videas structis navibus per aqvas rapidas, non minima solicitudine navigari ne præcipitato torrenti marina possint naufragia sustineri. Auctor est Dionys. Halicarnass. lib. 3. Cloacas cum aqvas non transmitterent à censoribus mille talentis purgandas locatas fuisse: efficit hæc summa sexcenta millia. Has Cloacas præter Tiberis alveum & ripas Curator, qvi Comes riparum & alvei Tiberis & Cloacarum dicebatur, purgari curavit. Hanc curam & procurationem

tionem Urbicam Ulpianus appellat in L. Verum §. ex facto D. de minor. Salvianus inqvit, beneficio principis procurationem urbicam erat adeptus, curam riparum Tiberis vel similem intelligens. Cloacasqvoqve mundare ad salubritatem & tutelam civitatis pertinet, nam cœlum pestilens & ruinas, inqvit Ulpianus in L. 1. §. 1. D. de Cloac. minuantur immunditiæ Cloacarum nisi mundentur. Inter alias inscriptiones antiqvi curatoris, una est T. Julii Ferocis Trajano Imp. hujusmodi.

Ti. Julius Ferox curator alvei & riparum Tiberis & Cloacarum urbis terminavit Ripam P. R. Proximo Cippo. p. ccc. lxxx. C. S.

FINIS.

HENRICI KORNMANNI

ex Kirchainâ Chattorum

TRACTATUS QVARTUS

Continens

ENUCLEATAS QVÆSTIONES

DE

VIRGINUM STATU AC JURE,

Ex optimis tùm Sacris tùm prophanis Auctorib. Juribusqve Divin. Canon. Natur. & Civ. desumtas, atqve Theolog. Jurid. Med. & Phys. pertractatas.

AD

JULIANAM MORELLAM VIRGINEM HISPANAM.

Piisſima & doctisſima virgo, qvum ad me apud Leucos tua pervenerit laus, fama & doctrina, qva chorum virgineum plus qvam condecoras, ſtupui primum, lætatus inde vehementer & in eo ſexu ſummum nobis arteis, qveis à vulgo ſeparamur, notare. Te videre deſideravi.

Lugdunum adii, aditum rogavi, benigniter admiſſus, te vidi, te allocutus, te ſalutavi, tuam lingvam ſenſi, tuas manus deoſculatus tuam diligentiam probavi, qva mea Muſa negavit, tum Burgundia me triſtem fecit, felix audacia præſtitit. Cape *roga doctiſſ. virgo animi mei faciliorem Sibyllam hancce, cape rogo, amplectere ut antea me.* Salve, *vive, vale fœlix ô diva* Sacerdos.

Summus ille propoſitum proſperet tuum feliciter, qvod ex animo voveo. Perge *ſalve Virginum decus, ſalve piiſſima virgo, ſalve doctiſſima.*

T. A. O.

HENRICUS KORNMANNUS.
ex Kirchaina Chattor.

PRÆFATIO.

TRactaturus de virginibus, earumque jura persequuturus, prius opportunum duxi volens seqvi documentum Juris Consulti Ulpiani, *in l.* 1. *in princ. ff. de justit. & jur.* ibi juri operam daturum, nosse prius oportet, unde nomen juris descendat: ejusdem Ulp. *in l.* 1. *ff. si cert. pet. ibi.* ere est prius qvàm ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre, & Gaii *in l.* 1. *ff. de orig jur.* ibi, facturus legum vetustarum interpretationem necessariò prius ab urbis initiis repetendam existimavi. Et Paul. *in l.* 1. *ff. de adqvir. poss. in l.* 1. *ff. de dolo.* cum multis similibus. Et ex Platonis sententia in Phædro: In omnibus rebus hi, qvi bene consulere volunt, est intelligere illud, de qvo consultare intendunt. Et idem tradit *Cicero*, qvem refert B*ald. in prælud. feud. col.* 4. Et qvia prius de personis, qvam juris ratio qværenda est, *l. qvidam. ff.* de C*odicil. & l. si qværamus. ff. de testament*' pauca qvædam attingere. Primo autem qvis miretur in tuitu, qvis genius ad virgines accedere propius mihi jusserit? qvis genius manum ad calamum applicare suaserit? Amor erit. Qvis enim tam austerus mulierum osor, ut vel ex omnibus unus non impense amaret? Qvis tam distortus Demea, ut non ullius earum ambiret gratiam,

qva-

qvarum consvetudinem naturâ omne humanum genus adultum expetit. Illarum laudes & jura hactenus eruditorum cœtus, qvod ego scio, penitus neglexisse videtur, mihi à superis relicta atqve decreta. Ea ratione inprimis adductus & audacior eo factus in scribendo, non qvod ideo dies festos hisce voluptatibus consumserim, qvod jure divino prohibitũ est, *Deuteronom.* 5. *Exod.* 22. neqve imitatus in eo juvenes, qvi ad Ecclesias vadunt, ut videant potius Dominas, qvam Deum: ut *tradit Abbas in c.*1. *de fer. col.*2. *A*nnunciabo igitur gloriam virginum, jura illarum non abscondam. Virginitatem autem inmaximo qvovis tempore habitam fuisse pretio, ex eo, qvod VIRGO inter sidera cœlestia in cœlo collocata fuerit, qvam inter Leonem & Libram ponunt Astronomi, cuivis satis superqve patet. *Natal.Comes Mytholog.lib* 8 *c.* 16. *de Asopo.* Qvanti æstimârint Romani, Vestalium ordo manifestat, qvarum fortuitus occursus à morte damnatum liberabat. *Alex. ab Alexandro* 5. *Genial.* 12. Satis testantur qvinqvaginta illæ virgines Spartanæ, qvæ nomen suum immortalitati consecrarunt: Nam, cum sacrificii gratia à parentibus ad Messenios hospitii more missæ essent, tanta libidinis impatientia in eas flagrarunt Messenii, ut contemto hospitalitatis jure, ad stuprum eas poscerent, cumqve illæ obluctarentur, ipsiqve eas violare vellent, nulla earum consensit, moriqve maluerunt, qvam virginitatem amittere, qvarum sangvinem

nem Lacedæmonii magna victoria Deo Max. favente ulti sunt. qvid moror in Ethnicis & gentilibus? Nonne unica maris stella virgo Maria, ex qva Salvator & Redemtor noster natus est, *Luc.* 2. exemplum virginitatis sufficit, qvam in partu & post partum virginem mansisse firmiter tenet Ecclesia. O felix illa virgo! ô nunqvam satis laudanda virgo! Nonne Ecclesiasticæ historiæ satis præconia & elogia sanctarum decantant virginum? Tu felix Colonia Agrippina unica celebris es, ex tuitione virginis Reginæ Ursulæ, ejusqve cohortis undecim millium. Nonne & sancta Catharina virgo patrona Juristarum est? Sufficit. Non ardor aliqvis aut furor nimius, sed ut earum pectora exaturemus, & bonam simul gratiam nobis apud eas conciliemus, maxime cum hoc genus apprime irritabile fiet, materiam hancce sumpsi æqvam.

Tu igitur, ô mihi laurentes inter dilecta puellas, virgo procede, elogia tua attende, præconia tua ausculta. Sat mihi erit præmium favor tuus, gratia tui vultus par referet pari. Splendor faciei tuæ me foveat.

Sic in blanditie juvenis lux lucet amoris. Et hæc promissa protestatione una cum *Albertino de agnoscend. assert. Cathol. & hæret. q.* 12. & *Burs. cons.* 344. *n.* 45, *lib.* 4. & *Ast in princ. de infirmit. in præfat. n.* 10. Qvod nihil intendo dicere, neqve puto dixisse contra fidem, & si secus esset, ex nunc revoco & submitto me correctioni.

INDEX
CAPITULORUM.

XV. *Num condeceat virgines scire ludere cartis, taxillis.*

XVI. *Num illibata censeatur pudicitia virginis ex convictu, spectaculis publ. balneis & saltationibus.*

XVII. *Num virginis peregrinantis illibata præsumatur pudicitia.*

XVIII. *Num illibata censeatur castitas virginis, ad qvam freqventer accedunt scholares.*

XIX. De *probatione virginitatis apud Rom.*

XX. A*n ex mammarum grossitie arguatur virginitatis amissio.*

XXI. *Num virginitas ex urina cognosci qveat*

XXII. *Num verum, & qvæ causa, qvod Scaliger de radice qvadam refert.*

XXIII. *Num ex osculo illibata censeatur pudicitia virginis.*

XXIV. *Num exheredari qveat virgo viripotens sine consensu patris nubens.*

XXV. *In virginem si qvis consentiat, qvam postea ab alio compressam reperit, qvid juris sit.*

XXVI. *Num sit melius uxorem ducere virginem, qvam viduam.*

XXVII. *Num conducat virgini juveni nubere seni sexagenario, de ponte dejiciendo.*

XXVIII. *Num virginitas totaliter perdatur actu Venereo.*

XXIX. N*um virginitas semel amissa possit restitui.*

XXX. *Num fiet sufficiens probatio amissæ virginitatis, absentia Hymenis.*

XXXI. *Num absentia Hymenis sponsus sponsam repellere queat.*

XXXII. *Num virgo nupta mater esse volens ab impotente marito diverti queat.*

XXXIII. *Num virgo ita arcta, ut mulier fieri non possit, matrimonium contrahere queat.*

XXXIV. *Utrum mulier propter arctitudinem separata à primo viro & conjuncta secundo, quando efficitur habilis primò, propter usum secundi, sit restituenda primo.*

XXXV. *Num ab incubo infestata virgo amittat virginitatem.*

XXXVI. Legatum *factum puellæ minori ut intelligatur.*

XXXVII. De *donatione virginum.*

XXXVIII. *Num virgo sine tutore donare possit.*

XXXIX. *Num, si virgo persvadet juveni, se esse divitem, & ita inducat illum ad promittendum matrimonium subveniatur juveni, si contrarium compertum sit.*

XL. *Num virgo possit esse legata*

XL I. *Num virgo possit esse miles armatus.*

XLII. *Ad qvid teneatur, qui insectatur virginem.*

XLIII. *Virginem deflorans, qva pœna puniatur.*

XLIV. *Qva pœna puniatur stuprans virginem per vim.*

XLV. *Qvæ sit pœna puniendus ille, qvi defloravit, seu deflorare conatus est puellam nondum viri patentem.*

XLVI. *Qvæ pœna puniatur raptor virginis.*

XLVII. An *transactio super raptu fieri possit.*

XLVIII. *Qvâ pœna puniatur virgines fricantes sese.*

XLIX. *Num virgo menstrua non patiens sana sit.*

L. *An virgo, cui os olet, sana sit.*

LI. *Qvæ causa, qvod virginis primo menstruum fluxum habentis, canusia in ignem projecta, eum sistat.*

LII. *An honesta virgo pro attentatæ pudicitiæ defensione violentum stupratorum licitè occidat.*

LIII. Num *virgo ob furtum sit suspendenda.*

LIV. *Legatum virgini num corruptæ debeatur & præstetur.*

LV. *Num si virgo damnatum qvempiam ad mortem petat in maritum, liberet ipsum à morte.*

LVI. *Num mulier post partum virgo dicenda fiet.*

LVII. An *virgo nolens nubere gaudeat privilegiis nuptarum.*

LVIII. An *virgo per vim stuprata* Deo *possit consecrari.*

LIX. *Utrum si starent simul duæ puellæ honestum sit dicere: Illa est virgo casta.*

LX.

LX. *Num mutatio vocis in puella arguat virginitatis amißionem.*

LXI. *Cum gemelli: masculus & fœmella simul nascuntur, uter prior natus censeatur.*

LXII. *Num proniores in Venerem ferantur virgines qvam viduæ.*

LXIII. *Qvare virgines in qvibusdam locis proniores sint ad Venerem & luxuriosiores qvàm in aliis.*

LXIV. *De variis virginum in variis Italiæ locis dotibus & vitiis externis.*

LXV. *Virgo nupta qvo tempore sponsa dicenda.*

LXVI. *Num Johannes Evang. fuerit sponsus ille in nuptiis in Cana Galilaeâ.*

LXVII. *Cur in lege antiqva virginitas non commendabatur.*

LXVIII. *Virginitas cur Lilio comparetur.*

LXIX. *Qva causa, qvod virgo primitias arboris decerpens, fructus ejus arboris fissura notet.*

LXX. *Qvare pulices puellis virginibus, imò sexui fœmineo inimici magis sint, qvàm juvenibus adolescentibus.*

LXXI. *Qvare deteriorem odorem puellæ virgines de se spargant qvàm juvenes adolescentes.*

LXXII. *Qvare melius posſint currere virgines qvàm juvenes.*

LXXIII. *Qvare clarior vox virginum puellarum qvàm juvenum.*

LXXIV.

LXXIV. *Quibus coloribus quo ad vestimenta uti debeant virgines*

LXXV. *Qui crines exornent virgines*,

LXXVI. *Virgines comæ primitias olim, cum matrimonium iniissent,* Deabus *consecrabant.*

LXXVII. *Quare non ita multum bibant virgines ut juvenes masculi.*

LXXVIII. *Nam ex longo & acuto naso, præsumenda siet virgo iracunda.*

LXXIX. *Quo ingressu condeceat virgines incedere.*

LXXX. *Quare luxus & ornatus convenientior virginibus quam adolescentibus.*

LXXXI. Num *ornatus ad occultandum morbi turpitudinem virginibus permissus.*

LXXXII. *Quare amantes pallescant.*

LXXXIII. N*um virgo ad sanitatis conservationem actum conjugalem admittere debeat.*

LXXXIV. Num virgo, ut propriam sanitatem recuperet, possit sine peccato, medico id petenti, sui corporis copiam facere.

LXXXV. Anpro sanitate possit virgo Deo *polliceri iter vel peregrinationem ad S. Jacob.*

LXXXVI. *De planctu virginitatis filiæ Jephtah*

LXXXVII. *De voto virginitatis apud* Dardanios.

LXXXVIII. *Num raptus virgin. in choreis à filiis Benjamin possit excusari. Jud.* 21.

LXXXIX. *Quare puellæ virgines in via præcedant matres, filii verò adolescentes seqvantur patres.*

XC. *Qvare primum præponatur, & distribuatur in mensa cibus virginibus puellis.*

XCI. *Cur magi præstigiis suis virgines & pueros, castosqve adhibeant.*

XCII. *Qvid significetur per illam picturam, qva unicornu in sinu virginis reqviescens pingitur.*

XCIII. *Qvid significetur per* 10. *virgines partim sapientes, partim fatuas. Matth.* 25.

XCIV. *Qvid per perpetuam virginitatem Minervæ antiqvi fabulose significare voluerint.*

XCV. *Qvid per perpetuam Dianæ virginitatem antiqvi significare voluerint.*

XCVI. *Qvid per perpetuam virginitatem Vestæ antiqvi indicare voluerint.*

XCVII. *Qvid per virgines, illas statuas, Pantheon illud Romæ sustinentes, architecti significare voluerint.*

XCVIII. De *bonis nominibus puellis virginibus imponendis.*

XCIX. *Qvi fiat, qvod lis sit cum forma magna pudicitiæ.*

C. *de virginum vestitu olim.*

CI.

CI. *Urbes per quam celebres à virginibus nomen sortita.*

CII. *De stirpibus plantisve à* Divis *vel sanctis virginibus denominatis.*

CIII. *De mari, fluminibus & fontibus à virginibus denominatis.*

CIV. D*e aqua virginis Roma.*

CV. *Quid per tres Charites virgines manibus inter se junctis pictas veteres significare voluerunt.*

CVI. *Quæ regiones, urbes, loca, &c. subsint signo virginis.*

CVII. *Quæ membra hominis subsint Virgini.*

CVIII. *Planeta sive constellatio pueri puellæq; nati natæve sub virgine.*

CIX. C*ur apud veteres signum virginis vitem aversari credebatur.*

CX. *Unde cera membrana & mel virginis dicatur.*

CXI. *Virgines laudatæ in sacris.*

CXII. *Virgines culpatæ in sacris.*

CXIII. *Virgines laudatæ ab Ecclesiasticis historicis.*

CXIV. *Virgines laudatæ à prophanis scriptoribus.*

CXV. *De Sibyllis virginibus divinantibus.*

CXVI. D*e puellis virginibus in mares mutatis.*

CXVII. *Quid protendant somnia de virginibus.*

CXVIII.

CXVIII. *An omnes fuerint virgines in turba & societate S. Ursulæ.*

CXIX. *Expositio l. 6. §. 1. l. 34. ff. de adult. §. item l. Julia. Inst. de publ. judic.*

CXX. *Expositio dicti Jobi c. 31.*

CXXI. *Expositio dicti Lichtenbergeri, &c.*

CXXII. *Quæ terra per virginem denotatur.*

CXXIII. *Expositio vers. apud Catullum.*

CXXIV. *Expositio dicti* Baldi *&c.*

DXXV. *Expositio Levit. 21. c.*

CXXVI. De *falso credita cohabitatione puellarum in* Paradyso *à Mahometanis.*

CXXVII. *Expositio illius Hierem. Thren. 1. 6.*

CXXVIII. *Expositio versic. apud Gothfrid. Viterbiens.* Chron. p. 9.

CXXIX. *Expositio dicti:* A *juvene & cupido credatur reddita virgo.*

CXXX. *Num verè inter miserabiles personas reperiantur virgines.*

CXXXI. *An virgo dici queat sterilis.*

CXXXII. *Q.* Cui *sexui annumerandus Hermaproditus.*

CXXXIII. *Scorpio non tam citò fœminas lædit ac virgines.*

CXXXIV. *Apes non iciunt virgines.*

CXXXV.

CAPUT I.

De notatione nominis Virgo.

NOn conterendo tempus in perplexa de verbis controversia, qvæ Grammaticorum potius, qvàm JCtorum esse videtur, qvam & *Ulp. in l.* 1. §. *sed & sciend. ff. de ædil. edicto* aspernatur, brevibus rem aggrediemur. Dicitur autem virgo, à virtute, qvam omnes colere tenentur, præcipuè tamen ea in virginibus elucere debet. Vel ut virtus labi nescit, ita virgo intacta & illibata esse debet. Vel à viro, qvod infantilem ætatem egressa, nubilis esse potest, & viro conjungi. Unde & inter Græcos qvidam παρθένος virginem, qvòd significat διὰ τὸ παρακαταθέειν τὴν ἡλικίαν, dictam volunt; hoc est, qvia ætatem infantilem egressa est, ut nubilis esse possit. Vel à vigore, qvod ea ætate, qva dicuntur virgines, maximè vigeant puellæ. Vel ab ætate viridiori, sicut & virga. Vel dicitur virgo ab incorruptione, qvasi verago, qvòd veram ignorat fœmineam passionem *Isiodor. lib.* 11. *c.* 2.

CAPUT II.

De definitione virginis, & virginitatis.

EST autem virgo, qvæ virum non cognovit. Et est virginitas stat⁹ intactus, seu incorruptus.

Hic ſciendum, ſecundum *Richard. in 4. diſtinct. 33.* dupliciter ſumi virginitatem. Primo modo, improprie, pro integritate carnis, & ſic qvilibet noſcitur virgo, & iſtud non eſt virtus. Secundo modo, virginitas ſumitur pro habitu, qvo voluntas determinatur ad reſpuendam prompte & faciliter omnem delectationem Veneream, etiam licitam, ut mens liberius ſpiritualibus vacet, qvia, ut dicitur *1. Cor. 7.* Virgo cogitat, qvæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu, & hæc eſt virtus & diffinitur ab Auſtino *libr. de nupt.* Virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, id eſt, qvod virgo debet gerere in propoſito, ut in hoc perſeveret perpetuo, & ex hoc patet, qvod integritas carnis non eſt de eſſentia virginitatis, ſed eſt qvidam decor ejus accidentalis, extrinſecus exiſtens, qvi perdi poteſt ſine diminutione virtutis virginitatis, ut *patet 32. q. 5. in pr. & c. tollerabilis.*

CAPUT III.

Num virginitas præferenda matrimonio?

IPſa virginitas miraculum eſt. Et adeo miraculum eſſe cenſetur vera caſtitas, ut præponatur etiam lapſis pœnitentibus hoc ipſo genere. Nam caſtitas perdita nunqvam reparari poteſt, vixqve ab ipſa divina poteſtate. Itaqve major corona eſt virginum, & continentium, qvam conjugatorum. Et tanta eſt differentia inter ſtatum virginalem & Matrimonium,

um, & tanto acceptior est Deo virginitas, qvanto magis grati & accepti fuêre Adamus & Eva in Paradiso ante peccatum, & qvantò homines superiores animalibus, & qvanto eminentior est status Angelorum cœlestium, statu hominum terrestrium. Hinc S. Hieronym. in expositione dicti Psalmi? *Homines & jumenta salvabis Domine*: Per homines, inqvit, intelliguntur solæ virgines, & per jumenta reliqvi omnes. Ulterius status Virginalis excellit & superat matrimonium, qvantum gloriosissima & purissima virgo Maria superat Evam, *Basilius Gradi de Ragusa in tractatu Italico Della virginita c.* 6. & secundum Apostolum 1.*Cor*. 7. tanta est differentia inter matrimonium & virginitatem, qvanta est inter. Non peccare & benefacere, Bonum & Melius *Papa Gregorius VII.* prætulit statum Virginitatis matrimonio & in synod. peculiari sacerdotibus matrimonio interdixit *David. Stumpf. in instit. conjug. c.* 1. & cur à mulieribus & omni libidinis usu mundi debeant esse sancti altaris ministri, legatur *Speculum concubinariorum Henrici Cuyckii c.* 17. Concilium Tridentinum sessione 8. *can.* 10. Si qvis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, & non esse melius ac beatius, manere in virginitate, aut cœlibatu, qvam jungi matrimonio, anathema sit. Canonem huncce tuetur seqventibus scripturis.

1.*Cor*.7. Nupta curat, qvæ sunt mundi, cœlebs qvæ sunt Domini.

1. *Cor.* 7. Ne fraudetis vos invicem, nisi forte ex consensu,ut vacetis jejunio & orationi.

1. *Reg.* 2. Abimelech interrogat Davidem, priusqvam ministros ejus ad vescendos panes propositionis velit admittere, an mundi sint à mulieribus & David respondit: Si de mulieribus agitur, illæ jam per triduum à nobis separatæ fuerunt.

1. *Cor.* 7. Hoc dico secundum veniam, non secundum præceptum, sed venia non conceditur nisi rei vitiosæ.

Sapient. 2. Felix,sterilis & incoinqvinata,qvæ nescivit thorum, in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

1. *Cor.* 7. Bonum est,si sic permanserint, &c. qvi non elocat, melius facit. Beatior erit, si sic permanserit.

Matthæi 19. Sunt Eunuchi, qvi se castraverunt propter regnum cœlorum.

Esaiæ 56. Non dicat Eunuchus: Ego lignum aridum.

Apoc. 14. Cantant qvasi canticum novum, qvod nemo poterat discere,ii sunt qvi cum mulieribus non sunt coinqvinati. Virgines enim sunt,ii seqvuntur agnum,qvocunqve ierit, sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Syrach 26. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.

Albertus Magnus de muliere forti c. Thau. §. 1. Continentia, inqvit, habet fructum triplicem, scilicet centesimum in virginibus, sexagesimum

mum in viduis, & tricesimum in conjugatis.

Ad prædictas scripturas videatur *Chemnitius in examine decreti concil. parte 3. de cælibatu & virginitate c. 1. 2. 3.*

CAPUT IV.

Qvare citius pubescant fœmellæ qvàm masculis?

RESP. *Gl. in l. 2. C. de his qvi ven. ætat. impet. ibiq; Accurs.* Qvod mala herba citò crescit, & cito citius est subdola mulier, & avara *l. sed si ego in fin. ff. ad Vellejan.* Nam regula naturalis est, qvanto longius res habet esse, tantò tardius ad perfectionem pervenit, & è contra, qvantò brevius, tantò maturius ad perfectionem devenit. Patet hoc in plantis & brutis. Sed vir longius habet esse, qvàm mulier, ideo tardius ad perfectionem devenit, qvàm mulier, & ideo citius subdola & sagatior efficitur, qvod carmine redditum:

Ut lolium segetes crescendo vincit & altè
Emicat hortorum carduus inter opes.
Fœmina sic maribus citius consurgit in auras,
Fœmina non ullum ferre parata modum.
Nimirum parvæ crescunt velocius herbæ,
Fœmine qvas inter connumeranda venit.

Franciscus Chambonus in vocab. jur. verb. Emtis venia. Alii dicunt, qvod frigidior homo de mundo est calidior calidiori muliere de mundo, & ideo mulieres min' vivunt & citius consumuntur. Qvantò igitur facilius & citius consumun-

tur, tanto citius perficiuntur & crescunt. Vel dic, qvod mulier est callidior & ingeniosior homine, unde & facilius impetrat veniam ætatis, puta in 18. anno & homo in 20. *C.d.t.dict.l.2.* Sed & est alia ratio. Qvia facilius est pati qvam agere, ut vult *Hostiensis*, *Borch.in tract.de gradibus fol.94.* hanc dat rationem, qvod ætatis mutatio in masculo regulariter fit per septenarium, in fœmina per senarium, ut *Clemens Alexandrius ex Solone notavit in 6.* στρωματέων qvod & eleganter ex climacterum consideratione elicit *Bodinus lib.4.c.2.* Accedit calidior sangvis in fœmina, §. *cum igitur, Auth. de non eligend.* Non tamen ex eo præexcellentia qvædam sexus fœminei putanda, ut putavit *Ho. Cornelius Agrippa in orat. sua de præexcell.sexus fœmin.ad Margaritam Austriacam*, qvam tamen potius, ut & alia sua plurima, ad pompam & ostentationem ingenii qvam veritatem scripsisse videtur; semper enim deterior habita est conditio fœminarum qvam masculorum *l. in multis de legib.*

CAPUT V.

Qvando virgo credatur pubertati proxima.

Est utiqve, qvi decimum & dimidium excesserit annum, si sit masculus, fœmina vero pubertati proxima, si nonum annum cum dimidio compleverit. Gl. notab. & singularis in §. *pupillus in verbo infantia. Instit.de inutil.stipul. in l. pupillam. ff.de R.J.* qvas esse communiter receptas asserit *Jason.inproperand.* §. *& si quidem, n.1.*

C.

C. de judic.Soc.n.in l. .*§.adipiscimur ff.de adqvir.poss. Anchor. in d.* §.*pupillus. Decius & Cagnola in d.l. pupillam.Coras.miscell.jur.lib.6.c.23.Natta cons.434 n.16.vol. 2. Emanuel in suo Thesauro lit.* P. *n.* 357. accedente semper judicis arbitrio. *Joh.Fab. in d.§.pupillus Butr. in c. attestationes de desponsat.impub.Salicet.in l. impunitas*, C.*de pœn. Vigl. in* §. *testes n.* 11.*Instit. de Testam.Didac.in clem.si furiosus in pr. 3.part.n.*;.*Duen.reg.*259.*limit.*5. Tria autem considerabit bonus & æqvus judex. Facti qvalitatem, personæ conditionem. Qvalitatem loci & regionis. Nam pueros Normannos & Longobardos callidos appellat, *Gl. in l. seqvitur* §. *pupillus ff. de usuc.* Versutos appellat Hispanos, *Gl. in l. dotem.*C. *de dolo* Sclavones mortalium neqviores. *Odofredus in l. Julianus, ff. de action. emti.Gomez.in* §.*sic itaq; n.* 19. *de action.* Catalonos proditores & pacis fractores *Bald in.c.* I. *de pact. Boer. q.*179. *in fin. Menoch. de arbitr. cas.* 57.*n.* 49. E contra Gallos sui natura stolidos, Syros avaros & Scythas immanes, Siculos acutos, Asiaticos luxuriosos, Italos Regales, Hispanos elatæ jactantiæ. *Jul. Matern. in Astronom. Petrus Crinitus de honest. disciplin.lib.1.c.* 7. qvæ omnia doctè collegit *Vinc. Carroc. in tract. de minor. in delict. excus. q.* 23. Et exclamat *Mars. in l. infans.ff.de sicar. n.* 3. qvod defecerunt ætates, & illud, qvod ante scribere soliti sunt autores circa vitia, & defect⁹ in 15. anno, faciunt nunc infantes *in* 5. ut ludere ad taxillos, & alios ludos prohibitos, & decipiunt ludentes secū.Idem *in l.si qvis re.*

C. eod. qvales sunt illi, qvos Lombardia Normandia & Roma generat, *Vincent. Carocc. de minor. q. 7. num. 1.*

CAPUT VI.

Qvando virgo censeatur viripotens?

OLim & tempore Imperatoris Justiniani aspectus corporis in usu erat, verùm id cum inverecundum oculis & auribus duceret Justinianus, mutavit & pubertatem in masculis post decimum qvartum annum completum illicò initium accipere disposuit, antiqvitatis normam, in fœminis bene positam, in suo ordine relinqvens, ut post 12. annos completos viripotentes esse credantur Instit. tit. Qvibus modis tutel. finit. qva de causa non membra, qvæ natura occultavit, sed ætas spectanda est Cornel. Vibius *l. fin. C. qvando tut. vel cura esse desierit,* facit ad hoc *Instit. de nupt. in pr.* ibi Fœminæ autem viripotentes, ibiqve *Accurs.* Sponsalia tamen ante pubertatem anno septimo celebrare possunt puellæ, *l. in sponsal. ff. in sponsal. c. literas c. accessit, c. duo de spons. impub.* nuptiæ verò ad tempus pubertatis usq; differuntur, & si intra dictum tempus uxorem qvis acceperit, tunc erit uxor, cum ad ætatem prædictam pervenerit, *in minorem ff. de ritu nupt.* Qvamvis additio *Instit. de loc. hanc gl.* non bene loqvi dicat, nam licet qvo ad tutelas & testamenta ille appellatur puber, qvi 14 annum complevit, si vir sit, aut 12. si mulier, qvo tamen ad matrimonia contrahenda appellantur puberes, qvàm primum coire possunt. Non igi-

igitur in matrimonio copulando pubertas cognoſcitur ex annorum numero, ſed ex poteſtate coeundi *c. puberes extr. de ſponſal. impub. ſecundum Chriſtoph.* Inveniuntur enim ante illam ætatem qvæ procrearunt, in qvibus malitia ætatem ſupplevit, ut dicit *text. in l. 3. C. ſi min. ſi major. dix. c. de illis el. 2. & c. fin. de deſponſat. impub. & c. 1. eod. tit. in 6.* prout ſunt illi, qvos Lombardia, Normandia & Roma generat, qvi ſciunt mentiri & verum dicere, qvia militia ſeu prudentia ſupplet. ætatem *gl. in verb. animum, in leg. ſeqvitur ff. de uſucap. Auguſtinus in Epiſt. ad Renatum Episc. relata per Gloſſ. in c. parvuli de conſecrat. diſt. 4. & in c. 1. de delict puer. allegat. Sebaſt. Vant. tr. de nullit. ex defectu inhabil. n. 7.* Salomonem regē undecim tantum annis natum Roboā genuiſſe, & Pharez filium Judæ 9. ætatis anno Eſronem filium ſuſcepiſſe, & Achaz Ezechiam anno decimo, & Haran Lothum octavo, & Jeſram filiam nono, Hebræorum monumenta teſtantur. Seder Olam Hebræorum citatus à Genebrardo in Chronologia, & mulierem à decenni puero gravidam factam eſſe D. Hieronymus literis conſignavit, epiſtola ad Vitalem. Verum Imp. Majeſtas non ad factum qvarundam virginum & malitiam reſpexit, ſed potius ad honeſtatem, & qvicqvid fit in aliqvibus, JConſultus non attendit de eo, qvod bis aut ter fit, ſed qvod plerumqve *l. nam ad ea 5. l. τὸ γδ ἅπαξ 6. ff. de legib. & Senatus Conſ.*

CAPUT VII.

Num afferenti ſe virginem, credatur?

QVum hodie malitia regnet ubiqve, ego in hoc puncto potius cum Auguſtino teneo: Melius eſt dubitare de occultis, qvam litigare de incertis, & an ſit virgo adeo eſt in difficili ac pene impoſſibili cognitione, ut dicit *Cujac. obſervat. lib.* 17. *c.* 27. *Actius de infirmit. Rubric.* 20. *num.* 15. Aſt ad punctum Reſp. qvod ſic, mulieri enim in dubio prægnantem ſe aſſerenti creditur *ut not. Ang. in l. illud Gloſſ. ibid. Si pars hæredit. pet. Dd. ad l. Si qvis prægnantem* 148. *ff. de R. J. Maſcard. concl.* 1151. *incipiente, partus n.* 31. *& concluſ.* 1214. *incipiente, prægnantiæ*, ut favorabilior igitur eſt virginitas, eo mage probabilior & credibilior, cum qvilibet præſumatur bonus, donec probetur malus, ad excludendam ſuſpicionem delictorum, qvæ ſunt facti, ſicqve probationi ſubjiciuntur, argumento *c. miramur.* 61. *diſt. De præſumpt.* & prima facie qvis præſumitur bonus 11. *q.* 3. *injunctis de præſumt. l. cum pater.* §. *rogo ff. de legat.* 2. *ibiq; Gothfr. lit. y. alleg.* Alciad. 3. *præſumt.* 2. eodem modo qvilibet præſumitur ſolutus, donec probetur ligatus, *Joan Andr. ad reg. jur.* Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus in 6. Et magis creditur teſtibus deponentibus aliqvem eſſe ſanum, qvam dicentibus eſſe infirmum, ut poſt *Pariſ. con.* 88. *num.* 12. *libr.* 2. *dixit Portius conſ* 94. *num.* 16. Actius *de infirmitate Rubric.* 37. *num.* 16. Adſtipulatur & ſacratiſſimus Imperator Juſtinianus,

nus, qvando qvo ad æſtimationem pubertatis' inſpectionem habitudinis corporis, qvod in fœminis etiam antiqvis impudicum viſum eſt, rejicit & ſancta ſua conſtitutione certum tempus in utroqve determinavit ſexu pubertatis *Inſtit. qvib. modis tutel. finitur*, multo magis igitur inſpectionem ventris, qvo ad aſſertionem virginis, tacite abhorrere videtur, id qvod dignum eſſe caſtitate ſuorum temporum Imperat. Majeſtas exiſtimavit ib. Et *Rubr. de ventre inſpciendo ff. libr. 25. titul. 4.* loqvitur de mulieribus, & partu illarum, qvando ſubeſt periculum ſuppoſitionis, vel ſubjectiones, ut patet ex textu, ibi, Tria lumina, ne minu, ibi ſint, qvia tenebræ ad ſubjiciendum aptiores ſunt, publice enim intereſt partus non ſubjici, ut ordinum dignitas, familiarumqve ſalvat ſit. Novam rem deſiderare Rutilius Severus videtur, & ideo nemo mirabitur, ſi nos qvoqve novum conſilium & remedium ſuggeramus, inqvit *Ulpian, in principio, leg. 1 ff. eod.* Ideoq; ibi ob periculum ſubjectionis admittitur inſpectio ventris, qvæ in virgine haud concederetur, & communiter receptum, ut innupta virgo interim præſumatur, ita poſt *Abbat. in cap. 1. de adulter. Alexander. con. 229. n. 2. libro 6. Ruin. conſil. 199. n. 11. lib. 2. Bertrandus conſilio 135. & conſilio 158. l. ſecundo. Albert. conſ. 37. n. 2. Cravetta conſil. 166. n. 5. Clarus §. ſtuprum verſ. ſed pone Maſcardus de probat. conſ. 1410. n. 1. Menoch. de præſumt. l. 6. præſumt. 89. Dubitari ſæpe ſolet in princ. Ripa in tractatu de nocturno tempore Rub. 162. n. 16.*

CA-

CAPUT VIII.

Utrum credatur obstetricibus, aliqvam esse virginem?

OBstetricibus affirmantibus aliqvam esse virginem magis credendum est, qvàm totidem negantibus. *Rayn. de Forl. & Dd. in leg.* 1. §. *sed & siqvidem vel omnes ff. de ventr. inspic. licet Jacob. de Aret. ibi contra per gl. in l. diem §. si plures ff. de arbit.* Item contra Rayn. tenet. *Bar. in l. testium ult. col. ff. de testib.* qvod magis creditur dicentibus esse corruptam, qvàm dicentibus esse virginem, adeo nusqvam est virgo secundum Terentium & obstetrices deponentes de virginitate puellæ, debent reddere rationem sui dicti: Scimus qvia vidimus & inspeximus eam, secundum *Abbat. in cap. proposuit de præsumt.* Item creditur de prægnantia mulieris. *Angel. in l. illud. Si pars hæred. pet.* Sed qvot sint, qvi probent? *Spec. de teste §. restat. de numero vers. item in purgatione ib.* item tres obstetrices, qvod tres aut duæ tantum probent prægnantiam per *l.* 1. *ff. de ventre inspic.* Vel qvinqve qvando se prægnantem confitetur, qvia se spontè ingerens facit suspectam. *Specul. & Joh. Andr. ibid. per d. l.* 1. *Bertachin. in repertorio in lit. O. verbo obstetrix n. 2. & lit. V. verbo Venter. vers. pen.* Qvæ omnia procedere duco qvo ad testandam prægnantiam, sed qvo ad virginitatem magis, mihi placet opinio Bartholi.

CA-

CAPUT IX.

Num illibata censeatur pudicitia virginis, in cujus mamillis lac invenitur?

EUstathio παρθένος dicitur ἡ ἐρεβριμένη τῶ ϑηλῆς ἤγουν ϑηλάζειν, id est, Qvæ nondum lactat. Et unde oriatur lac, docent Phisici & Medici, nempe ex sangvine elaborato & cocto; sangvis enim ille opifex humani generis in penetralibus nato puero maternum pectus irrigat, & spiritu ac colore confotus albus fit, alimoniamq; similem lactenti puero præbet, qvum paulò ante in visceribus tradiderat. Amplius igitur haut virgo censenda, in cujus uberibus lac invenitur, dura etenim & tenuia virginum ubera esse convenit, indicium enim esse putant corruptæ fœminæ gravidæ, aut puerperæ, si lactarias habet mammas. Lactariæ enim mammæ certum dicuntur indicium, corruptam esse fœminam & gravidam & puerperam, nec amplius virginem; cum lac effectus sit, de floratæ, vitiatæ & gravidæ fœminæ aut puerperæ, qvo exemplo post alios utitur *Philippus Melanchthon. lib. 4. Dialectica in loco. A signis & Duaren in commentar. ad tit. de probat. cap. 3. non longe à pr. & lib. 1. disputat. anniv. cap. 27. vers. necessaria refert Henricus Bocerus tract. de qvæstionib. & tortur. c. 3. n. 18* Verum utrum in puellarum mamillis lac inveniatur, dubitatur? Hoc ipsum non fieri testatur *Hippocrates lib.* I. *de morb. mulierum*, qvemadmodû & in libro de natura hominis, ubi inqvit: Ubi

mulier peperit, lac ad mammas fertur, qvod confirmit *Ariſtotel. in lib. de hiſtor. animal.* dum ſcribit: Nulli animalium lac fieri, anteqvam uterum ferat: Hinc Laicorum illud: Virgo lac exprimit, concepit igitur aut peperit. E contra vero lac in virginum uberibus generari, nulla etiam facta conceptione teſtatur idem *Hippocr. ſect. 5. aphoriſm.* Si mulier, inqvit, qvæ neqve gravida eſt, neq; concepit, lac habet, & menſtrua defecerunt. Et teſtatur *Ariſtoteles*, qvemadmodum & *Cardanus*, qvod viros viderit, ex qvorum mamillis lac effluxerit, & qvi novum orbem luſtrarunt, viris ferè omnibus magnam lactis copiam in mamillis generari aſſerunt. Si igitur ſexui virili hoc ipſum obtingit, multo magis atqve facilius ipſis virginibus atq; mulieribus id ante conceptionem atqve viri complexum contingere poteſt, cum mamillæ earum multò ſint rariores, atqve ampliores atq; magis etiam grandulofæ, ſangvine etiam tanqvam cauſa materiali undiqve refertæ, calore etiam forti ut cauſa efficiente donatæ, idqve potiſſimum in virginibus provectioris ætatis, cum ubera ex venis thoracis ſangvine irrigantur, atqve cum pruritu pubeſcere incipiunt, & papillæ turgent, qvo tempore, ut *Hippocrates* inqvit, puellæ dicuntur κωαμίζειν, id eſt Fratrare ſive fraterculare *Ant. Laurent. lib. 9. Anatom. hiſt. q. 21* Probè autem in hoc caſu inqvirendum duco, num perſona ſiet bonæ famæ, an verò ſuſpectæ ex qvalibet cauſa & converſatione.

Rem

Rem ut novam & inauditam virginibus confitendam relinqvo. *Bald. enim in Rubr. de prob.* Fœmina, inqvit, præsumitur esse prægnans, si habet lac. Verum ego, inqvit Bocerus dict. loc. exemplum hoc adponerem potius verisimilibus indiciis, cum alia possit esse causa lactis mamillaris, ut virgineæ arguunt vaccæ, qvæ mulgentur anteqvam initorem admiserunt bovem, cui lubens assentior.

CAPUT X.

Num virgo, si lac habeat in mamillis, lactare qveat?

LAc qvandoqve in mamillis virginum inveniri testantur *Hippocrates Aristoteles & Cardanus*. Num vero lactare qveant, dubitatur. Deest etenim copia, deest verus usus, matribus siqvidem proprium est conceptum lacte tueri partum. Tum non ita tenue est, sed crassum & rarum, ut ad lactandum vix sufficiat. Hinc & Pontifex Rom. inter cæteros cibos tempore jejunii, qvo virginum instar puri & sinceri & ab omni carnis cogitatione semoti vivere jubemur, lac, ut sementinam originem à carne trahens, prohibet, & rarius invenitur virginem lactasse, qvam ætate provecta fœminam sobolem suscepisse.

CAPUT XI.

Num virgo stuprata, qvæ se pro virgine gerit, serta, corollas & alia virginum ornamenta gestare qveat?

REsp. *qvod non* Serta etenim & corollæ coronæqve ex floribus contextæ vigorem & flo-

florem pudicitiæ denotant, aurumqve ob splendorem suum virginitatem testatur. Graviter ergò peccat ea, qvæ se virginalibus ornamentis ostentat, cum virgo non siet Gl. 32. *q. 5. in princ. & in c. si Paulus, & in illud, ea caus. q. 2. Glos. in c. causam matrimonii in verbo privilegio, & ibid.* Panorm *in 2. col. de probat. & in c. illa ea, q. & per S. Thom. de Aqvino & Richard. 4. sentent. dist. 49.* argumento, Doctorem si qvis falsò se gesserit, ut falsarius punitur, ut ponit *Barthol. in l. qvisqvis* C. *de aqvæduct. lib.* 11. *& l. reddatur, de profess. & medic.* Baldin. *in l. data opera* C. *accus. non poss. & per eund.* Bartol. *in l. eos qvi*, §. *qvi se pro milite per illum text. ff. de fals. & idem* Bald. *in præscriptione, col.* 4 *& l. si & leg.* C. *si contra jus vel util. publ. cum simil. qvæ ponit Angel. cons. 93, visis. col. 2. allegat. Sebast. Vant. de nullit. c. de nullit. sent. ex inhabilit. n. 69. pag. mihi 368.* Distinctas etenim semper fuisse vestes ancillarum, matronarum & meretricum apparet ex *Horat.* 1. *serm. sat. 2. & Tertul. ne cultu fœmin.* talis enim qvis esse præsumitur, in qvali habitu reperitur *Bartolus in leg. item apud Labeonem* 15. §. *si qvis virgines ff. de injur, ibid.* Si qvis virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur, multò minus si meretricia veste fœminæ non matrum familiarum vestitæ fuissent, &c. ideoqve non tam gravis injuria fit matronæ, cum ancillari aut meretricia veste induitur, qvam cum stolam suam gestat. Peccat enim, qvæ aliena veste utitur & injuriæ sibi faciendæ

endæ causam præbet. Exemplum in jure nostro præbuit Barbarius ille Philippus, qvi servus fugitivus Romæ se pro libero gerens Præturam petiit & prætor designatus est, *leg 3. ff. de offic. prætor.* aliud mirabilius traditur ab historicis, de virgine Johann. VII. vel VIII. Papa, qvæ virgo (si tamen vera illa historia est, semper enim mihi suspecta fuit) habitu virili malis artibus Pontificatum adepta dicitur. *Hippol. Bonacassa, de servis & famul. ad pontificem Gregorium XIII. part. 2. Cornel. Agrippa in de vanitat. scient. cap. 62. de sectis monasticis.* Idem *in orat. de praexcellentia sexus fœminar. de qvo ego uberius in centur.* 1. *decision.* 8. *egi.* ne igitur nimius in re minus necessaria videar, consulto hîc prætereo.

CAPUT XII.

Num virgo sine virili semine concipere & prægnari qveat?

EXcepta sola B. Maria, qvæ virgo concepit, virgo peperit, virgoqve post partum mansit, insolitum & inauditum, imo impossibile est illud. Duo enim ad illud opus reqviruntur, agens unum mas videl. patiens alterum fœmina, &c. *Arist.* verò *in Probl.* suis exemplum de qvadam puella refert, qvæ virile semen in balneo emissum adhauserit, ex eoqve prægnans facta fuerit. Verum ab omnibus pro falso & figmento reputatur hoc, ut & illud, qvod de admirabili eqvorum alacritate *apud Vettones Hispaniæ populos* scribunt, qvorum matres ad Zephyrum

versæ, sine mare concipere dicuntur. Nam nisi utriusqve seminis excretio simul fiat, ne concipi qvidem potest, ac ne qvidem, si alterum paulò pòst. Nam ita prius vel effluit interea, aut commisceri cum priore non potest, si jam constiterit. Qvid facilius deinde qvam omnes impudicos concubitus, hoc modo palliare licebit, viduis, virginibus, matronis absentibus viris impunè facere, qvod velint, modo aliqvando laverint. Et si absqve congressu viri mulier concipere qveat, non esset miraculum in Maria, de qva cantus resonat: Sine virili semine: innuendo in aliis omnibus reqviri. Ferunt autem *Nauclerus vol. 2. Gen. 15. & Vincentius in speculo historiali lib. 21. c.* 30. Merlinum istum Angelum ex virgine vestali & incubo natum. Judicium fiet penes benevolum Lectorem.

CAPUT XIII.

Num virgo ex sese imprægnari qveat?

QVilibet homo, in qvo luxus exaltatur, polluitur eo, hoc est, emittit eum in terram vel retinet. Qvam primum autem Sperma generatum est, & non emittitur ut decet, putrefactio adest. Sæpissimè autem in virginibus talis luxus oritur, & crescit, & tendit ad cursum, sed non omni tempore emittitur, hoc est, evenit ut congelascat ut urina, qvæ non semper exit, sed subsistit: ubi tale Sperma exitum non habet, tum manet in sua terra & digeritur in matrice, qvæ proprius locus ejus est. Verùm verum semen

men deeſt, ex eo ſeqvitur *Mola*, morbus, ut uterus tumeſcat, ac ſi eſſet prægnans, & tamen non eſt, ſed ex proprio ſpermate impraegnatur, ſicut gallinæ per ſe facultatem habent gignendi ova ſubventanea. Eatenus hic morbus etiam virginibus poteſt accidere. Hunc morbum Conſiſtoriales apud Medicos inqvirant, ne innocentes virgines & honeſtæ matronæ hoc malo laborantes ab ipſis injuſtò de ſuſpecta pudicitia condemnentur, qva de re conſulendus eſt *Hippocrates, Galenus, Actuarius, Ægineta & alii Græci ſcriptores & Plinius libr. 7. c. 17. libr. 10. c. 64. Friſ. in Specul. part. 5. lib. 2. tract. 1. cap. 8. Rolandus de Thermis fol.* 192. *Colerus Oecon. p. 6. lib. 18. cap.* 114. *Jacobus Theodorus, Tabernæmont. in lib. Medic. part. 3. c. 19. §. 14. De Mola David Herlicius de cura gravidar. & puerperar. c. 5. De Mola.*

CAPUT XIV.

Num ſcire ſcribere melius ſit, aut neſcire virgini?

ADdubitavit *Johann. Charlet. Gerſonenſis Theologus*, prout eum refert, *Petrus Gothofredus de amoribus, lib. 2. cap. 9.* propter commoda varia atqve incommoda, qvæ inſunt, ſciat vel neſciat, ipſe Gothofredus cenſet puellas non eſſe imbuendas à parentibus ſcribendi arte, vel eas qvidem qvæ deſtinantur marito. Qvam addubitationem Gerſonenſis eadem commoda & incommoda, qvæ fœmineo ſexui inſidiantur, ſive ſciat, ſive neſciat, eodem modo tollunt. Qvid enim,

qvæſo,litteris mandari poteſt,qvod non eodemeoqve faciliori,occultioriqve modo nunciis mediantibus mulierculis vetulis referri & expediri poſſit? Et videtur diſtinctio Gothofredi magis ad affirmativam accedere: cum etenim hæc ars plerumqve &,ut plurimum in juvenilibus addiſcatur annis,qvis qvæſo, augurabitur hancce deſtinatam viro, illam ſolam frigido in lecto jacituram? Auffert præterea exercitium devotæ mentis & cogitationum monialium. Et nonne doctiſſimæ extitere fœminæ, qvæ dubio procul artis ſcribendi imperitæ haud fuere,qvod etiamnum earum ſcripta commendant, contra Martialem,qvi vult, ut non ſit doctiſſima conjux, alludere viſus vulgari proverbio, qvo habetur: Mulieri qvæ latinè loqvi novit,& puero cui vinum eſt bonum, non futurum finem bonum. Ut Cornificia Poëta ſub Octaviano Auguſto,cujus adhuc epigrammata vigent, ut refert *Urſper.f. mihi 89.* *Sappho Lesbia* adoleſcens, qvæ multis vatibus Græcis non inferior & doctè & ſvaviter verſus ſublimi ingenio ceciniſſe non contenta, etiam Sapphici carminis inventrix extitit & Sapphicum illi nomen primum indidit. Hanc imitata ex *Erynna Rhodia*, cujus poëma Doricum excellentia carminis etiam cum Homero contendiſſe ferunt. Pariter Corynna qvoqve *ut Svidas ſcribit* Thebis de poëſi cum Pindaro contenderat,qvem qvinqvies gloria rara ſuperarat. *Rolbagius in certamin. maſculo fœmin.* I. c. 14.plura exempla refert, ubi allegat. *l.*

qvi

qvi filium ff. ubi pupillus educari. Augustus Octavius ut in ludum litterarium non ſolum ingenui pueri, ſed & virgines nondum adultæ litteris & bonis diſciplinis formandæ ventitarent, inſtituit. Eligebaturqve aliqva matrona inſignis ſpectatæ virtutis toto generi propinqva, aut vir graviſſimæ diſciplinæ, cujus ſanctitate & moribus tota familia & infantilis cognatio bonarum artium cupiens imbueretur, ut teſtatur *Alex. ab Alexandro. Gen. dier. lib. 2. c. 25.* celebris eſt, *Roſuitta Germana* illuſtris virgo, qvæ metro geſta conſcripſit Othonis I. Imp. & jam impreſſum opus circumfertur. Nec pigebit referre Aloyſiam Sigæam virginem Toletanam, qvæ cum ſui ævi doctiſſimis viris conferri poſſet, fuiſſeqve qvinq; lingvarum adeo peritam, ut non immerito Paulus III. Pont. max. litteras illius ad ſe ſcriptas videns Latinè, Græcè, Hebraicè, Syriacè & Arabicè admiratus fuerit in tenella hac & muſtea virgine tam multiplicem ingenii fructum in viris etiam rarum, prout teſtatur *Ludovicus Nonius in Hiſpania c. 59.* Olympia illa Fulvia Morata æviternum in Myrtilleto monumentum ob rei litterariæ ſcientiam adepta eſt. &c. & noſtro ſeculo Eliſabetha Johanna Weſtonia Anglica virgo floret, cujus carmina ad Imp. Rudolphum II. in omnium verſantur manibus. Hujus ſeculi nova Phœnix viſa *Juliana Morella Barchinonenſis* virgo Hiſpana tribus illis maximè inſignibus lingvis Latina, Græca & Hebræa, earumqve characteribus, ſicuti Hiſpa-

nicis, Gallicis & Italicis ſcitè pingendis muſicisqve inſtrumentis exercita, qvam ſuperioribus annis Lugduni ad confluentiam Saonæ & Rhodani ſalutavi, doctrinam ejus obſtupui, & verſu Heroico condecoravi. Contrarium tenere videtur, *Bertach. in repertorio lit. L. verbo Littera, & ibi Æmilius Maria Manoleſſus ante n. 70.* qvod videlicet virgines non ſint imbuendæ arte ſcribendi, dum literas amatorias ab adoleſcente mulieri & à muliere adoleſcenti ſcriptas apertum adulterium indicare ſcribit, allegans *l. Publia, ff. depoſiti, ſed certè illa in eo caſu nihil habet ulterius l. cum de indebito ff. de probat. Felinus in c. ſcripta n. 12. de fide inſtrum. illuſtriſſ. Cardin. Pariſ. conſ. 54. n. 64. vol 4. Joannes Tinrulus Peruſinus in viridario Philoſophico de diſcendo* aſſeverat & fœminas eſſe ad diſcendum habiles, cum & ipſæ mentis ſint participes: ſed ſi cum viris comparentur ineptas & inhabiles omninò eſſe dicendas. Degenerat enim in eis natura, ita ut fœminæ veluti monſtra ſint, ut ex *Ariſtot. colligitur lib. 4. de generat. animal. c. 3. Unde idem Philoſophus 2. lib. ejusdem oper. c. item tertio,* fœminam eſſe dixit, veluti Marem læſum & mutilatum: τὸ γὰρ (inqvit) θῆλυ ὥσπερ ἐστιν ἄῤῥεν πεπηρωμένον.

CAPUT XV.

Num condeceat virgines ſcire ludere cartis, taxillis, cythara, &c.

Ludere chartis, taxillis, cythara, &c. affirmare

mare non ausim, cum iis homines tempus ipsum non tam conterere, qvàm potius sua sponte tanqvam satis currentem eqvum, ut in proverbio est, stimulis agere solent Aristot. 8. Polit. non attento, qvod talis & tesseris ludere sortiri est, cum nemo ad istos ludos accedat indagandæ veritatis causa, sed solum qvantum velit pecuniarum in eventum chartarum aut talorum periclitetur, haut secus aut si qvis de canis aut eqvi cursu pignore certaret, hæc igitur si illicita sunt, omnes similiter pignoribus concertationes, qvæ de incertis rerum eventibus instituuntur, illicitas esse oportet, ad juvenes propriè pertinent, ad corporis & animi exercitationem, nonnunqvam enim illa loca supplere solent, qvæ si vacua essent, otiosis ac perniciosis occupationibus nimium paterent, qvia nihil potest esse vacuum. Talorum vero ludus, qvi à fortuna, vel à versatili manu & collusoria jacentium arte totus pendet, perditis decoctoribus & prodigis militibus magis convenit, qvi ad Tympani sonitum omnia sua exponunt *Jacobus Angliæ & Scotiæ rex in* βασιλικῷ δώρῳ *ad filium suum lib.* 3. Qvid? qvod inter ludendum obscœna proferuntur verba, qvæ non proficit scire virgines. Qvid? qvod Cythara demulcet & emollit animos, levesqve virginum choros leviores reddit, pudicitiam abigit, prætereo reliqva incommoda, qvæ exinde facile oriri possunt magistro enim opus habent, qvi manum rudem dirigat ad tactum. Occasio facit furem.

 De

De alea *Patritius Senensis de regno & regis instit. lib. 3. c. 19. de calculorum sive latronum ludo lib. 3. 12. Bertachinus in repertorio lit. L. verb. lusus n. 21.* Ludus Cytharæ permittitur etiam Clericis, qvia David justus pulsavit cytharam & chorizavit; qvod verùm in occulto non palam secundùm Abbat. *in c. cum decorem, de vita & honest. cleric.* Alearum verò ludus ita clericis prohibetur, ut non valeat contraria consvetudo, etiamsi ludatur respectu cujusdam voluptatis, *Abbas in c. Clerici extr. de vita & honest. cler. Actius in tr. de ludo Schach. q. 4. p. r. n. 16.* nisi sint infirmi & recreationis gratia ludant: tunc enim excusantur, ut *per Capram in suis regul. reg. 86. n. 40. Actius de infirmit. p. 2. lit. A. verbo alearum ludus.*

CAPUT XVI.

Num illibata censeatur pudicitia virginis ex convictu spectaculis publicis, balneis & saltationibus? &c.

DE convictu latius egi in *Linea amoris c. 3.* ideo ne hicce longior sim, eò benivolum Lectorem selego. Plutarchus in Apopht. tradit apud Lacedæmonios prohibitum fuisse mulieribus ad comœdiarum spectacula pergere. Fuit & ille mos Græcis, ut testatur *Æmilius Probus* in procemio vit. Imp. ubi Romanos maximè abominasse tradit, qvod mulieres ad spectacula publica interessent. *Unde Theodosius & Valentinianus in l. consensu 8. §. vir qvoq; C. de repudiis,* enumerant inter causas, ob qvas vir uxorem repudiare

pudiare poteſt, ſi uxor Circenſibus vel Theatralibus, vel arenarum ludis & ſpectaculis in illis locis, in qvibus hæc aſſolent, celebrari, marito prohibente fuerit. Et *Octavius Auguſtus teſte Svetonio in illius vita c. 44.* Athletarũ ſpectaculo muliebrem ſexum omnem adeò ſummovit, ut in Pontificalibꝰ ludis pugilum par poſtulatum diſtulerat in ſeqventis diei matutinum tempus, edixeritqve mulieres ante horam qvintam venire in theatrum non placere.

Ita P. Sempronius Sophus conjugem repudii nota affecit non ob aliam cauſam, qvam qvod ipſo ignorante ludos ſpectare auſa eſſet, ut refert *Valer. Maximus lib. 6. c. 5.* Sulpitius Gedelius uxorem, qvæ aperto capite proceſſerat in publicum, repudiavit arbitratus illi, niſi ut ſoli viro placeret, curæ haut eſſe debere. Qvid Actæonem in cervum mutavit, niſi inſcia ſine veſte Dianæ in balneis viſio? *Ovidius lib. 3. Metamorph.* Qvid Bathſabeæ publica lavatio effecit? Homicidium & adulterium, crimina ſumma à ſummo perpetrata rege. Et balnea intrare religioſis conceſſum non videtur, niſi ratione infirmitatis ſimilisve neceſſitatis, ut *poſt gl. in c. omnis 24. qvæſt. prima ſcripſit Summa Sylveſtr. in verbo Balneum numero 2. Summa Angelica in verbo Balneum*, §. 1. *Aëtius de infirmitate pag. 2. lit. B.* Qvis ſpectaculorum illorum à Romulo inſtitutorum finis? Raptus Sabinarum virginum: Qvanta fiet vanitas ſaltationum, ſatis attigit *Cornelius Agrippa in libello ſuo de vanitat. ſcient. cap.*

CAPUT VIII.

Utrum credatur obstetricibus, aliqvam esse virginem?

OBstetricibus affirmantibus aliqvam esse virginem magis credendum est, qvàm totidem negantibus. *Rayn. de Forl. & Dd. in leg.* 1. §. *sed & siqvidem vel omnes ff. de ventr. inspic. licet Jacob. de Aret. ibi contra per gl. in l. diem* §. *si plures ff. de arbit.* Item contra Rayn. tenet. *Bar. in l. testium ult. col. ff. de testib.* qvod magis creditur dicentibus esse corruptam, qvàm dicentibus esse virginem, adeo nusqvam est virgo secundum Terentium & obstetrices deponentes de virginitate puellæ, debent reddere rationem sui dicti: Scimus qvia vidimus & inspeximus eam, secundum *Abbat. in cap. proposuit de præsumt.* Item creditur de prægnantia mulieris. *Angel. in l. illud. Si pars hæred. pet.* Sed qvot sint, qvi probent? *Spec. de teste* §. *restat. de numero vers. item in purgatione ib.* item tres obstetrices, qvod tres aut duæ tantum probent prægnantiam per *l.* 1. *ff. de ventre inspic.* Vel qvinqve qvando se prægnantem confitetur, qvia se spontè ingerens facit suspectam. *Specul. & Joh. Andr. ibid. per d. l.* 1. *Bertachin. in reportorio in lit. O. verbo obstetrix n.* 2. *& lit. V. verbo Venter. vers. pen.* Qvæ omnia procedere duco qvo ad testandam prægnantiam, sed qvo ad virginitatem magis, mihi placet opinio Bartholi.

CAPUT IX.

Num illibata censeatur pudicitia virginis, in cujus mamillis lac invenitur?

EUſtathio παρθένος dicitur ἡ ἐρρημένη τοῦ θηλῆς ἤγουν θηλάζειν, id eſt, Qvæ nondum lactat. Et unde oriatur lac, docent Phiſici & Medici, nempe ex ſangvine elaborato & cocto; ſangvis enim ille opifex humani generis in penetralibus nato puero maternum pectus irrigat, & ſpiritu ac colore confotus albus fit, alimoniamq; ſimilem lactenti puero præbet, qvum paulò ante in viſceribus tradiderat. Amplius igitur haut virgo cenſenda, in cujus uberibus lac invenitur, dura etenim & tenuia virginum ubera eſſe convenit, indicium enim eſſe putant corruptæ fœminæ gravidæ, aut puerperæ, ſi lactarias habet mammas. Lactariæ enim mammæ certum dicuntur indicium, corruptam eſſe fœminam & gravidam & puerperam, nec amplius virginem; cum lac effectus ſit, defloratæ, vitiatæ & gravidæ fœminæ aut puerperæ, qvo exemplo poſt alios utitur *Philippus Melanchthon. lib. 4. Dialectica in loco. A ſignis & Duaren. in commentar. ad tit. de probat. cap. 3. non longe à pr. & lib. 1. diſputat. anniv. cap. 27. verſ. neceſſaria refert Henricus Bocerus tract. de qvæſtionib. & tortur. c. 3. n. 18* Verum utrum in puellarum mamillis lac inveniatur, dubitatur? Hoc ipſum non fieri teſtatur *Hippocrates lib. 1. de morb. mulierum*, qvemadmodũ & in libro de natura hominis, ubi inqvit: Ubi mu-

mulier peperit, lac ad mammas fertur, qvod confirmit *Aristotel. in lib. de histor. animal.* dum scribit: Nulli animalium lac fieri, anteqvam uterum ferat: Hinc Laicorum illud: Virgo lac exprimit, concepit igitur aut peperit. E contrà vero lac in virginum uberibus generari, nulla etiam facta conceptione testatur idem *Hippocr. sect. 5. aphorism.* Si mulier, inqvit, qvæ neqve gravida est, neq; concepit, lac habet, & menstrua defecerunt. Et testatur *Aristoteles*, qvemadmodum & *Cardanus*, qvod viros viderit, ex qvorum mamillis lac effluxerit, & qvi novum orbem lustrarunt, viris ferè omnibus magnam lactis copiam in mamillis generari asserunt. Si igitur sexui virili hoc ipsum obtingit, multo magis atqve facilius ipsis virginibus atq; mulieribus id ante conceptionem atqve viri complexum contingere potest, cum mamillæ earum multò sint rariores, atqve ampliores atq; magis etiam grandulosæ, sangvine etiam tanqvam causa materiali undiqve refertæ, calore etiam forti ut causa efficiente donatæ, idqve potissimum in virginibus provectioris ætatis, cum ubera ex venis thoracis sangvine irrigantur, atqve cum pruritu pubescere incipiunt, & papillæ turgent, qvo tempore, ut *Hippocrates* inqvit, puellæ dicuntur κωαμίζειν, id est Fratrare sive fraterculare *Ant. Laurent. lib. 9. Anatom. hist. q. 21* Probè autem in hoc casu inqvirendum duco, num persona siet bonæ famæ, an verò suspectæ ex qvalibet causa & conversatione.

Rem

Rem ut novam & inauditam virginibus confitendam relinqvo. *Bald. enim in Rubr. de prob.* Fœmina, inqvit, præſumitur eſſe prægnans, ſi habet lac. Verum ego, inqvit Bocerus dict. loc. exemplum hoc adponerem potius veriſimilibus indiciis, cum alia poſſit eſſe cauſa lactis mamillaris, ut virgineæ arguunt vaccæ, qvæ mulgentur anteqvam initorem admiſerunt bovem, cui lubens aſſentior.

CAPUT X.

Num virgo, ſi lac habeat in mamillis, lactare qveat?

LAc qvandoqve in mamillis virginum inveniri teſtantur *Hippocrates Ariſtoteles & Cardanus*. Num vero lactare qveant, dubitatur. Deeſt etenim copia, deeſt verus uſus, matribus ſiqvidem proprium eſt conceptum lacte tueri partum. Tum non ita tenue eſt, ſed craſſum & rarum, ut ad lactandum vix ſufficiat. Hinc & Pontifex Rom. inter cæteros cibos tempore jejunii, qvo virginum inſtar puri & ſinceri & ab omni carnis cogitatione ſemoti vivere jubemur, lac, ut ſementinam originem à carne trahens, prohibet, & rarius invenitur virginem lactaſſe, qvam ætate provecta fœminam ſobolem ſuſcepiſſe.

CAPUT XI.

Num virgo ſtuprata, qvæ ſe pro virgine gerit, ſerta, corollas & alia virginum ornamenta geſtare qveat?

REſp. *qvod non* Serta etenim & corollæ coronæqve ex floribus contextæ vigorem & flo-

florem pudicitiæ denotant, aurumqve ob splendorem suum virginitatem testatur. Graviter ergo peccat ea, qvæ se virginalibus ornamentis ostentat, cum virgo non siet Gl.32.*q.5. in princ.* & *in c. si Paulus, & in illud, ea caus. q. 2. Glos. in c. causam matrimonii in verbo privilegio, & ibid.* Panorm *in 2. col. de probat. & in c. illæ ea, q. & per S. Thom. de Aqvino & Richard. 4. sentent. dist. 49.* argumento, Doctorem si qvis falsò se gesserit, ut falsarius punitur, ut ponit *Barthol. in l. qvisqvis* C. *de aqvæduct. lib.* 11. *& l. reddatur, de profess. & medic.* Baldin. *in l. data opera* C. *accus. non poss. & per eund.* Bartol. *in l. eos qvi*, §. *qvi se pro milite per illum text. ff. de fals. & idem* Bald. *in præscriptione, col.* 4 *& l. si & leg.* C. *si contra jus vel util. publ. cum simil. qvæ ponit Angel. cons. 93. visis. col. 2. allegat. Sebast. Vant. de nullit. c. de nullit. sent. ex inhabilit. n. 69. pag. mihi 368.* Distinctas etenim semper fuisse vestes ancillarum, matronarum & meretricum apparet ex *Horat.* 1. *serm. sat. 2. & Tertul. ne cultu fœmin.* talis enim qvis esse præsumitur, in qvali habitu reperitur *Bartolus in leg. item apud Labeonem* 15. §. *si qvis virgines ff. de injur, ibid.* Si qvis virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur, multò minus si meretricia veste fœminæ non matrum familiarum vestitæ fuissent, &c. ideoqve non tam gravis injuria fit matronæ, cum ancillari aut meretricia veste induitur, qvam cum stolam suam gestat. Peccat enim, qvæ aliena veste utitur & injuriæ sibi faciendæ

endæ causam præbet. Exemplum in jure nostro præbuit Barbarius ille Philippus, qvi servus fugitivus Romæ se pro libero gerens Præturam petiit & prætor designatus est, *leg 3. ff. de offic. prætor.* aliud mirabilius traditur ab historicis, de virgine Johann. VII. vel VIII. Papa, qvæ virgo (si tamen vera illa historia est, semper enim mihi suspecta fuit) habitu virili malis artibus Pontificatum adepta dicitur. *Hippol. Bonacassa, de servis & famul. ad pontificem Gregorium XIII. part. 2. Cornel. Agrippa in de vanitat. scient. cap. 62. de sectis monasticis.* Idem *in orat. de praexcellentia sexus fœminar. de qvo ego uberius in centur.* 1. *decision. 8. egi*, ne igitur nimius in re minus necessaria videar, consulto hîc prætereo.

CAPUT XII.

Num virgo sine virili semine concipere & prægnari qveat?

EXcepta sola B. Maria, qvæ virgo concepit, virgo peperit, virgoqve post partum mansit, insolitum & inauditum, imo impossibile est illud. Duo enim ad illud opus reqviruntur, agens unum mas videl. patiens alterum fœmina, &c. *Arist.* verò *in Probl.* suis exemplum de qvadam puella refert, qvæ virile semen in balneo emissum adhauserit, ex eoqve prægnans facta fuerit. Verum ab omnibus pro falso & figmento reputatur hoc, ut & illud, qvod de admirabili eqvorum alacritate *apud Vettones Hispaniæ populos* scribunt, qvorum matres ad Zephyrum

 ver-

versæ, sine mare concipere dicuntur. Nam nisi utriusqve seminis excretio simul fiat, ne concipi qvidem potest, ac ne qvidem, si alterum paulò pòst. Nam ita prius vel effluit interea, aut commisceri cum priore non potest, si jam constiterit. Qvid facilius deinde qvam omnes impudicos concubitus, hoc modo palliare licebit, viduis, virginibus, matronis absentibus viris impunè facere, qvod velint, modo aliqvando laverint. Et si absqve congressu viri mulier concipere qveat, non esset miraculum in Maria, de qva cantus resonat: Sine virili semine: innuendo in aliis omnibus reqviri. Ferunt autem *Nauclerus vol. 2. Gen. 15. & Vincentius in speculo historiali lib. 21. c.* 30. Merlinum istum Angelum ex virgine vestali & incubo natum. Judicium fiet penes benevolum Lectorem.

CAPUT XIII.

Num virgo ex sese imprægnari qveat?

QVilibet homo, in qvo luxus exaltatur, polluitur eo, hoc est, emittit eum in terram vel retinet. Qvam primum autem Sperma generatum est, & non emittitur ut decet, putrefactio adest. Sæpissimè autem in virginibus talis luxus oritur, & crescit, & tendit ad cursum, sed non omni tempore emittitur, hoc est, evenit ut congelascat ut urina, qvæ non semper exit, sed subsistit: Ubi tale Sperma exitum non habet, tum manet in sua terra & digeritur in matrice, qvæ proprius locus ejus est. Verùm verum semen

men deeſt,ex eo ſeqvitur *Mola*, morbus, ut uterus tumeſcat,ac ſi eſſet prægnans,& tamen non eſt, ſed ex proprio ſpermate imprægnatur, ſicut gallinæ per ſe facultatem habent gignendi ova ſubventanea. Eatenus hic morbus etiam virginibus poteſt accidere. Hunc morbum Conſiſtoriales apud Medicos inqvirant, ne innocentes virgines & honeſtæ matronæ hoc malo laborantes ab ipſis injuſtò de ſuſpecta pudicitia condemnentur, qva de re conſulendus eſt *Hippocrates, Galenus, Actuarius, Ægineta & alii Græci ſcriptores & Plinius libr. 7. c. 17. libr.* 10.*c. 64. Friſ. in Specul. part. 5. lib. 2. tract.* 1.*cap. 8. Rolandus de Thermis fol.* 192. *Colerus Oecon. p. 6. lib. 18. cap.* 114. *Jacobus Theodorus, Tabernæmont. in lib. Medic. part. 3. c. 19. §. 14. De Mola David Herlicius de cura gravidar. & puerperar. c. 5. De Mola.*

CAPUT XIV.

Num ſcire ſcribere melius ſit, aut neſcire virgini?

ADdubitavit *Johann. Charlet. Gerſonenſis Theologus*, prout eum refert, *Petrus Gothofredus de amoribus, lib. 2. cap. 9.* propter commoda varia atqve incommoda,qvæ inſunt,ſciat vel neſciat, ipſe Gothofredus cenſet puellas non eſſe imbuendas à parentibus ſcribendi arte, vel eas qvidem qvæ deſtinantur marito. Qvam addubitationem Gerſonenſis eadem commoda & incommoda, qvæ fœmineo ſexui inſidiantur, ſive ſciat, ſive neſciat,eodem modo tollunt. Qvid enim,

qvæſo, litteris mandari poteſt, qvod non eodem eoqve faciliori, occultioriqve modo nunciis mediantibus mulierculis vetulis referri & expediri poſſit? Et videtur diſtinctio Gothofredi magis ad affirmativam accedere: cum etenim hæc ars plerumqve & ut plurimum in juvenilibus addiſcatur annis, qvis qvæſo, augurabitur hancce deſtinatam viro, illam ſolam frigido in lecto jacituram? Auffert præterea exercitium devotæ mentis & cogitationum monialium. Et nonne doctiſſimæ extitere fœminæ, qvæ dubio procul artis ſcribendi imperitæ haud fuere, qvod etiamnum earum ſcripta commendant, contra Martialem, qvi vult, ut non ſit doctiſſima conjux, alludere viſus vulgari proverbio, qvo habetur: Mulieri qvæ latinè loqvi novit, & puero cui vinum eſt bonum, non futurum finem bonum. Ut Cornificia Poëta ſub Octaviano Auguſto, cujus adhuc epigrammata vigent, ut refert *Urſper. f. mihi 89. Sappho Lesbia* adoleſcens, qvæ multis vatibus Græcis non inferior & doctè & ſvaviter verſus ſublimi ingenio ceciniſſe non contenta, etiam Sapphici carminis inventrix extitit & Sapphicum illi nomen primum indidit. Hanc imitata ex *Erynna Rhodia*, cujus poëma Doricum excellentia carminis etiam cum Homero contendiſſe ferunt. Pariter Corynna qvoqve *ut Svidas ſcribit* Thebis de poëſi cum Pindaro contenderat, qvem qvinqvies gloria rara ſuperarat. *Rolbagius in certamin. maſculo fœmin. 1. c. 14.* plura exempla refert, ubi allegat. *l.*

qvi

qvi filium ff. ubi pupillus educari. Augustus Octavius ut in ludum litterarium non solum ingenui pueri, sed & virgines nondum adultæ litteris & bonis disciplinis formandæ ventitarent, instituit. Eligebaturqve aliqva matrona insignis spectatæ virtutis toto generi propinqva, aut vir gravissimæ disciplinæ, cujus sanctitate & moribus tota familia & infantilis cognatio bonarum artium cupiens imbueretur, ut testatur *Alex. ab Alexandro. Gen. dier. lib. 2. c. 25.* celebris est, *Rosuitta Germana* illustris virgo, qvæ metro gesta conscripsit Othonis I. Imp. & jam impressum opus circumfertur. Nec pigebit referre Aloysiam Sigæam virginem Toletanam, qvæ cum sui ævi doctissimis viris conferri posset, fuisseqve qvinq; lingvarum adeo peritam, ut non immerito Paulus III. Pont. max. litteras illius ad se scriptas videns Latinè, Græcè, Hebraicè, Syriacè & Arabicè admiratus fuerit in tenella hac & mustea virgine tam multiplicem ingenii fructum in viris etiam rarum, prout testatur *Ludovicus Nonius in Hispania c. 59.* Olympia illa Fulvia Morata æviternum in Myrtilleto monumentum ob rei litterariæ scientiam adepta est. &c. & nostro seculo Elisabetha Johanna Westonia Anglica virgo floret, cujus carmina ad Imp. Rudolphum II. in omnium versantur manibus. Hujus seculi nova Phœnix visa *Juliana Morella Barchinonensis* virgo Hispana tribus illis maximè insignibus lingvis Latina, Græca & Hebræa, earumqve characteribus, sicuti Hispa-

nicis, Gallicis & Italicis scitè pingendis musicisqve instrumentis exercita, qvam superioribus annis Lugduni ad confluentiam Saonæ & Rhodani salutavi, doctrinam ejus obstupui, & versu Heroico condecoravi. Contrarium tenere videtur, *Bertach. in repertorio lit. L. verbo Littera, & ibi Æmilius Maria Manolessus ante n. 70.* qvod videlicet virgines non sint imbuendæ arte scribendi, dum literas amatorias ab adolescente mulieri & à muliere adolescenti scriptas apertum adulterium indicare scribit, allegans *l. Publia, ff. depositi, sed certè illa in eo casu nihil habet ulterius l. cum de indebito ff. de probat. Felinus in c. scripta n. 12. de fide instrum. illustriss. Cardin. Paris. cons. 54. n. 64. vol 4. Joannes Tinrulus Perusinus in viridario Philosophico de discendo* assеverat & fœminas esse ad discendum habiles, cum & ipsæ mentis sint participes: sed si cum viris comparentur ineptas & inhabiles omninò esse dicendas. Degenerat enim in eis natura, ita ut fœminæ veluti monstra sint, ut ex *Aristot. colligitur lib. 4. de generat. animal. c. 3. Unde idem Philosophus 2. lib. ejusdem oper. c. item tertio*, fœminam esse dixit, veluti Marem læsum & mutilatum: τὸ γὰρ (inqvit) θῆλυ ὥσπερ ἐστὶν ἄῤῥεν πεπηρωμένον.

CAPUT XV.

Num condeceat virgines scire ludere cartis, taxillis, cythara, &c.

LUdere chartis, taxillis, cythara, &c. affirmare

mare non ausim, cum iis homines tempus ipsum non tam conterere, qvàm potius sua sponte tanqvam satis currentem eqvum, ut in proverbio est, stimulis agere solent Aristot. 8. Polit. non attento, qvod talis & tesseris ludere sortiri est, cum nemo ad istos ludos accedat indagandæ veritatis causa, sed solum qvantum velit pecuniarum in eventum chartarum aut talorum periclitetur, haut secus aut si qvis de canis aut eqvi cursu pignore certaret, hæc igitur si illicita sunt, omnes similiter pignoribus concertationes, qvæ de incertis rerum eventibus instituuntur, illicitas esse oportet, ad juvenes propriè pertinent, ad corporis & animi exercitationem, nonnunqvam enim illa loca supplere solent, qvæ si vacua essent, otiosis ac perniciosis occupationibus nimium paterent, qvia nihil potest esse vacuum. Talorum vero ludus, qvi à fortuna, vel à versatili manu & collusoria jacentium arte totus pendet, perditis decoctoribus & prodigis militibus magis convenit, qvi ad Tympani sonitum omnia sua exponunt *Jacobus Angliæ & Scotiæ rex in* βασιλικῷ δώρῳ *ad filium suum lib.* 3. Qvid? qvod inter ludendum obscœna proferuntur verba, qvæ non proficit scire virgines. Qvid? qvod Cythara demulcet & emollit animos, levesqve virginum choros leviores reddit, pudicitiam abigit, prætereo reliqva incommoda, qvæ exinde facile oriri possunt, magistro enim opus habent, qvi manum rudem dirigat ad tactum. Occasio facit furem.

De alea *Patritius Senensis de regno & regis instit. lib. 3. c. 19. de calculorum sive latronum ludo lib. 3. 12. Bertachinus in repertorio lit. L. verb. lusus n. 21.* Ludus Cytharæ permittitur etiam Clericis, qvia David justus pulsavit cytharam & chorizavit; qvod verùm in occulto non palam secundùm Abbat. *in c. cum decorem, de vita & honest. cleric.* Alearum verò ludus ita clericis prohibetur, ut non valeat contraria consvetudo, etiamsi ludatur respectu cujusdam voluptatis, *Abbas in c. Clerici extr. de vita & honest. cler. Actius in tr. de ludo Schach. q. 4. p. r. n. 16.* nisi sint infirmi & recreationis gratia ludant: tunc enim excusantur, ut *per Capram in suis regul. reg. 86. n. 40. Actius de infirmit. p. 2. lit. A. verbo alearum ludus.*

CAPUT XVI.

Num illibata censeatur pudicitia virginis ex convictu spectaculis publicis, balneis & saltationibus? &c.

DE convictu latius egi in *Linea amoris c. 3.* ideo ne hicce longior sim, eò benivolum Lectorem relego. Plutarchus in Apopht. tradit apud Lacedæmonios prohibitum fuisse mulieribus ad comœdiarum spectacula pergere. Fuit & ille mos Græcis, ut testatur *Æmilius Probus* in procemio vit. Imp. ubi Romanos maximè abominasse tradit, qvod mulieres ad spectacula publica interessent. *Unde Theodosius & Valentinianus in l. consensu 8. §. vir qvoq; C. de repudiis*, enumerant inter causas, ob qvas vir uxorem repudiare

pudiare poteſt, ſi uxor Circenſibus vel Theatralibus, vel arenarum ludis & ſpectaculis in illis locis, in qvibus hæc aſſolent, celebrari, marito prohibente fuerit. Et *Octavius Auguſtus teſte Svetonio in illius vita c. 44.* Athletarũ ſpectaculo muliebrem ſexum omnem adeò ſummovit, ut in Pontificalibꝰ ludis pugilum par poſtulatum diſtulerat in ſeqventis diei matutinum tempus, edixeritqve mulieres ante horam qvintam venire in theatrum non placere.

Ita P. Sempronius Sophus conjugem repudii nota affecit non ob aliam cauſam, qvam qvod ipſo ignorante ludos ſpectare auſa eſſet, ut refert *Valer. Maximus lib. 6. c. 5.* Sulpitius Gedelius uxorem, qvæ aperto capite proceſſerat in publicum, repudiavit arbitratus illi, niſi ut ſoli viro placeret, curæ haut eſſe debere. Qvid Actæonem in cervum mutavit, niſi inſcia ſine veſte Dianæ in balneis viſio? *Ovidius lib. 3. Metamorph.* Qvid Bathſabeæ publica lavatio effecit? Homicidium & adulterium, crimina ſumma à ſummo perpetrata rege. Et balnea intrare religioſis conceſſum non videtur, niſi ratione infirmitatis ſimilisve neceſſitatis, ut *poſt gl. in c. omnis 24. qvæſt. prima ſcripſit Summa Sylveſtr. in verbo Balneum numero 2. Summa Angelica in verbo Balneum, §. 1. Actius de infirmitate pag. 2. lit. B.* Qvis ſpectaculorum illorum à Romulo inſtitutorum finis? Raptus Sabinarum virginum: Qvanta fiet vanitas ſaltationum, ſatis attigit *Cornelius Agrippa in libello ſuo de vanitat. ſcient. cap.*

de saltatione. Nullum choreis spectaculum ridiculum ac inconditum magis, hæ laxamen petulantiæ, amica sceleris, incitamen libidinis, hostis pudicitiæ, ac ludus probis omnibus indignus. Sæpe ibi matrona, ut ait Petracha, diu servatum decus perdidit, sæpe infelix virguncula ibi didicit, qvod melius ignorasset, multarum ibi fama perit, pudorqve: multæ inde domum impudicæ, plures ambiguæ rediere, castior autem nulla: pudicitiam choreis sæpe stratam, semperqve impulsam, oppugnatamqve videmus. Romani veteres viri prudentia & autoritate graves saltationes omnes repudiârunt. Nec ulla penes eos honesta matrona saltasse laudatur. Hinc Sallustius improperat Semproniæ, qvod cantasset, saltassetqve doctius qvam conveniret probæ. Qvin & Gabinio viro consulari atqve M. Cœlio nimia saltandi peritia probro data est, & M. Cato L. Murenæ, qvod in Asia saltasset, pro crimine objecit. Cui patrocinatus Cicero, id ut recte factum defendere non est ausus, sed constanter factum pernegavit, nemo inqviens saltat sobrius nisi fortè insaniat, neqve in solitudine, neqve in convivio moderato atqve honesto, Intempestivi convivii immoderati joci, turpium deliciarum comes est extrema saltatio. Itaqve saltationem necesse est omnium vitiorum esse postremum. Neq; vero facile dictu, qvæ mala hic visus hauriat & auditus, qvæ pariant colloqvia & tactus, saltatur inconditis gestibus & monstroso pedum stre-

ſtrepitu ad molles pulſationes, ad laſcivas, cantilenas, ad obſcœna carmina, contrectantur puellæ & matronæ impudicis manibus & baſiis meretriciisqve complexibus, & qvæ abſcondit natura, velavit modeſtia, ipſa laſciviâ tunc ſæpe nudantur, & ludi tegmine obducitur ſcelus. Qvid divo Joanni abſtulit caput; Niſi impia impiæ iſtius puellæ ante Herodem ſaltatio, Matthæi decimo qvarto. Hinc dicit *ſanctus Hieronymus*, ſe non credere illi viro, qvi ſe illæſum ab ejusmodi ſpectaculis abjiſſe dicit, & alibi: Saltatio eſt circulus, cujus centrum eſt Diabolus, & Chorea utrum ſit licita, & utrum inſpectio chorearum, ludorum vel joculationum ſit peccatum tradit *ſumma Angelica in verbo* Chorea *per tot.* qvo benivolum Lectorem ſelego.

CAPUT XVII.

Num virginis peregrinantis illibata præſumatur pudicitia?

Reſp. Qvod non. Multi enim in peregrinationibus impenduntur ſumtus, qvos mulieres facere negantur ex inſita à natura avaritia cum ſint tenaces, & ut loqvitur *Accurſ. in l. Neſennius 34. ad verb. è contrario ff. d. negot. geſt.* natura avariſſimæ adeò, ut B*aldus in fin. l. ſi à ſponſo 16. C. de donat ante nupt.* ibi, qvod raro accidit, dicat, donationem mulieris miraculi loco habendam eſſe. Tum omnibus hominibus teruntur viæ, qvi pretio, donis, illecebrisqve, nec non vi pudicitiam mulierum appellant, ut loqvitur *JurisConſultus III. Ulpian⁹ in leg. apud. Labeonē 14. §. appellare*

pellare ff. de injur. & qvid non facit auri ſacra fames? ſecundum Virgil. Qvid eripuit Dinæ Jacobi filiæ pudicitiam? niſi curioſitas, cum egrederetur, ut textus habet *Gen. 34.* ut filias illius regionis videret, adeò ut Ulpian. proficiſci procoſ. melius ſine uxore exiſtimet *l. 4. ff. de offic. procoſ.* addens, ut ſi qvid uxores eorum, qvi ad officia proficiſcuntur, deliqverint, ab ipſis ratio & vindicta exigatur, & communiter mulier peregrinanti parum habetur honoris, adeò ut idem *Ulp.* Si qvis virgines appellaſſet, ſi tamen ancillari veſte veſtitas, minus peccare videtur *in l. 15. §. ſi qvis ff. de injur tradat.* Nonne Abrahamus ſecum ducendo ſuam Saram in periculum apud Pharaonem incidit *Gen 20.* Illibata igitur & integra haut remanere putatur pudicitia illius, qvæ ad exteras provincias peregrinantur & qvidem in Italiam, Venetias, ubi tot ſcortorum millia, cujus etiam cauſa hæc qvæſtio ventilanda aliqvando ſuſcepta. Nam fœminarum peregrinationem ſemper ſuſpectam eſſe, & turpitudinis, impudicitiæqve indicium præ ſe ferre probatur ex eo, qvod Tragici & Comici Poëtæ, peregrinam, advenamq; mulierem freqventer pro impudica ac turpi uſurpare ſolent. Exemplo eſt apud Terent. Chriſis illa ex Andro in Andr. Act. 1. ſc. 1. Hinc & mares apud Ethnicos qvondam Romæ arcebantur à ſacris *Bonæ Deæ* adeò, qvod ipſæ etiam maſculorum picturæ fugerentur, ne fortè muliebris animus inter ſacrificandum ex hujusmodi inſpectio-

ſpectione impudicis deſideriis fœdaretur, aſſerebant enim *Bonam deam* fuiſſe caſtiſſ. & adeo virginitate condecoratam, ut nunqvam fuerit egreſſa domo, neqve dum vixit, ullum virum viderit. Hinc Menander apud Stobæum canit:

Intus manere mulierem oportet
Bonam, egredientes autem foras, nullius Pretii ſunt.

Et Euripides in ſua Iphigenia

Maneat domi, pudicam enim decet pudor.

Et *Juſtinianus Imp. in Novell. 124. ut litigantes jurent, &c.* laudat. Si mulier fuerit, qvæ propter honeſtatem vitæ extraneis viris ſe monſtrare non conſvevit, &c. ibiqve *Lucas de penna,* Et *in conſtit 1. de comeatu. Alciatus in Emblematibus hos ponit verſus:*

Alma Venus qvæ nam hæc facies? qvid denotat illa
Teſtudo, molli qvam pede diva premis?
Me ſic effinxit Phidias, ſexumq; referri
Fœmineum noſtra juſſit ab effigie.
Qvod remanere domi & tacitas decet eſſe puellas
Suppoſuit pedibus talia ſigna meis.
Mulieri enim ſilentium eſt modeſtia
Pulcerrimum, intus verò tacitam manere domi.

Scip. Mazzell. in apparatu Italico, delle ſtatue troc ciate nella diſtruta Cuma c. della ſtatua di Venere. Nemo ita cautè unqvam ſe geſſit, qvin carperetur à malitia, nec virgo ita pudice vitam inſtituit,

tuit, qvin vel ex oculi nictu vel vestigio per viam imprudentius facto, à libidinoso adolescente in suspicionem violati pudoris venerit.

CAPUT XVIII.

Num illibata censeatur castitas virginis, ad qvam freqventer accedunt Scholares?

Jacob. *Butrig. & Bald. in l. neq; natales, C. de probat.* dicunt, qvod aliqvam esse meretricem, probatur per hoc, qvod Scholares passim de die & de nocte vadunt ad eam, licet non probetur tactus, vel alii actus venerei, à communiter accidentibus. Qvando enim scholaris loqvitur, non præsumitur ei dicere: *Pater noster*, secundum *Bald. in d. l. neq; natales, & habetur per Bald. & Joh. de Imola in l. fin. ff. de hered. instit. & faciunt notata per Bartolum, in l. 3. ff. de furt. & notat. per eundem Bart. in leg. 2. §. fin. & in leg. qvod ait lex in princip. ff. ad l. Jul. de adult. & not. per Panorm. & Canon. in c. tertio loco circ. fin de probat. Unde & idem Bald. in l. eadem C. locati* dicit, qvod locans domum suam scholari juveni, non poterit eum expellere, ob hoc qvod meretrices in eam induxerit, qvasi in re locata malè versatus esset, qvia hoc præsumere debuit à communiter accidentibus. Hoc tamen secundũ eundem non habet locum in sacerdote & viro religioso, qvia si amplectitur mulierem, præsumitur causa benedicendi hoc facere non causa libidinis, ita dicit *gl. singularis, in c. absit 11. q. 3. Spec. de præsumt. §. 2. vers.*

verf. 1. Sed à tali benedictione libera nos Domine, Monachis enim hodie nihil perverſius, nihil petulantius, magisqve plenum malitiæ eſſe *Corafin lib.* 3 *Miſcell c.* 7. *in fin.* dicit, allegans Baldum, qvi nec divum Thomam Cantuarienſem virum eximiæ ſanctitatis excipere voluit *in c.* 1. *ut lite pendente*, & qvantum lenociniis ipſis conducat religio, ipſa Paulinæ caſtiſſimæ inflexibilisqve matronæ hiſtoria ab Egeſippo deſcripta teſtatur, qvam Iſidis ſacerdotes cuidam Eqveſtris Ordinis adoleſcenti pro Anube Deo proſtituerunt. Qvid etiam in iſtis poſſit auricularis illa confeſſio, ipſa tripartita indicat hiſtoria: nec deſunt, inqvit *Cornelius Agrippa in libro de vanit. ſcient. cap. de arte meretricia*, ſi referre velim, cognita recentia exempla: habent enim Sacerdotes Monachi, Fraterculi, moniales & qvas vocant ſorores, ſpecialem lenociniorum prærogativam, cum illis religionis prætextu liberum ſit qvocunqve pervolare, & qvibuscunqve qvantum & qvoties libet, ſub ſpecie viſitationis & conſolationis aut confeſſionis ſecretò ſine teſtibus loqvi tam piè perſonata ſunt illorum lenocinia. Et ſunt ex illis qvibus pecuniam tetigiſſe piaculum eſt, & nihil illos movent verba Pauli dicentis: Bonum eſt mulierem non tangere, qvas illi non rarò impudicis contrectant manibus, & clanculum confluunt ad lupanaria, ſtuprant ſacras virgines, vitiant viduas & hoſpitum ſuorum adulterantes uxores,

non-

nonnunqvam etiam Iliaci prædonis inſtar abducunt & Platonica lege cum popularibus ſuis communes proſtituunt, & qvarum animas lucrari debent Deo, illarum corpora ſacrificant Diabolo, atqve his multò ſceleſtiora, & qvæ nefas eſt loqvi, in ſana libidine perpetrant. Et illud eſt præſumtibile *Benedicere*, inſigne exemplum introducit *Joh. Jovianus Pontanus in dialogo ſuo qvi inſcribitur Charon*, de Sene Cardinali & puella Cypria meretrice, de infelici puella & ſene ſacerdote, ubi ſanctimoniam illorum deſcribit, qvo benivolum Lectorem ſelego.

CAPUT XIX.

De probatione virginitatis apud Romanos.

ROmæ erat delubrum pudicitiæ matronalis, hodie dicatum eſt *Mariæ Ægyptiacæ*, in ea erat *Bucca veritatis*, qvæ imago marmorea erat apertis labiis. Huic *Volaterrani* regis filia manum in os impoſuit ad virginitatem ſuam probandam, qvum vetula qvædam Feſulana impudicitiæ eam argueret, ubi paulò poſt altera puella ejusdem criminis accuſata, idem probationis teſtimonium ſubire vellet, contracto ore imago manum ipſi amputavit *Johann. Jacob. Boiſſardus in Topographia Romæ die 1.* Et ipſis Ethnicis in virginitatis teſtimonium miracula qvædam facta fuiſſe commemorantur, ut habet *S. Auguſtinus de civit. Dei lib.* 10. *cap.* 16. de Q. Claudia Veſtali: Cum enim navis hæſiſſet in Ti-

Tiberi, nec vi hominum, boumqve loco dimoveri posset, cum adverso pudicitiæ rumore laboraret ipsa Claudia, qvod cultus esset studiosior, discincta zona, & navi alligata, precata Deũ, ut si casta esset navis seqveretur, navis illam seqvuta est, qvod etiã habet *Sabell. lib. 2.* & alii multi. Et pro Ethnicorum virginitate illud habet etiã ibidem S. Augustinus de Tucia etiam Vestali, qvæ jussa dicere pro se causam, cum de pudicitia sua male audiret, ad ripam fluminis progressa multis comitantibus cribrum fluviali aqva plenum, ad Pontificum conspectum, qvorum de causa cognitio erat, detulit: accusator qvoqve tametsi attentè reqvisitus, nusqvam apparuit amplius, ut etiam habet *Sabellic. lib. 2. & Maximo, lib. 8.* pro pudicitiæ testimonio sunt & Christianæ fidei miracula. Fuerat Cunegunda Augusta Henrici I. conjux falso adulterii insimulata, illa innocentiam suam purgavit, qvin & se Veneris nesciam probavit, cum qvindecim passus super candens ferrum, nudis pedibus, illæsis plantis perambulasset. *Bapt. Fulgos. lib. 8. Nauclerus generat. 35. in pr. Krantz. metropol. lib. 4. Et Eborensis tit. de absolut. reorum. Simon Majolus in dieb. canicular. colloq. 3. §. mulier. pag. 102.* Hisce & Agathæ Cataviensis miraculum adnumerari debet, qvæ ut pudicitiam servaret, Qvintiano prætore contemto, cum super acutas testas & ardentes prunas volutaretur, minus pœnam doluit, qvam nuditatis ignominiam, ut tradit *Eborens. ex. Marul. lib. 4.* cui accedit & Iphygenia

Æthiopum regis filia virgo, qvæ contemtis Hirtaci nuptiis concremari jussa est, tantum abest, ut ab igne læderetur; qvin potius flamma ipsa virginitatis defensatrix ab ipsa se avertens in regiam prosiliit, qvam funditus consumsit. *Eborens. ex Marul. lib. 4.*

CAPUT. XX

An ex mammarum grossitie arguatur virginitatis amissio?

ÆGidius *in tractat. de urinarum judiciis part. 2. de signis conceptionis.*

Matrix sicca, Venus sopita, retentio fluxus,
Discolor affectus, vomitus, compressio virgæ.
Mammæ grossities & perturbatio ventris
Ex mellicrato, conceptûs signa probantur.

Gentilis de Fulgineo in comment. ibid. videtur resp. qvod sic. qvia sangvis redundat ad spongiositatem mammillarum, unde ingrossantur? sunt namqve continui meatus à matrice ad mammillas, per qvorum concinnitatem fit transitus derivationis ad superiora, id est, mammillas. Verum cum loqvatur de conjugata prout ibi, de virgine non facile admiserim, cum aliæ causæ et supra grossitiei mammillarum esse possint. Nam natura sexui fœmineo majores & pleniores dedit mammillas, ut qvasi tutamen & tegimen cordis fient, ut si illud calefecerint, rursum ab eo calefiant, & siqvando majores crescant, causa aliorum accidentium malorum sunt. Verum hoc pendet maxime ex proprietate naturæ,

ræ, prout aliqva genere pingvis sive fluida est qvam aliunde, prout tradit *Jacobus Theodor. Tadernamont. in sua medicina p.2.c.3.* §.1. ibiqve remedia ponit contra nimiam grossitiem §.2.

CAPUT XXI.

Num virginitas ex urina cognosci qveat?

HIc Medicorum schola adeunda est · utpote cum unicuiqve in sua arte sit credendum. *l. semel*, C. *de re milit. libr.* 12. *Bald. in cap. cum inter. de elect. per modern. in l.* 1. §. *fin. ff. de V. O. ibiq; Alciat. addo text. in leg.* 1. *circ. princ*, *ff de ventr. inspic. cap. ut constitueretur* 50. *distinct. l.* 1. §. *fin. ff. de V. O. Spec. in tit. de probat.* §. *videndum, co. pen. vers. hoc qvoq;*. Qvidam tamen Medici certum indicium ex urina haberi posse negant, cum ex varietate ciborum urina coloretur. Plurimi tamen certum indicium ex ea statuunt, infirmum hominem à sano ex ea discernunt, morborum origines ex ea asserunt. Et tradit *Ægidius in tract. de urin. judiciis*, urinam virginis qvasi subcitrinam debere esse, unde urina livida & nimis serena virginem declarat esse constantem. Et tradunt Secretistæ, si semen portulacæ spargatur super carbones, ita ut illa fumum ad se recipiat, si fiet corrupta, mirabilia videri. Idē referunt de lapide Gagathe pulverisato, si ipsi insciæ detur ad potandum, si intacta est, retinet ipsum, sin minus, urinam reddere tenetur etiā contra voluntatem, ut refert Bart. *Anglus de proprietatib. rerum, lib.* 16. *c.* 49. *de Gagathe*, *Michael Sco-*

nus in Physiognomia, c. 10. Virgo, inqvit, in tactu pirulæ nasi dignoscitur, qvia cartilago est solida & cum est semel corrupta, sentitur partibilis, *idem cap. 22. & 23.*

CAPUT XXII.

Num verum, & qvæ causa, qvod Scaliger de radice qvadam refert?

S*I virgines, qvæ præsunt pascuis, super ea sedeant, aut urinam faciant, eis perinde rumpi naturæ membranam, atq; si à viro fuerint vitiatæ.*

Refert *Scaliger* de radice illa, qvæ in Atlantis jugis occidentalibus, qvæ pars Survag. ab incolis nuncupatur, nascitur, *exercitat.* 175. qvod qvamvis à veritate longè abesse videatur, ad rupturam namqve istius membranæ fortis actio conflictus & congressus reqviritur, qvæ non sine sangvine dirimitur. Ratio tamen si aliqva occulta indagari qveat, hæc est, qvod acutum & fortem odorem radix illa de se spargat, qvi summam luxuriam & pruritum excitet, qvo membrana illa rumpitur, exemplo lapidis Gagathis qvi paleas, & Magnetis qvi ferrum ad sese trahit.

CAPUT XXIII.

Num ex osculo illibata censeatur pudicitia virginis?

THomas *Cantipratanus in libro, qvi inscribitur Bonum universal. libr. 2. c. 30. §. 49.* Qvinta, inqvit, via ad fornicationem est luxus in osculo. Qvod Salomon in Proverb. c. 7. insinuans

ans de muliere garrula & vaga, apprehensum, inqvit, juvenem osculatur. Ratio hujus est, qvod luxuria per osculum incitatur, qvia in osculantibus convenientia partium fit, & animales spiritus conjunguntur. Unde Aristoteles dicit: qvod eqvi ante coitum conspirant anhelitu, & per hoc ad luxuriam provocantur, absit itaqve ab ulla Christiana mente, licitum & sine crimine credendum osculum, du n veridicus Augustinus in regula sua cap. 20, etiam fixum osculum tanta pœna censuit vindicandum. Osculo pudicitiam mulierum delibari à veteribus creditum est. Est namqve osculum præparatorium proximum ad factum, & in Linea amoris, qvarto constituitur loco, ut Donatus ad illum Terentii locum: Certe extrema linea amare haut nihil est, adnotavit, & *Antonius Mancinellus apud Horatium lib.* 1. *in carm. ode* 13. Osculum ad qvartam partem Veneris refert hoc versiculo:

Visus, & Alloqvium, tactus post oscula factum.

Hunc versum refert qvoqve *Gloss. in l. qvod ait, in pr. de adulter.* & nominat res Veneris *Matth. de afflict. in constit. Neapol. Rubric.* 21. *num.* 13. *lib.* 1. *& Ovidius in primo de arte amandi* princeps & heros amator famosissimus tradidisset adulterium *Dec. in Rubric. de judic. col.* 2. *Sylva nupt. lib.* 4. *n.* 77. *fol.* 138. qvia ex hujusmodi præparatoriis arguitur præparatum & infertur adulterium *Cagnol. in Rubric. C. de edend. num.* 28. *& ibi Bellonus n.* 59. *cum multis seqq. Covarru, in tractatu de matrimon. in* 2. *part. c.* 7. §. 6. *n.* 3. *Bald. in l. adversus C. de*

 furt.

furt. & mulier honesta non dicitur, qvæ sit per aliqvem osculata vel cognita etiam semel. *Pal. de Castro, cons. 303.* qvamvis contrarium teneat *Marcus Mant. Patavinus.* qvi sexaginta annos publice docuit, *in Rubr. de judiciis.* Verum consvetudo plurima tollit, in qvibusdam enim Germaniæ locis, oscula sumere usitatum est, in aliis contra summum dedecus & grande habetur nefas *Matrinus Navarr. in compend. manual. c. 14. n. 42. ait.* Non peccat mortaliter, qvi tangit amore honesto & jocoso, sine malâ intentione, pectus mulieris, mammillas manu premit, pedem tangit, imo ubi mos est, amplectitur, osculatur, licet uterqve sit juvenis, dummodo non sit adspectus vel tactus partium obscœnarum, qvibus mulieres dicuntur. Olim apud Romanos oscula fœminis dare perqvam usitatum erat, & Cato, ut refert *Plin. lib. 14. hist. nat.* nullam aliam ob caussam propinqvis fœminis osculum libare solitos ait, nisi ut scirent, an vinum olerent, ex qvo qvidē indicium pudicitiæ sumebant, hoc etiam testari videtur Juvenalis, cum ait:

Pauca adeo Cereris *vittas contingere digna,*
Qvarum non timeat pater oscula, &c.

Nec existimandum est, omne osculum esse peccatum, ut illud in primis qvod parentibus & cognatis in benevolentiæ argumentum impenditur, vel etiam ex honesta patriæ consvetudine, qvibusvis extraneis, De hacre *Cajetan. in Summula.* Osculum, inqvit, benevolentiæ bonum ac laudabile est juxta morem patriæ, inter qvas

qvascunqve personas sit, Osculum vero libidinis, nisi inter conjuges, est peccatū mortale. Sic ile: Idem docent conscientiæ doctores communiter omnes *Georg. Colvenerius in not. ad Cantip. d. 7. §. 50.*

CAPUT XXIV.

Num exheredari qveat virgo viripotens sine consensu patris nubens?

DE filio controvertitur inter Dd. qvia hæc causa inter 14. illas causas, propter qvas exheredari liberi à parentibus possunt, non invenitur *Nov.* 115. Si vero liberi ad turpem & infamem personam se applicaverint, recte exheredantur, pertinet enim ea res ad dedecus & infamiam totius familiæ, & à Justinian. in d. *Novell.* adjecta est his verbis: Si liberi cum turpibus conversati fuerint, fac. *l. 3. §. si emancip. ff. de bonor. poss. contra tab.* & hanc opinion. communem esse dicit *Wesemb. in parat. ff. de lib. & posth. n. 5.* Tenet tamen Duar. Jus Canonicorum non adimere facultatem exheredandi filii, qvamvis velit ratum manere matrimonium, ne majus inde scandalum oriatur, nam multa rata esse tum jure civili tum Canonico, qvæ tamen fieri prohibentur *not. in c. ult. de secund. nupt.* sic idem hic dicendum putat, ut qvamvis ratum maneat matrimonium, qvod invito patre contractum est, nihilominus possit puniri filius pœna legitima, qvi sine consensu patris contraxit matrimonium, idem tenet *Castal. in l. si filium, C, de in*

offic. testam. Dec. in l. nuptias ff. de R. J. Chassaneus in consuet. Burgund. Tit. de succesſione §. *2*, qvorum opinionē Carolus V secutus est, facta ea de re in hæreditariis suis terris constitutione. Verùm negativa opinio de jure verior est. Exheredationes enim sunt odiosæ, odia autem secundum regulam jur. in *6.* non sunt amplianda, sed potius restringenda. Unde & *Canis. JC. Ingolstad. in dispnt. de sponsal. & matrim. th.* 13. cum matrimonii summa libertas sit, *c. Gemma extra de sponſ. l. Titia ff. de V. O.* etiam cum infamibus personis, *c. inter opera, extr. desponsal.* omnino statuit patrem obstringi & ad dotandam & instituendam filiam, sine assensu ejus, nuptias contrahentem. De filia plurimi affirmant, posse eam exheredari, si ante annos 26. nubat absqve parentum consensu, vel si post eam ætatem nubat servo, aut meretricio more vivat, ita *Cujac. ad Novell. 18. sibi partim contrarius 3. observ. 5.* Verum facilius ignoscendum filiæ innuere videtur Justin. Imp. qvando filio furiosi ad exemplum filiæ furiosi matrimonium sibi copulare permittit *Instit. de nupt.* & ibi Accurs. De filia, inqvit, facile consensum fuit, qvia forte calidior sangvis est in ea, *ut in Auth. de non eligend.* §. *cum igitur.* Vel verius propter fragilitatem sexus, argumento *Instit. qvib. alienare licet*, opinatur & hac de causa, qvod filios non gignat filia in patris sui potestatem, itaqve ipsi invito non augebit familiam, de filio verò dubitabatur, qvod fortè, qvi ex eo nascerentur, in avi inviti potestatem nascerен-

rentur, itaq; invito illi ab inteſtato ſucceſſores eſſent, & imputet pater ſibi, qvod nuptias filiæ distulerit, nec de qværendo ei viro ſollicitus fuerit. Ne tamen ô filia virgo ex eo licentiam qvidvis faciundi rapias, ſed conſenſum parentis, nam hoc fiere debere, & civilis & naturalis ſuadet *Inſtit. de nupt. in princip.* Martin. *Navar. in manual. compend. pag. 4. cap. 14. n. 15.* verecundè & cum pudore expecta.

CAPUT XXV.

In virginem ſi qvis conſentiat, qvam poſtea ab alio compreſſam reperit, qvid juris ſit?

HOcce præmittendum duxi, reges cujusdam partis Aſiæ fuiſſe, qvi neqvaqvam permittebant virgines aliqvas nuptui dari, niſi prius ſingulas qvasqve parentes earum eas ſibi ducerent, ut qvascunqve vellent, ſtuprarent, & ſic floribus delibatis, ut deſponderentur, permittebant: Nec audebant proci uxorem aliqvam poſcere, niſi eam, qvam comperiſſent, à regibus veniam nuptiarum impetraſſe, refert *Franciſcus Patricius, de regno & regis inſtit. lib. 4. tit. de oblectat.* 16, Verùm illud oblectatio eorum erat, apud noſtros inſania. Ad punctum qvaſi Dd. non leviter altercantur. Diſſolvi matrimonium verius eſt, qvod ab Eccleſiis & earum Conſiſtorialibus communiter eſt approbatum, legibus qvoq; divinis magis conſonum, *Beuſt. p. 2. q. 34.*

Beza de divort. & repud. p. 228. Dissentit *Covarruv. in epit. cauſ. matrim. p. 2. c. 3. § 7.* latè *Weſemb. ad tit. ff. de ritu nupt. n. 8.* perseqvitur hanc qvæstionem, & tamē concludit pro matrimonio videri pronunciandum, per *c. fin. de re judic. & paulò inferius* addicit *Ulp. in l. si uxor 13. §. fin. de adult. ibi*: Stupri accusari eam mulierem non posse, qvæ post illud ducta est. Sero enim, inqvit, accusat mores mulieris, qvos uxorem ducendo probaverit, & cum ibi non distingvat inter ignorantem & scientem, sed loqvatur generaliter, nec nos distinctionem facere debere putat *leg. de pretio, de in rem act.* Verùm qvod cum pace ipsius dixerim, videtur mihi in ea lege distingvendum, qvod patet ex §. præcedente, ubi repudiata uxor reducta ex delicto, qvod in matrimonio admisit, accusari non potest, abolevit enim prioris matrimonii delicta reducendo eam, seqvitur §. *in fin. incipiens.* Idem dicend. &c. *cum ad §. loqvatur* de delicto prioris matrimonii noto cognito & famato, ut sic vir reducens eam sciens ex delicto prioris matrimonii eam accusare non possit, cum videatur ipse ipsi remisisse reducendo eam puto firmiter *seq. §. dicend.* etiam intelligi debere de sciente, qvi sciens aliqvam corruptam, vel stupratam duxit, ut ita sero accuset mores ejus, qvi uxorem ducendo probavit, qvod dictio in princip. idem innuit, non verò de ignorante. Ponit ergo Ulp. duos casus diversi facti, sed unius juris, prior est de reducta, alter de ducta, ejusqve morum probatione antecedente

cedente cui consentit *l. 47. solut. matr.* ubi si mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur à marito, cur enim improbet maritus mores, qvos ita aut ante corripuit, aut postea probavit, qvæ *l. similiter* loqvitur, de viro sciente corruptam aut prębente eam lenocinio, & videtur *d.* §. *loqvi* de eo, qvi duxit aliqvam, cum qva ipse stuprum ante commisit, argumento §. præcedentis loqventis de reducente adulteram qvam ante habuit, qvod & innuit, verbo probavit, qvî enim possum aliqvid probare, qvod ante nescivi. Deniqve ad suam negativam tutandum adducit Wesemb. historiam Josephi *Matt.* 1. (qvi à justitia commendatur, qvod cum Maria conjuge, qvam ex aliâ prægnantem suspicatus, divortium facere secretò instituit) & ad eam respond. illud exemplum præjudicium ad hanc causam afferre magnum non posse, non enim exemplis, sed legibus esse judicandum, *l. nemo,* 13. C. *de sent.* nec de facto, sed de jure qværi, qvanqvam ibi factum nullum propositum sit, sed tantum cogitatio pii viri & justi, qvæ ad nullum actum processit, & deniqve dicit Wesemb. valuisse illo tempore etiam legem stetisse πολιτείαν Mosis, ut ejus jure rectè uti, & qvandam illi ἐπιείκειαν adhibere moderatus homo potuerit. Verum nec ego illud exemplum hucce trahendum censeo, minus enim verum est, qvod ob suspicionem Josephus voluerit Mariam deserere, ut putat Wesembec. Nam textus dicit, eum justum, ideo enim ut *Origenes Hom. in nativ.* Chri-

Christi vigilia tradit, eam dimittere voluit, qvoniam virtutem mysterii & sacramentum qvoddam magnificum in eadem cognoverit, cui approximare sese indignum existimabat, ergò humilians sese ante tantam & tam ineffabilem, qvæsiit se longè facere, sicut & B. Petrus Domino se humilians ajebat · Recede à me Domine, qvia homo peccator sum, vel sicut iste centurio ad eundem Dominum dicebat: Non sum dignus, ut tectum meum intres, vel sicut S. Elisabetha ad ipsam locuta est Mariam: Et unde hoc mihi, ut veniat Domini mater ad me. Sic & Joseph, juste humiliat sese in omnibus cavebat & timebat sibi tantæ sanctitatis conjunctionem adhibere, ideo voluit eam occultè dimittere. Verior igitur opinio est dissolvi ejusmodi matrimonialem contractum: Qvis enim æs pro auro retineat? Qvis alienos foveat liberos? Cuivis ulterius indagandum relinqvo.

CAPUT XXVI.

Num sit melius uxorem ducere virginem, qvam viduam?

Virgo & vidua pari jure censentur, *l. inter liberos 6. ff. ad l. Jul. de adult.* ibi adulterium propriè in nupta committitur, stuprum verò in virgine & vidua. Verùm in hoc casu præferenda videtur virgo. Duplex enim labor est ei, qvi viduam ducit, prior ut dedoceat alterius viri mores, alter ut suis assvefaciat, qvam rationem qvidem qvanqvam dissimili artificio, tamen

men manifeſtè docuit *Timotheus Muſicus*, qvi duplicem mercedem exigebat à diſcipulis, qvi alium habuiſſent præceptorem. Vidua enim, ſi non omnia ex voto ſuccedant, ſtatim allegat & recenſet mores & acta priores mariti, ipſamet imperium, cum hoc genus admodum libidine regnandi ardeat, arripere audet: hinc contemtus, perpetuumqve jurgium, & ridicula vulgo res eſt, & cavillis hominum obnoxia, uxorem viduam ducere, qvod vel tritum apud juris civilis Dd. dicterium *Bulgari JC.* diſcipulorum in præceptorem ſatis oſtendit *gl. ad. l. rem non novam. &c. C. de judiciis*, Bulgarius enim veſpere viduam uxorem duxerat, & mane *l.* illam *Rem non novam*, &c. explicare incepit, qvare deriſus fuit ab autoribus, ut *notat. Accurſ.* Sed & Verrius Flaccus, ut refert Varro juris Pontif. peritiſſ. eos, qvi viduas ducerent veteres foſſas tergentibus comparare perqvam facete ſolitus fuit.

Hæc enim ejus fuiſſe ſententia fertur, qvia feriis tergere veteres foſſas liceret, novas facere jus non eſſet, ideo magis viduis qvàm virginibus idoneas eſſe ferias ad nubend. *Macrob. lib. 1. Saturn. c. 15. Alexand. ab Alex. Genial. dier. lib. 2. c. 5.* Qvamobrem non immeritò præcipit *Heſiod.* virginem ducendam eſſe, ut gratis moribus imbui poſſit *lib. 2. ἔργων καὶ ἡμερ.*

Παρθενικὴν δὲ γαμεῖν ὥς κ' ἤθεα κέδνα διδάξῃς

ejusdemqve ſententiæ eſt *Ariſtoteles lib. 1. Oeconom.* CA

Caput. XXVII.

Num conducat virgini juveni nubere seni sexagenario de ponte dejiciendo?

QVare sexagenarii de ponte dejici dicantur, tradit *Marlianus in Topog. urbis Rom. lib. 7. cap.* 7. Romæ post incensam à Gallis urbem ob inopiam cibariorum decretum latum, ut Sexagenarii é ponte Sublicio, cujus vestigia adhuc in medio alveo Tiberis ad Aventini montis radices cernuntur, in Tiberim tanqvam patriæ inutiles dejicerentur, unde Sexagenarii *Depontanei* dicebantur. Veritas tamen hoc habet, qvod Sexagenarii à suffragio repellebantur, & ita eos ponte dejici solitos ferunt, ast neutram harum opin. probandam fore censet *Hier. Ferrutius in addit. ad Marlianum*, cum non habeant aut certos auctores, sed vulgi prorsus sit opinio. Ovid. svadet: Si vis nubere, nube pari. Qvæ enim amicitia inter conjuges impares? inter sexagenarium & juvenem puellam? qvam jocunditatem, proprium connubii, puella à sene expectabit? Aristoteles duo de viginti natas annos puellas nuptui collocandas censet, virum, autem sexto & trigesimo ætatis anno opportunè uxorem ducere asserit; ejusmodi ætates perfectæ sunt ad sobolem procreandam, qvod & causa fuit *Imp. in. l. 27. C. de nupt.* qva sexagenarius minorem qvinqvagenaria ducere prohibetur. Cum sint tria bona matrimonii fides, proles & sacramentum,

cap.

cap. omne itaq. 27. q. 2. Curtius conf. 66. sapienter, col. 3. Jason. in l. 1. col. 12. ff. solut. matr. Joh. Lup. in. Rubr. de donat. inter vir. & uxor. char. 12. in col. 1. Gilbert post 2. Oeconomicorum Philos. in qvæst. chart. 6. deficiente uno, & sic bono prolis non valet matrimonium, *Præpos. in cap. tanta col. 3. & seq. C. qvi fil. sine leg.* Et per hoc fundamentum *Portius Inst. de nupt. col. 3.* dicit senem non posse nubere. Cum igitur isti adeo senes non possunt dici habere spem prolis, nec ejus respectu contrahere matrimonium, videtur, qvod uxorem capere non possint: non enim sufficit eis, qvod super ripam Acherontis vitulus depastus sit, nisi antrum subintraverit, *Præpos. in c. fraternitatis in pr. de eo qvi cognov. consang. uxor. Portius Inst. de grad. cog. col. 3.* qvia verus coitus non fit sine erectione virgæ. *Aristot. part. 4. probl. 23.* & nisi intret, nec sufficit emittere semen inter crura. *Curt. cons. 98. incip. Christoph.* nec sufficit etiam recte ambulare si iter non perficiat. Et sic habere hastam rectam sine effectu. *Soc. in c. l. 1. col. 3. ff. sol. matr. Sylva nupt. lib. 2. n. 12.*

CAPUT XXVIII.

Num virginitas totaliter perdatur actu Venereo?

Angelus *Clavassinus in Summâ in verbo virginitas. §. 2.* Qvæ reqviruntur, ut amittatur Virginitas? Resp. qvod reqviritur primo pollutio completa, ubi sciendum dicit, qvod triplex humor de genitalibus stillat, primus sc. semen

men, secundus humor similis semini, qvi est *medius & stillat* qvandoqve ex solo tactu vel *auditu turpium, tertius* est urina. Perditur au*tem Virginitas* per solam seminis resolutionem *qvæ locum coitus* supplet, vel ejus complet de*lectationem. Secundo* reqviritur qvod talis *delectatio sit* ex voluntate operante vel consen*tiente* vel non dissentiente, vel non, qvantũ po*test, retinente* nam voluntate de medio sublata *omnis act⁹* est indifferens *Bald. in l. fedissimam per illum text, C. ad l. Jul. de adult.* non ergo desinit esse *virgo*, cujus virginalis claustri eruptio facta est *medicinali* arte ita morbo exigẽte ut docet *Masc. de prop. in conclus. incip. Virginitas, n. 7. Thom. Acti*-*us. de infirm. p. 2. lit. V. verb. virginitas*. Alii tamen volunt, qvod si etiam pollutio non seqvatur, ut in illis, qvi sunt ante tempus, seminis, qvi tamen explent coitum, vel per turpem a-ctum vel per comixtionẽ cum alio & hujusmodi amittatur & placet, tamen per pœnitentiam recuperabitur. Ulterius §. 345. *hinc Mart. Navarr. in com. man. prac. 6. n. 1.* Vis inqvit absoluta & coactio ad fornicand. sine consensu voluntatis, licet aliqvam delectationem accipiat de ipso a-ctu, dummodo non cooperetur, neqve in i-psum actum, neqve in delectationem consentiat, excusat à peccato & amissione virginitatis ex S. Lucia. Idem *dicto lib. præl. 6. num 3.* Non est peccatum, qvando omnino renitentis puellæ virginitas violatur, adde qvod nec corrumpitur virginitas, sed duplicatur ad coronam, te-

ste

ſte S. Lucia Syracuſana, ut refert *Gratianus* 23. *b.5.*

CAPUT XXIX.

Num virginitas ſemel amiſſa poſſit reſtitui?

S. *Hieronymus in epiſt. ad Euſtach. & relat. 32 q.5. c.ſi*, P*aulus ſuper Amos 5.* Virgo Iſrael cecidit, & non eſt, qvi ſuſcitet eam. Audacter dicam, cum omnia poſſit Deus, ſuſcitare virginem non poteſt, poſt ruinam. Valet qvidem liberare de pœna, ſed non valet coronare corruptam, &c. habet enim hoc donum virginitatis ſicut ſericum, qvod cum ſemel in lutum cadit, nunqvam perfecte abluitur, qvin ſemper macula appareat. Idem dicit lex, qvod virginitas reſtitui non poteſt, *l.1. in pr. C. de rapt. virg. ibiq; Salicet.* Qvidam ſic intelligunt, id eſt, qvod Deus non poteſt facere, qvin fuerit corrupta, qvia factum non poteſt eſſe non factum, *l. in bello §. Facti 2. ff. de captiv.* Et qvod hic dicitur, non refertur ad carnis corruptæ reſtaurationem, ſed virginalis palmæ retributionem & Dic: Non poteſt, idem eſt, non congruit ejus potentiæ, ut aureola coronet corruptas, hoc enim eſſet contra juſtitiam, & ideo illud non poteſt, ut *arg. de pen. d.2.§.charitas, ſeqvuntur, S. Auguſtinus. S. Ambroſius. S. Johannes Chryſoſtomus. qvos refert Baſilius Gradi in trattato della verginita c.16. L. Apulejus in Apologia*. Sola virginitas inqvit, cum ſemel accepta eſt, reddi

D

nu in Physiognomia, c. 10. Virgo, inqvit, in tactu pirulæ nasi dignoscitur, qvia cartilago est solida & cum est semel corrupta, sentitur partibilis, *idem cap. 22. & 23.*

CAPUT XXII.

Num verum, & qva causa, qvod Scaliger de radice qvadam refert?

SI virgines, qvæ præsunt pascuis, super ea sedeant, aut urinam faciant, eis perinde rumpi naturæ membranam, atq; si à viro fuerint vitiata.

Refert *Scaliger* de radice illa, qvæ in Atlantis jugis occidentalibus, qvæ pars Survag. ab incolis nuncupatur, nascitur, *exercitat.* 175. qvod qvamvis à veritate longè abesse videatur, ad rupturam namqve istius membranæ fortis actio conflictus & congressus reqviritur, qvæ non sine sangvine dirimitur. Ratio tamen si aliqva occulta indagari qveat, hæc est, qvod acutum & fortem odorem radix illa de se spargat, qvi summam luxuriam & pruritum excitet, qvo membrana illa rumpitur, exemplo lapidis Gagathis qvi paleas, & Magnetis qvi ferrum ad sese trahit.

CAPUT XXIII.

Num ex osculo illibata censeatur pudicitia virginis?

THomas *Cantipratanus in libro, qvi inscribitur Bonum universal. libr. 2, c. 30. §. 49.* Qvinta, inqvit, via ad fornicationem est luxus in osculo. Qvod Salomon in Proverb. c. 7. insinu-

ans

ans de muliere garrula & vaga, apprehensum, inqvit, juvenem osculatur. Ratio hujus est, qvod luxuria per osculum incitatur, qvia in osculantibus convenientia partium fit, & animales spiritus conjunguntur. Unde Aristoteles dicit: qvod eqvi ante coitum conspirant anhelitu, & per hoc ad luxuriam provocantur, absit itaqve ab ulla Christiana mente, licitum & sine crimine credendum osculum, dum veridicus Augustinus in regula sua cap. 20, etiam fixum osculum tanta pœna censuit vindicandum. Osculo pudicitiam mulierum delibari à veteribus creditum est. Est namqve osculum præparatorium proximum ad factum, & in Linea amoris, qvarto constituitur loco, ut Donatus ad illum Terentii locum: Certe extrema linea amare haut nihil est, adnotavit, & *Antonius Mancinellus apud Horatium lib. 1. in carm. ode 13.* Osculum ad qvartam partem Veneris refert hoc versiculo:

Visus, & Alloqvium, tactus post oscula factum.

Hunc versum refert qvoqve *Gloss. in l. quod ait, in pr. de adulter.* & nominat res Veneris *Matth. de afflict. in constit. Neapol. Rubric. 21. num. 13. lib. 1. & Ovidius in primo de arte amandi* princeps & heros amator famosissimus tradidisset adulterium *Dec. in Rubric. de judic. col. 2. Sylva nupt. lib. 4. n. 77. fol. 138.* qvia ex hujusmodi præparatoriis arguitur præparatum & infertur adulterium *Cagnol. in Rubric. C. de edend. num. 28. & ibi Bellonus n. 59. cum multis seqq. Convarru, in tractatu de matrimon. in 2. part. c. 7. §. 6. n. 3. Bald. in l. adversus C. de*

 furt.

furt. & mulier honesta non dicitur, qvæ sit per aliqvem osculata vel cognita etiam semel. *Pal. de Castro, cons. 303.* qvamvis contrarium teneat *Marcus Mant. Patavinus.* qvi sexaginta annos publice docuit, *in Rubr. de judiciis.* Verum consvetudo plurima tollit, in qvibusdam enim Germaniæ locis, oscula sumere usitatum est, in aliis contra summum dedecus & grande habetur nefas *Matrinus Navarr. in compend. manual. c. 14. n. 42. ait.* Non peccat mortaliter, qvi tangit amore honesto & jocoso, sine malâ intentione, pectus mulieris, mammillas manu premit, pedem tangit, imo ubi mos est, amplectitur, osculatur, licet uterqve sit juvenis, dummodo non sit adspectus vel tactus partium obscœnarum, qvibus mulieres dicuntur. Olim apud Romanos oscula fœminis dare perqvam usitatùm erat, & Cato, ut refert *Plin. lib. 14. hist. nat.* nullam aliam ob caussam propinqvis fœminis osculum libare solitos ait, nisi ut scirent, an vinum olerent, ex qvo qvidē indicium pudicitiæ sumebant, hoc etiam testari videtur Juvenalis, cum ait:

Pauca adeo Cereris vittas contingere digna,
Qvarum non timeat pater oscula, &c.

Nec existimandum est, omne osculum esse peccatum, ut illud in primis qvod parentibus & cognatis in benevolentiæ argumentum impenditur, vel etiam ex honesta patriæ consvetudine, qvibusvis extraneis, De hac re *Cajetan. in Summula.* Osculum, inqvit, benevolentiæ bonum ac laudabile est juxta morem patriæ, inter

qvas

qvascunqve personas sit, Osculum vero libidinis, nisi inter conjuges, est peccatū mortale. Sic ile: Idem docent conscientiæ doctores communiter omnes *Georg.* *Colvenerius in not. ad Cantip. d. :. §. 50.*

CAPUT XXIV.

Num exheredari qveat virgo viripotens sine consensu patris nubens?

DE filio controvertitur inter Dd. qvia hæc causa inter 14. illas causas, propter qvas exheredari liberi à parentibus possunt, non invenitur *Nov.* 115. Si vero liberi ad turpem & infamem personam se applicaverint, recte exheredantur, pertinet enim ea res ad dedecus & infamiam totius familiæ, & à Justinian. in d. *Novell.* adjecta est his verbis: Si liberi cum turpibus conversati fuerint, fac. *l. 3. §. si emancip. ff. de bonor. poss. contra tab.* & hanc opinion. communem esse dicit *Wesemb. in parat. ff. de lib. & posth. n. 5.* Tenet tamen Duar. Jus Canonicorum non adimere facultatem exheredandi filii, qvamvis velit ratum manere matrimonium, ne majus inde scandalum oriatur, nam multa rata esse tum jure civili tum Canonico, qvæ tamen fieri prohibentur *not. in c. ult. de secund. nupt.* sic idem hic dicendum putat, ut qvamvis ratum maneat matrimonium, qvod invito patre contractum est, nihilominus possit puniri filius poena legitima, qvi sine consensu patris contraxit matrimonium, idem tenet *Castal. in l. si filium*, C, *de in*

offic. testam. Dec. in l. nuptias ff. de R. J. Chassaneus in consuet. Burgund. Tit. de succesione §. *2*, qvorum opinionē Carolus V secutus est, facta ea de re in hæreditariis suis terris constitutione. Verùm negativa opinio de jure verior est. Exheredationes enim sunt odiosæ, odia autem secundum regulam jur. in *6*. non sunt amplianda, sed potius restringenda. Unde & *Canis. JC. Ingolstad. in disput. de sponsal. & matrim. th.* 13. cùm matrimonii summa libertas sit, *c. Gemma extra de spons. l. Titia ff. de V. O.* etiam cum infamibus personis, *c. inter opera, extr. desponsal.* omnino statuit patrem obstringi & ad dotandam & instituendam filiam, sine assensu ejus, nuptias contrahentem. De filia plurimi affirmant, posse eam exheredari, si ante annos 26. nubat absqve parentum consensu, vel si post eam ætatem nubat servo, aut meretricio more vivat, ita *Cujac. ad Novell. 18. sibi partim contrarius 3. observ. 5.* Verum facilius ignoscendum filiæ innuere videtur Justin. Imp. qvando filio furiosi ad exemplum filiæ furiosi matrimonium sibi copulare permittit *Instit. de nupt.* & ibi Accurs. De filia, inqvit, facile consensum fuit, qvia forte calidior sangvis est in ea, *ut in Auth. de non eligend.* §. *cum igitur.* Vel verius propter fragilitatem sexus, argumento *Instit. qvib. alienare licet*, opinatur & hac de causa, qvod filios non gignat filia in patris sui potestatem, itaqve ipsi invito non augebit familiam, de filio verò dubitabatur, qvod fortè, qvi ex eo nascerentur, in avi inviti potestatem nascerentur-

rentur,itaq; invito illi ab inteſtato ſucceſſores eſſent,& imputet pater ſibi,qvod nuptias filiæ distulerit,nec de qværendo ei viro ſollicitus fuerit. Ne tamen ô filia virgo ex eo licentiam qvidvis faciundi rapias, ſed conſenſum parentis, nam hoc fiere debere, & civilis & naturalis ſuadet *Inſtit. de nupt. in princip.* Martin. *Navar. in manual. compend. pag. 4. cap. 14. n. 15.* verecundè & cum pudore expecta.

CAPUT XXV.

In virginem ſi qvis conſentiat, qvam poſtea ab alio compreſſam reperit, qvid juris ſit?

HOcce præ mittendum duxi, reges cujusdam partis Aſiæ fuiſſe, qvi neqvaqvam permittebant virgines aliqvas nuptui dari, niſi prius ſingulas qvasqve parentes earum eas ſibi ducerent, ut qvascunqve vellent, ſtuprarent, & ſic floribus delibatis, ut deſponderentur, permittebant: Nec audebant proci uxorem aliqvam poſcere, niſi eam, qvam comperiſſent, à regibus veniam nuptiarum impetraſſe, refert *Franciſcus Patricius, de regno & regis inſtit. lib. 4. tit. de oblectat.* 16, Verùm illud oblectatio eorum erat, apud noſtros inſania. Ad punctum qvaſi Dd. non leviter altercantur. Diſſolvi matrimonium verius eſt, qvod ab Eccleſiis & earum Conſiſtorialibus communiter eſt approbatum, legibus qvoq; divinis magis conſonum, *Beuſt. p. 2. q. 34.*

Beza de divort. & repud. p. 228. Dissentit *Covarruv. in epit. causs. matrim. p. 2. c. 3. § 7.* latè *Wesemb. ad tit. ff. de ritu nupt. n. 8.* persequitur hanc quæstionem, & tamē concludit pro matrimonio videri pronunciandum, per *c. fin. de re judic. & paulò inferius* addicit *Ulp. in l. si uxor 13. §. fin. de adult. ibi*: Stupri accusari eam mulierem non posse, quæ post illud ducta est. Sero enim, inquit, accusat mores mulieris, quos uxorem ducendo probaverit, & cum ibi non distinguat inter ignorantem & scientem, sed loquatur generaliter, nec nos distinctionem facere debere putat *leg. de pretio, de in rem act.* Verùm quod cum pace ipsius dixerim, videtur mihi in ea lege distinguendum, quod patet ex §. præcedente, ubi repudiata uxor reducta ex delicto, quod in matrimonio admisit, accusari non potest, abolevit enim prioris matrimonii delicta reducendo eam, sequitur §. *in fin. incipiens.* Idem dicend. &c. *cum ad §. loquatur* de delicto prioris matrimonii noto cognito & famato, ut sic vir reducens eam sciens ex delicto prioris matrimonii eam accusare non possit, cum videatur ipse ipsi remisisse reducendo eam puto firmiter *seq. §. dicend.* etiam intelligi debere de sciente, qui sciens aliquam corruptam, vel stupratam duxit, ut ita sero accuset mores ejus, qui uxorem ducendo probavit, quod dictio in princip. idem innuit, non verò de ignorante. Ponit ergo Ulp. duos casus diversi facti, sed unius juris, prior est de reducta, alter de ducta, ejusque morum probatione ante-

cedente

cedente cui consentit *l. 47. solut. matr.* ubi si mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur à marito, cur enim improbet maritus mores, qvos ita aut ante corripuit, aut postea probavit, qvæ *l. similiter* loqvitur, de viro sciente corruptam aut præbente eam lenocinio, & videtur *d. §. loqvi* de eo, qvi duxit aliqvam, cum qva ipse stuprum ante commisit, argumento §. præcedentis loqventis de reducente adulteram qvam ante habuit, qvod & innuit, verbo probavit, qvî enim possum aliqvid probare, qvod ante nescivi. Deniqve ad suam negativam tutandum adducit Wesemb. historiam Josephi *Matt.* 1. (qvi à justitia commendatur, qvod cum Maria conjuge, qvam ex aliâ prægnantem suspicatus, divortium facere secretò instituit) & ad eam respond. illud exemplum præjudicium ad hanc causam afferre magnum non posse, non enim exemplis, sed legibus esse judicandum, *l. nemo*, 13. C. *de sent.* nec de facto, sed de jure qværi, qvanqvam ibi factum nullum propositum sit, sed tantum cogitatio pii viri & justi, qvæ ad nullum actum processit, & deniqve dicit Wesemb. valuisse illo tempore etiam legem stetisse πολιτείαν Mosis, ut ejus jure rectè uti, & qvandam illi ἐπιείκειαν adhibere moderatus homo potuerit. Verum nec ego illud exemplum hucce trahendum censeo, minus enim verum est, qvod ob suspicionem Josephus voluerit Mariam deserere, ut putat Wesembec. Nam textus dicit, eum justum, ideo enim ut *Origenes Hom. in nativ.* Chri-

Christi vigilia tradit, eam dimittere voluit, qvoniam virtutem mysterii & sacramentum qvoddam magnificum in eadem cognoverit, cui approximare sese indignum existimabat, ergò humilians sese ante tantam & tam ineffabilem, qvæsiit se longè facere, sicut & B. Petrus Domino se humilians ajebat · Recede à me Dominine, qvia homo peccator sum, vel sicut iste centurio ad eundem Dominum dicebat: Non sum dignus, ut tectum meum intres, vel sicut S. Elisabetha ad ipsam locuta est Mariam: Et unde hoc mihi, ut veniat Domini mater ad me. Sic & Joseph, juste humiliat sese in omnibus cavebat & timebat sibi tantæ sanctitatis conjunctionem adhibere, ideo voluit eam occultè dimittere. Verior igitur opinio est dissolvi ejusmodi matrimonialem contractum: Qvis enim æs pro auro retineat? Qvis alienos foveat liberos? Cuivis ulterius indagandum relinqvo.

CAPUT XXVI.

Num sit melius uxorem ducere virginem, qvam viduam?

VIrgo & vidua pari jure censentur, *l. inter liberos 6. ff. ad l. Jul. de adult.* ibi adulterium propriè in nupta committitur, stuprum verò in virgine & vidua. Verùm in hoc casu præferenda videtur virgo. Duplex enim labor est ei, qvi viduam ducit, prior ut dedoceat alterius viri mores, alter ut suis assvefaciat, qvam rationem qvidem qvanqvam dissimili artificio, tamen

men manifestè docuit *Timotheus Musicus*, qvi duplicem mercedem exigebat à discipulis, qvi alium habuissent præceptorem. Vidua enim, si non omnia ex voto succedant, statim allegat & recenset mores & acta priores mariti, ipsamet imperium, cum hoc genus admodum libidine regnandi ardeat, arripere audet: hinc contemtus, perpetuumqve jurgium, & ridicula vulgo res est, & cavillis hominum obnoxia, uxorem viduam ducere, qvod vel tritum apud juris civilis Dd. dicterium *Bulgari JC.* discipulorum in præceptorem satis ostendit *gl. ad. l. rem non novam. &c. C. de judiciis*, Bulgarius enim vespere viduam uxorem duxerat, & mane *l.* illam *Rem non novam*, &c. explicare incepit, qvare derisus fuit ab autoribus, ut *notat. Accurs.* Sed & Verrius Flaccus, ut refert Varro juris Pontif. perítiss. eos, qvi viduas ducerent veteres fossas tergentibus comparare perqvam facete solitus fuit.

Hæc enim ejus fuisse sententia fertur, qvia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere jus non esset, ideo magis viduis qvàm virginibus idoneas esse ferias ad nubend. *Macrob. lib. 1. Saturn. c. 15. Alexand. ab Alex. Genial. dier. lib. 2. c. 5.* Qvamobrem non immeritò præcipit *Hesiod.* virginem ducendam esse, ut gratis moribus imbui possit *lib. 2. ἔργων καὶ ἡμερ.*

Παρθενικὴν δὲ γαμεῖν ὥς κ' ἤθεα κέδνα διδάξῃς

ejusdemqve sententiæ est *Aristoteles lib. 1. Oeconom.*

CA

Caput. XXVII.

Num conducat virgini juveni nubere seni sexagenario de ponte dejiciendo?

QVare sexagenarii de ponte dejici dicantur, tradit *Marlianus in Topog. urbis Rom. lib. 7. cap.* 7. Romæ post incensam à Gallis urbem ob inopiam cibariorum decretum latum, ut Sexagenarii é ponte Sublicio, cujus vestigia adhuc in medio alveo Tiberis ad Aventini montis radices cernuntur, in Tiberim tanqvam patriæ inutiles dejicerentur, unde Sexagenarii *Depontanei* dicebantur. Veritas tamen hoc habet, qvod Sexagenarii à suffragio repellebantur, & ita eos ponte dejici solitos ferunt, ast neutram harum opin. probandam fore censet *Hier. Ferrutius in addit. ad Marlianum*, cum non habeant aut certos auctores, sed vulgi prorsus sit opinio. Ovid. svadet: Si vis nubere, nube pari. Qvæ enim amicitia inter conjuges impares? inter sexagenarium & juvenem puellam? qvam jocunditatem, proprium connubii, puella à sene expectabit? Aristoteles duo de viginti natas annos puellas nuptui collocandas censet, virum, autem sexto & trigesimo ætatis anno opportune uxorem ducere asserit; ejusmodi ætates perfectæ sunt ad sobolem procreandam, qvod & causa fuit *Imp. in. l. 27. C. de nupt.* qva sexagenarius minorem qvinqvagenaria ducere prohibetur. Cum sint tria bona matrimonii fides, proles & sacramentum,

cap.

cap. omne itaq; 27. *q.* 2. *Curtius conf.* 66. *sapienter, col.* 3. *Jason. in l.* 1. *col.* 12. *ff. solut. matr. Joh. Lup. in. Rubr. de donat. inter vir. & uxor. char.* 12. *in col.* 1. *Gilbert post* 2. *Oeconomicorum Philos. in qvæst. chart.* 6. deficiente uno, & sic bono prolis non valet matrimonium, *Præpos. in cap. tanta col.* 3. *& seq. C. qvi fil. sine leg.* Et per hoc fundamentum *Portius Inst. de nupt. col.* 3. dicit senem non posse nubere. Cum igitur isti adeo senes non possunt dici habere spem prolis, nec ejus respectu contrahere matrimonium, videtur, qvod uxorem capere non possint: non enim sufficit eis, qvod super ripam Acherontis vitulus depastus sit, nisi antrum subintraverit, *Præpos. in c. fraternitatis in pr. de eo qvi cognov. consang. uxor. Portius Inst. de grad. cog. col.* 3. qvia verus coitus non fit sine erectione virgæ. *Aristot. part.* 4. *probl.* 23. & nisi intret, nec sufficit emittere semen inter crura. *Curt. conf.* 98. *incip. Christoph.* nec sufficit etiam recte ambulare si iter non perficiat. Et sic habere hastam rectam sine effectu. *Soc. in c. l.* 1. *col.* 3. *ff. sol. matr. Sylva nupt. lib.* 2. *n.* 12.

CAPUT XXVIII.

Num virginitas totaliter perdatur actu Venereo?

ANgelus *Clavassinus in Summâ in verbo virginitas.* §. 2. Qvæ reqviruntur, ut amittatur Virginitas? Resp. qvod reqviritur primo pollutio completa, ubi sciendum dicit, qvod triplex humor de genitalibus stillat, primus sc. semen

men, ſecundus humor ſimilis ſemini, qvi eſt medius & ſtillat qvandoqve ex ſolo tactu vel auditu turpium, tertius eſt urina. Perditur autem Virginitas per ſolam ſeminis reſolutionem qvæ locum coitus ſupplet, vel ejus complet delectationem. Secundo reqviritur qvod talis delectatio ſit ex voluntate operante vel conſentiente vel non diſſentiente, vel non, qvantũ poteſt, retinente nam voluntate de medio ſublata omnis act' eſt indifferens *Bald. in l. fedisſimam per illum text. C. ad l. Jul. de adult.* non ergo deſinit eſſe virgo, cujus virginalis clauſtri eruptio facta eſt medicinali arte ita morbo exigẽte ut docet *Maſc. de prop. in concluſ. incip. Virginitas, n. 7. Thom. Actius. de infirm. p. 2. lit. V. verb. virginitas-* Alii tamen volunt, qvod ſi etiam pollutio non ſeqvatur, ut in illis, qvi ſunt ante tempus, ſeminis, qvi tamen explent coitum, vel per turpem actum vel per comixtionẽ cum alio & hujusmodi amittatur & placet, tamen per pœnitentiam recuperabitur. Ulterius §. 345. *hinc Mart. Navarr. in com. man. prac. 6. n. 1.* Vis inqvit abſoluta & coactio ad fornicand. ſine conſenſu voluntatis, licet aliqvam delectationem accipiat de ipſo actu, dummodo non cooperetur, neqve in ipſum actum, neqve indelectationem conſentiat, excuſat à peccato & amiſſione virginitatis ex S. Lucia. Idem *dicto lib. prac. 6. num 3.* Non eſt peccatum, qvando omnino renitentis puellæ virginitas violatur, adde qvod nec corrumpitur virginitas, ſed duplicatur ad coronam, teſte

ſte S. Lucia Syracuſana, ut refert *Gratianus* 23. *b.5.*

CAPUT XXIX.

Num virginitas ſemel amiſſa posſit reſtitui?

S. *Hieronymus in epiſt. ad Euſtach. & relat.* 32 *q.5. c.ſi*, Paulus *ſuper Amos* 5. Virgo Iſrael cecidit, & non eſt, qvi ſuſcitet eam. Audacter dicam, cum omnia posſit Deus, ſuſcitare virginem non poteſt, poſt ruinam. Valet qvidem liberare de pœna, ſed non valet coronare corruptam, &c. habet enim hoc donum virginitatis ſicut ſericum, qvod cum ſemel in lutum cadit, nunqvam perfecte abluitur, qvin ſemper macula appareat. Idem dicit lex, qvod virginitas reſtitui non poteſt, *l.1. in pr. C. de rapt. virg. ibiq, Salicet.* Qvidam ſic intelligunt, id eſt, qvod Deus non poteſt facere, qvin fuerit corrupta, qvia factum non poteſt eſſe non factum, *l. in bello* §. *Facti* 2. *ff. de captiv.* Et qvod hic dicitur, non refertur ad carnis corruptæ reſtaurationem, ſed virginalis palmæ retributionem & Dic: Non poteſt, idem eſt, non congruit ejus potentiæ, ut aureola coronet corruptas, hoc enim eſſet contra juſtitiam, & ideo illud non poteſt, ut *arg. de pen. d.* 2, §. *charitas*, *ſeqvuntur, S. Auguſtinus. S. Ambroſius. S. Johannes Chryſoſtomus, qvos refert Baſilius Gradi in trattato della verginita c.16. L. Apulejus in Apologia.* Sola virginitas inqvit, cum ſemel accepta eſt, reddi

di neqvitur: ibiqve *Scip. Gentilis in not. num. 911. Simon Majolus in dieb. canicular. colloq. 4.*

CAPUT XXX.

Num fiet sufficiens probatio amissæ virginitatis absentia Hymenis?

TRadunt Medici pro competimento virginitatis, qvod primus concubitus cum fœmina fiet asper & durus ob fractionem Hymenis, qvod est cuticula parvula intercludens ingressum & matricem vulvæ, ad qvod etiam Moses videtur respexisse *Deut. 22. vers. 13* cum seqq. in cujus loci expositione *Frasmus Marbach.* comment. in pentateuch. non abs re conjicit lintea primi concubitus præsentibus testibus à parentibus in locum securum reposita fuisse, ut ubi usus esset, filiarum pudicitiæ indubitato testimonio essent *Alex. in l. item apud* Labeonem, §. *si qvis virgines, ff. de injur.* Abbas *in c. propsouisti de prob Socin. jun. in consil. 102. in 2. part.* Barbat. *in d. c. proposuisti. Cotta in memorab. in verb. Hæres suus,* & statur assertioni mulieris contra delinqventem, qvod fuerit virgo. *Alex. in cons. 129. n. 2. vol. 6.* & qvod præsumatur gravida ab eo, qvi ipsam cognovit. *Alex. ibid Cæsar. Ursilius in addit. ad afflict. decis. 236. n. 2. & 3. Ann. Rob. lib. 14. rer. judic. c. 10. Georgius Schell. in repetit. potiorum tradition. de indic. & Tortura rh. 26.* morem civitatis Nolensis refert, probari virginitatem de præterito per pannum sangvinolentum *Afflict. decis. 236. num. 3.* Verum *Ambrosius* Pareus regius ille Galliæ Chirur-

rurgus tanqvam fabulam & figmentum, qvicqvid veteres de Hymene cantarunt, rejicit, cum ipse in tot virginum & puellarum anatomiis nullum invenerit, sangvinisqve profusionem in primo concubitu, & ex angustia & fractione tenuium venarum oriri, cum in adultis virginibus nullus dolor neqve sangvinis effusio in primo concubitu advertatur. Sed & summi Medici & Philosophi, etiam qvidam Juris Consulti prodidêre, nullum esse Hymen, ut doctiss. Cujac. & diligentissime omnium sententiis expositis scripsit *Alberic. Gentilis in lib. 7. De nuptiis.*

CAPUT XXXI.

Num ob absentiam Hymenis sponsus sponsam repellere qveat?

JOh. Chrysostomus ait super *Matth. c. 5. relat. 33. qvæst.* 1. *c.* Sicut crudelis & iniqvus est, qvi castam dimittit uxorem; sic fatuus est & injustus, qvi retinet meretricem, patronus enim turpitudinis est, qvi celat crimen uxoris, ibiqve gl. Et frustra qvis petit sibi fidem servari ab eo, cui ipse non servat *c. frustra, de R. J. in 6.* qvorsum enim tu castam tibi virginem postulas, qvum tuum corpus luem contraxerit? aut cur dimidiam tui partem purgatam desideras, alteram autem partem pollutam retineas? pulcre & vere regie docet *Jacob. Scot. & Angl. Rex in* Βασιλικῷ δώρῳ *lib. 2. ad filium. suum* Henricum. Si enim metuit Imp. Justinian9, ob non solutam dotem, mulierẽ

à viro forsitan repelli & distrahi matrimonium, *l. generaliter, fin. ff. ad SCtum Vell. ibiq, Balb. l. fin. C. de sent. quæ sine cert. quant. prof.* & est ratio, quia ex dote tenetur vir onera matrimonii sustentare, ut *in cap. salubiter, de usu. & l. si cum dotem §. sin autem ff. solut. mat in c. per vestras, de donat. int. vir. & uxor* & ibi *Abbas Bald. in l. in divis. ff. eod. Platea in tr. restitutionis, n. 54. per l. si donatarius, ff. de condit. ob caus. 30. q. 5. c. nullum sine dote, Gl. notab. in §. fin. in verb. onera, Auth. de non eligend. secundo nubentes, Jas. in §. fuerunt, n. 98. Inst. de act. Bald.* reputans eam gl. singularem & mente tenendam, *in c. qvemadmodum, n. 8. vers. ult. scias, de jure jur. Vinc. Carocc. de patr. fil. dot. q. 20; Boer. decis. 22. n. 1. Bald. in l. ult. C. ad Vellejan. Bald. in l. uxor. n. 2. ff. de negot. gest. & Gail. observat. 87 lib. 2. pract. observ. num. 2. & observ. 95. n. 16. lib 2. Hermannus Meyrer. de præferent. credit. lib. 2. t. 6. n. 8.* Qvantò magis ob interitum illum dotis internæ castitatis videlicet & pudicitiæ repellenda erit, ut enim dona animi interna præferuntur donis externis, & *JCtus Pomponius in l. 1. ff. solut. matrim.* Dotium causa semper & ubiqve præcipua est, nam & publicè interest, dotes mulieribus conservari, cum dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam, replendamqve liberis civitatem maximè sit necessarium, *dict. leg. fin. C. ad SCtum Vellejan.* Castitas autem summa dos fiet virginis, utpote qvæ major in sexu fœmineo reqviritur qvàm masculino, *l. si qva illust. C. ad SConsultum Orifitian. leg. oratione de ritu nupt.*

CA-

CAPUT XXXII.

Num virgo nupta mater esse volens ab impotente marito diverti qveat?

IMpotentia coeundi est vitium animi vel corporis, vel utriusqve qvo qvis impeditur alii carnaliter commisceri secundum Ray. & sunt tres ejus species, prima dicitur naturalis & frigiditas in viro, arctatio in muliere, & defectus ætatis in utroqve vel altero. Altera est accidentalis, qvæ provenit à causa extrinseca & accidentali ut castratio, & tertia & maleficialis, qvæ à dæmonibus provenit. Circa frigiditatem & arctationem ad hoc, ut impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, reqviritur, primò, qvod præcesserit tale impedimentum matrimonium, qvod si advenerit post contractum, non dirimeret, licet esset rationabilis causa dispensationis fiendæ per Papam, vel alter aptus contrahere cum alio, si nondum erat matrimonium consummatum, *ut nov. Paul. in c. ex part. & in c. ex pup. de conversf. conjug.* Idem dicitur de impotentia accidentali, secund. eundem Paul. *c. qui sedem, & c. consultatione de frig. & malef.* Secundò reqviritur, qvod si tanta, qvod nullo modo possit coire, hoc est: secundum *Petr. de Palude*, qvod sit talis, qvod impediat actum, perpetuo saltem, qvia licet impediret effectum generationis, sed non actum; qvi est emissio seminis in vase, non esset impedimentum. Tertiò qvod sit perpetuum impedimen-

tum, ita qvod nullo medicamine aut remedio possit removeri, qvia si posset sine periculo mortis removeri, non dirimeret hoc, *nov. in c.* 1. *&* 2. 33. *qvæst.* 1. *c. &* 2. *de frigid.* qvia, qvando non potest juvari, impedit ut, notat *Ricardus n. 4. distinct.* 34. & eadē ratione de nimia caliditate, qvæ coitum impediret, secundum S. *Thom. ead. distinct.* Qvartò, qvod sit ignorans, qvando contrahit, de tali impotentia, qvia secundum *Petr. de Palude*, qvi scit se vel alium impotentem, & cum accepit, non potest amplius eum dimittere, qvò ad ad vinculum qvod est verum matrimonium, ut. *in d. c. consultationi de frigid.* Et hæc qvatuor etjam reqviruntur in impedimento accidentali, ut dirimatur. Circa verò impedimentum naturale vel accidentale est sciend. secund. *Pa. in c.* 1. *de frigid. & mal.* qvod qvando non potest per adspectum probari, semper debet ad minus habitare per triennium, anteqvam matrimonium dissolvatur, ut *in c. fin. eod.* Secus in impedimento, qvod potest per aspectum probari, ut *in c. fraternitatis, de eo qvi cognov. consang. uxor.* vel per juramentum proprium cum septima manu propinqvorum, ut *in c. laudabilem eod. tit.* qvia statim potest dirimi. Circa vero maleficiatos advertend. qvod aliqvando qvis est maleficiat9 respectu omnium, & sic contrahere potest, & si contrahit post primum matrimonium contractum & conjungitur cum secunda, redire tenetur ad primum, qvia patet, qvod impedimentum non erat perpetuum, & ideo primum matrimonium fuit

fuit firmum. Si autem ſit maleficiatus reſpectu unius perſonæ, ſic non reſtitueretur, qvamvis cognoſcat ſecundam, qvia primum matrimonium fuit nullum & ſecundum fuit validum. *Angelus Clavaſinus in ſumma, in verbo matrimonium 3. impedimento 16. §.1.2.10. & 12.*

CAPUT XXXIII.

Num virgo ita arcta, ut mulier fieri non poſſit, matrimoninm contrahere qveat?

INveniri puellas velatas & attritas, qvas vocant, qvæ ita clauſæ ſunt in pudendi ſinu & ore uteri, ut nec conſvetudinem viri ferant, nec affluant menſtrua, conſtat. Et non perforatarum meminit *Ariſtoteles in 4. de generat. animal. c.* 4. & dicit Pontifex *in c.* 3. *de frigid. & malef.* qvod ſi vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit juvari, viro aliam accipiendi tribuat facultatem. Item *c.* 4. *d. tit.* reſp. Pontifex qvod licet incredibili videatur, qvod aliqvis cum talibus contrahat matrimonium. Romana tamen Eccleſia conſvevit in conſimilibus judicare, ut qvas tanqvam uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores, juxta Auguſtini dictum? Si non poſſit cohabitare, ut conjux, cohabitet ut frater, vel ſoror. Sed qvid jus civile Romanum de talibus? *JurisConſultus Ulpian. in leg. qværitur 15. §. mulierem, ff. de ædil. edict.* ita arctam, ut mulier fieri non poſſit, ſanam non videri conſtat. Maritus ergo qvi vult

esse pater liberorum, licitè divortium ab ea petere potest. Favor enim liberorum maximus erat apud Romanos, § *si enim tres liberos*, §. *filii autem superstites*, *Instit. de excusat. tut. vel curat.* & dabatur privilegium illis, qvi sobole civium numerum multiplicabant. Augustus Cæsar in Oratione ad maritos. Item, ad Cælibes *apud Dion. Cassium Nicæum*, *lib. 56.* tum maximum & præcipuum munus ac officium mulierum est accipere, & tueri conceptum, *d. l. qværitur, in pr.*

CAPUT XXXIV.

Utrum mulier propter arctitudinem separata à primo viro & conjuncta secundo qvando efficitur habilis primo, propter usum secundi sit restituenda primo?

RESp. *Pa. in c. fraternitatis, de eo qvi cognovit cons. uxor. suæ* qvod si non poterat conjungi. Primo viro antea sine periculo mortis, per aliqvod remedium, qvod non restituitur, sed stabit cum secundo, qvia cum primo non fuit matrimonium: ut tenet *Abbas & Petrus, & seqvitur Joh. Andr. in d. c. fraternitatis in fin.* qvod verum limita, qvando apertè apparet de dissimilitudine membrorum amborum, alias esset restituenda, qvia videtur Ecclesia decepta. Et sic concordant Doct.

CAPUT XXXV.

Num ab incubo infestata virgo amittat virginitatem?

PLurimi trahunt ortum gigantum ad Dæmonum

num concubitus, qvod teſtatur & *Bonaventura in 4. ſentent. diſt. 44.* Is cum negaſſet monſtra reſurrectura eſſe, ob id qvod in iis non naturæ veritas, ſed error potius ſit? hæc addidit : Si ſunt magnitudine gigantes in via. in patria non erunt. Si vero qværas, unde habuerint ortum, dicendum, qvod, ſicut narrat Joſephus, Dæmones incubi aſſumtis corporibus generent, & Dæmon oſtendit mulieri, cum qva concubuit, figuram talem hominis maximi, & ideo tum propter ſeminis multiplicationem, tum propter virtutem animalem generatus fuit homo miræ magnitudinis & ille poſtmodum alios generavit. Verum pleriqve negant medias illas poteſtates eſſe, qvas Plato in Sympoſio ſtatuit, hinc & *Theodorus Byzantius* & nonnulli alii Philoſophi ſenſerunt, ſimulacra & nocturnas apparitiones ſapientibus nunqvam apparuiſſe, ſed pueris, mulierculis vecordibus atq; ægrotis, qvi per imbecillitatem animi aut corporis aſſidua formidine qvatiuntur, & inanes vanas atqve ab omni veritate alienas opiniones amentia qvadam ducti ſibi perſuadent. Unde & *Remigius in Dæmonolatreja ſua* ſpirituum negat cum mulierib⁹ commiſtionẽ. Qvid enim corporis expers cum corporeo agere poteſt? aut conceſſo, qvod ad tempus aſſumant corpora; ea aut è nubibus & terræ vaporibus erunt compoſita, aut mortuorum hominum cadavera induta, ſed qvid illa corpora, cum ſimile procreet ſimile, aſſumta, omniqve calore penitus deſtituta ad procreandum idonea erunt?

Etiamsi semen aliundè auferatur, ut contendunt qvidam Magiæ scriptores, illud tamen, qvam primum vase egreditur debito, frigidum redditur, & ad omnem generationem inhabile, ideoqve pollutio illa & titillatio nocturna, qvam sentiunt virgines, ex pravis cogitationibus diurnis summo appetitu, maximoqve pruritu, seminisq; copia abundante oritur & contingit. Spiritus enim, cui neq; caro, neq; sangvis neq; membra famulantia generationi concessa sunt, qvo modo coire desideraret? qvi cibo non reficitur, unde cibi superfluitate semen, unde pruritum libidinis haberet? immortalis an successorem cuperet? Incorporeus num in complexum corporis venire possit? Et si generaret, nonne sibi similem potius spiritum, qvàm corpoream substantiam produceret; qvo dato jam dudum omnia dæmonum plenissima forent? Et qvamvis multæ sagæ congressum Satanicum expertæ ac peperisse dicantur. Resp. malancholicas ac pituitosas mulieres sæpius recubantes incubo vexari, præstigiisqve Venereis deludi posse, sine tamen semine masculo concipere, fœtumqve corporeum excludere non admittend. censet *Tandlerus in orat. de fascino & incan. q. An Lamiæ Venerem exerceant, p. mihi 18. & 19.* si qvandò igitur Lamiæ peperisse visæ sunt, partum vel imaginarium fuisse, vel suppositium credibile est, *Laurentius Ananias tamen in libr. de natura dæmonum* contrarium huic planè statuit, plerosq; namq; heroas deperditosqve homines ex tali concubitu

ortos

ortos esse scribit, Neronem ex angve conceptum, Merlinum illum vatem Anglum ex incubo procreatum, adstipulatur huic. *Strozius Cicogna ia Theatro univers. natur. seu magia omnifaria libr. 3. c. 3. allegans Scot. in 2. sent. d. 7. q. 1. August lib. 15. de civit. Dei c. 23. & lib. 1. q. sup. Gen. 43.* cujus verba sunt: Fama, inqvit, vulgatum est, & à multis approbatum atqve etiam acceptum ab iis, de qvorum fide dubitari non debet, Faunos & animalia qvædam sylvestria à vulgo Incubi dicta, mulieribus ita molestos fuisse, ut concumbere cum ipsis luxuriemqve explere cupierint, recenset ex Henrico Institore & Jacobo Sprengero exemplum, de monacha diu ab incubo tentata. Ex incubis vel succubis geniti videntur, qvos Mahometani Noffefoglios vocant, & è Spiritu sancto natos impiè credunt. Saxo Grammaticus & alii scriptores affirmant Gothorum reges è matre nobili & Spiritu incubo ursi formam gerente ortum habuisse Johann de Bartos auctor est Pegusianos & Sejanitas Indiæ populos à mulieribus dæmonum concubitu impraegnatis originem traxisse. Incubos generare *Beda* in historiis Britonum & multæ aliæ scripturæ testantur. qva autem ratione hoc fieri possit non videtur, nisi hac sola, qvod virile semen effusum mox in vas muliebre cum debita temperantiæ qvalitate transfundant, Sed sic propriè generare incubum non dicendum, infinitas tamen rationes latere humanis ingeniis in rerum secreto naturæ plenissimè confitendum, & paucissimo

re-

respectivè hominum sensibus apparere. Et incubos Dæmones oppressisse fœminas qvasdam alias Venereis confabulationibus ad concubitum illexisse, in veneficiis utriusqve sexus in parte Orientali Flandriæ atqve Brabantiæ per judices seculares deprehensum est, & scelus illud extremo supplicio punitum: confessiqve sunt occasione hujuscemodi perversissimæ voluptatis se ad veneficii crimen protractos & qvamvis essent conjugati, qvod tamen relicto toro legitimo, alter succubo altera incubo multo tempore sceleratissimè permixti fuerint. Similia scribunt in Germania contigisse ante annos centum *Jacobus Sprengerus & Henricus Institor in malleo malef. part.* 1. *q.* 1. *cap.* 4. *& Innocent. VIII. in epistola decretali adversus maleficos. extat in* 7. *Decretal.* De incuborum generatione late agit *Petrus Boysteau in libro Gallice edito, de historiis prodigiosis*, ubi multis in utramqve partem civitatis auctoribus & exemplis docet eos nullo modo generare posse, qvia generari neqvit homo nisi ex humano semine. Verum hæc ratio nulla est, nam si generare posse dicamus incubum, non id fiet ex proprio semine, qvo caret, sed humano aliunde petito, ideoqve nec filius dæmonis erit, qvi ex hujusmodi nascetur concubitu, sed illius hominis, cujus est semen. Eos itaqve generare posse plerique omnes confitentur, *ut Thomas in* 2. *d.* 8. *art. & in summa p.* 1. *q.* 51. *art.* 3. *Durandus ibid. q.* 2. *Jacob. Sprenger. loco citato Goscaltus Hollen. serm. ult, in* 6. *præcept. De.*

ca-

calogi, Sylvest. verb. matrimonium 8. n. 15. §. 2. Francisc. Valesius in lib. de sacra Philos. cap. 8. ubi putat cum Josepho eorum opera gigantes illos, de qvibus in *Gen. c.* 6. genitos esse, & plures alii, qvos citat *Benedictus Pererius lib. 8. commentar. in Genesin. disput.* 3. sed ipse nihil determinat.

CAPUT XXXVI.

Legatum puellæ minori ut intelligatur?

INtelligitur, cum erit viripotens, non enim dicitur nupta, qvæ virum pati non potest l. *qvod puellæ ff. qvando dies, legat. ced.* & si ante ætatem nubilem decedat puella, non transmittit, si conditio sit adjecta substantiæ legati, secus si præstationi, *Bal. in. si cui legitur* §. *ff. de leg.* 1. *illustriss. Mantua, de conject. ult. vol. lib. 12. tit.* 21. *n* 27, *Actius de minor. in delict. excus.* q. 21. *num.* 3. & 4.

CAPUT XXXVII.

De donatione virginum.

DOnationem ex pluribus reddi invalidam ob doli suspicionem scripsit *Augustinus Beroius cons. 59.* licet de simplici per tot. vol. 1. interdum ratione personæ, ut qvando formosa adolescens pulcro juveni donat, subest enim doli suspicio re ipsa ex timore inhonestatis, *Beroius loc. cit. n. 13. per textv, in leg. fi. in fin. cum gl. ff. de A. & O. & ibi Alex. in Apostil. ad Bartolum & Paulus de Castro in l. post contractum ff. de donat.*

nat. licet facta à juvene formoso pulcræ adolescenti valeat; etiamsi subsit aliqva suspicio inhonestatis *Beroius dict. n. 13. per. text. in l. affectionis ff. de donat.* qvo casu ubi Donatio nulla est ex suspicione inhonestatis, qvę damnatam à jure saperet turpitudinem, forte non male diceret, qvi vellet donationem nullam qvidem esse, qvo ad donantem & donatarium, donata tamen pertinere ad fiscum & ab adolescente donante tanqvam ab indigna auferenda per ea, qvæ de clerico donante concubinæ, ut applicentur fisco, dicit *Capra consl. 127. Qvidam Rodonellus Vivius in commun. opin. 205, Donatio facta concubinæ num. 5. vers. limitatur, & Bard. in l. mulierem ff. de his qvibus ut indign.* Et ita tandem fuisse judicatum in supremo senatu regni Lusitan. qvamvis sibi visa fuerit dura decisio, testatur *Anton. à Gama in dec. 58. in procesf. causf. in fin.* se certe non adeo demiratus fuisse Gama hanc opin. si Grat. Vivium, Bartol. locis citatis vidisset secundum Ripam in *tr. de Nocturno tempore cap. 105. de donat. num. 1. 2. 3. 4.*

CAPUT XXXVIII.

Num virgo sine tutore donare possit?

CUm mulierum genus avarissimum sit, *gl. in. §. qvoniam infimus in verb. Maxime, auth. de nupt. Bartol. consf. 127. part. 1. Tiraqvel. de retract. convent. in præfat. num. 35. vers. super eo tamen. post Barbat. consf 8. illud afferam, col. 5. vers. modo in proposito. l ib. 4. Ripa de nocturn. tem. cap. 16. num. 15.* adeo ut pro miraculo habeatur ejus donatio. de

jure

jure civili definitum eſt, donare ipſam non poſſe, *l filiumfam. in. pr. ff. de donat.* De jure vero Saxonico virgines & viduæ ſine tutore donare poſſunt *text. eſt in artic. 45.* Landrecht/ideo errant, qvi illarum donationes infringere volunt, propterea qvod ſine tutorum autoritate donaverint. ſunt enim validæ & firmæ, dum modo ejus ætatis ſint, ut tutorem habere non teneantur, &, tutoris non interſit, ex qvo ſeqvitur, qvod virgines absqve conſenſu tutorum contrahere poſſint. Landrecht. *d. ar. 45. SchneideW. Inſt. de donat. inter vivos, § alia num. 35. &c.*

CAPUT XXXIX.

Num ſi virgo perſuadet juveni, ſe eſſe divitem, & ita inducat illum ad promittendum matrimonium, ſubveniatur juveni, ſi contrarium compertum ſit?

DEcidit *Joh. de Imolà in cap. cum dilectus, extr. qvod met. cauſ.* Qvod non: ſicut nec error fortunæ facit, ut matrimonium dirimatur, ut eſt *text. in c. 1. 29. q. 1. adde Jaſ. in l. pacta noviſſima C. de pact. &* Alb. *in c. cum dilecti, de emt. in d. c. cum dilectus, ubi poſt Innoc.* præd. limitat, niſi eſſet tantus & inſignis dolus, qvi removeret conſenſum, & prudentiſſimum qvemqve falleret, iſto caſu ſubveniretur decepto, niſi poſtea per voluntariam rati habitionem iſte dolus eſſet purgatus, *argument. c. de illis, de ſponſat. impub. Nevizan. in ſylva nupt. lib. 2. num. 58.*

CA

CAPUT XL.

Num virgo possit esse legata.

QVum Romani, ut videre est apud Livium lib 2. sæpius & dederint & acceperint obsides puellas virgines, sive prætextatas, nunqvam verò mulieres corruptas, hic de virgine legata agendum duxi, *Gæddæus in comment. ad l. mulieris* 13. *ff. de V. S. n.* 11. hoc axioma tradit: prohibitiones legales interpretationes, & alia jura ad mulieres pertinentia, comprehendunt etiam virgines viripotentes, nisi subjectum vel circumstantiæ qvalitatis aliud svadeant, ideoq; cum intercedere postulare, procuratorio munere fungi, judicare, magistratu gerere mulieres prohibeantur, l. 2. *ff. de R. Jur.* intelliguntur etiam virgines viripotentes prohibitæ, per *d. l. mulieris fac. c. unic.* §. *qvin etiam Episc. Abb. c.* 1. *in pr. & fin. de suc. feud. c.* 1. §. *ad filius de succ. fratr. de Usib. feud.* Et *Ulp.* proficisci procos melius sine uxore existimat, *in l.* 4. *ff. de offic. proc.* multò minus igitur mulierem solam proficisci aut legati munere fungi permittet. Ratio perqvam lepida est apud Kirchner. in legato, cum natura illas partes, qvæ ad sessionem sunt destinatæ, latiores in fœminis fecerit, qvam in viris, innuens domi eas manere debere. Et in *d. l.* 2. *ff. de R. J.* ubi fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis removent, interp. nullam rationem addunt, nisi qvod moribus ita receptum sit Rom. non attenta consvetudine alias nationes

nes

nes aſſignari poſſe ego duco. In judice ſiqvidem ut & in legato reqviritur animi gravitas, auctoritas & conſtantia, cujus animi motum vultus non detegat, l. *obſervand. ff. d. l.* qvæ in fœminis deſunt, & ſi adſunt, ſcurrilitas potius & inanis audacia cenſetur, qvam gravitas, ſecretum ſi qvid agendum ſiet, taciturnitas rarum, rariſſimum imò in fœmina donum eſt. Nec refert, qvod Dd. hanc regulam fallere ajunt in dignitatibus hereditariis, exemplo Regina Siciliæ *Johanna*, qvam in regio ſolio ſedentem & ſententiam dicentem vidiſſe refert *Angelus*: Exemplo Elizabetha Anglica, qvæ per multos annos feliciter regnavit, Reſp. qvia *d. l.* non loqvitur de talibus dignitatibus hæreditariis, ſed de civilibus & publicis officiis conſtitutæ bene reipub. Virginem igitur Legati munere fungi haut poſſe concludo, non enim poſſunt eſſe virgines de conſilio, qvia ſunt molles, imbecilles & leves, *Bened. in repet. c. Raynutius fol.* 14. *col.* 4. *de teſtam.* & miſſio Veturiæ matris Coriolani apud Livium non fuit propriè legatio, ſed deprecatio.

CAPUT. XLI.

Num virgo poſſit eſſe miles armatus?

PRimo intuitu videtur dicendum: Qvod non, qvia non poteſt eſſe miles togatus, per l. 2. *ff. de reg. jur.* inhibitum ſiqvidem eſt fœminis munus Notariorum, Procuratorum proqve aliis intercedere, & ratio qvidem prohibendi, ne contra pudicitiam ſexui congruentem alienis

E caufis

causis se immisceant, ne virilibus officiis fungantur mulieres. Origo verò introducta est à Carfania improbissima fœmina, qvæ inverecundè postulans, & magistratum inqvietans causam dedit edicto, *l. 1. §. 5. ff. de postulando*, jam de milite terrestri ad Advocatum, qvem militem togatum interpretes jur. civil. denominant, argumentum ducitur per doctr. glos. qvæ existimatur singularis in jure *in leg. miles de re jud.* qvæ scribit, Patronum causæ atq; Advocatum habere idem privilegium, qvod miles armatus, & ratio est in promtu & colligitur ex constitutione *Imp. in l. advoc. C. de adv. divers. jud.* qva cavetur, Advocatos æqviparari militibus & militare, cum per eos tanqvam per milites vita & patrimonium hominum defendantur, & derisorium esse à fœmina qværere de militia, dicit *Angelica Summa* in verb. interrogationes in confessione, §. 2. *Sylva nupt. Neviz. lib. 1. n. 29.* Inveni tamen ego textum *in libello amissi 18. ff. de excus. tut.* ibi, eos solos, qvi in acie amittuntur, prodesse debere *Cujuscunq; sexus vel ætatis sint*, qvem textum non legi ab alio esse observatum: ex qvo colligo, virginem militem agere posse, sicqve etiam ex conseqventi privilegiis gaudere militaribus, utpote qvæ militibus nullo habito respectu ad sexum concessa sunt. Exempla (qvamvis iis judicand. non sit, l. *nemo judex C. de sentent. Glos. Inst. de jur. nat. gent. & civ. §. ex non scripto*, bonum tamen est, ut inqvit Seneca, interpretari præceptum breve & efficax per exempla, & res magis clarior fit

&

& manifeſta exemplis l. *propc*, §. *qvoties de collat. bonor.* §. *hactenus*, *Inſt. de gradibus*, & *exemplis vivitur*, *Novell.* 22. *cap.* 21. *in fin.*) ſunt antiqvæ illæ Amazones, de qvibus multi meminerunt & apud Græcos & apud Latinos, non Poëtæ ſolum, qvi fabuloſa tractant, verùm etiam hiſtorici, qvos â vero recedere turpisſimum eſt. *Trojus Pompejus*, *Diodorus*, *Ephorus*, *Strabo*, *Æneas Sylvius de ſecunda Aſiæ part. cap.* 20. Camilla regina Voſcorum apud Virgilium: meminit & Virg. Pentheſiliæ Amazonum reginæ lib. Æneid.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis,
Pentheſilea furens mediisq; in millibus ardet.
Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetq; viris concurrere virgo.

Fuerunt & in expeditione illa ſuſcepta ab Alemannis Conradi Cæſaris auſpiciis in Palæſtinam virorum comites fœminæ qvædam ingentis animi, qvæ armatæ inſidentes eqvis Amazonum ſpeciem præbebant, ut refert Glycas annal. *Johanna illa virgo Lotharingica* vulgo dicta Pucella *D' Orleans*, qvæ inſpiratione divina arma bellica aſſumens, anno Domini 1430. reſtauravit regnum Franciæ, Anglicos à regno expellendo viarmata, & regem Carolum ad ſuum regnum Franciæ reſtituendo, qvæ puella regnavit tribus vel qvatuor annis, qvam vidiſſe D. Gvido Papæ affirmat *q.* 84. *n.* 2. & Aurelius in ponte ſtatuam meruit qvam ipſemet vidi. Teſtantur de ea hiſtoriæ & judicia ſub titulo *Sibylla Francica*

E 2 tan-

tandem fortè in manus hostium pervenit, qvi fortitudinem ejus divinam magicis artibus attribuentes atrocissimo crudelitatis exemplo eam concremarunt. Sed è rescripto Calixti Pontif. causæ cognitores constituti Joannes Archiepiscopus Rhenensis & Wilhelm Parisiensis innumeros testes omni exceptione majores, super ejus innocentia, modestia, castitate & religione examinarunt, eamqve innocentiss. comperierunt ac pronunciarunt, actaqve adhuc servantur in scrinio Parisiensis Ecclesiæ, qvod Papirius Massonus testatur. Plura de ea egi in opere de miraculis mortuorum, qvo benivolum selego Lectorem. Exemplum mirabile, qvo ad militiam armatam & togatam fuit Regina illa Anglica, qvæ nostra ætate jam post longam regni sui administrationem in vivis desiit esse. Nec refert imbecillitas animi, qvæ maximè viget in sexu fœmineo, ob idq; vocabulum Sexus, non ita intelligendum fore, sed explicari per voculam, vel ætatem arg. *d. leg. 2. de R. J.* Respondeo: Summam qvandoqve audaciam in fœmineo reperiri sexu, ut prædicta exempla satis declarant. Et Ennius inqvit: Vos animum geritis muliebrē, illa virago viri, &c. deinde, bene qvidem alternativa illa *vel* resolvitur in copulam, qvando ponitur inter genus & speciem, vel inter totum & partem, ut tradit. *Lanfrancus de Oriano in c. quoniam super falsam, deprobát. n. 17. text. in l. sæpe. vers. & cum dicimus de V. S. & in l. Qvintus, in fin. ff. de aur. & argent. leg.* Verum hic planè inter diversa

po-

ponitur. Notum eſt enim, qvid ſexus in homine ſit qvidqve ætas, *leg. Hermaphroditus. ff. de ſtat. homin.* Contrarium tenet, qvod videlicet fœminæ non conveniat militare, *Alciat. in conſ.* 10. & *Matt. de afflict. in c. de Vaſall. milit. qvi arma bell. depoſ.* Verum textus ille loqvitur de milite vaſallo argumento Rubricæ, de qvo contentio noſtra non fuit.

CAPUT. XLII.

Ad qvid teneatur, qvi inſectatur virginem?

RESp. *Franc. de platea in tract. reſtit. n.* 4, qvod inſectans virginem & poſt eam vadens, qvocunqve vadat, teneatur ei in juriarum, qvia propter aſſiduam ejus freqventiam & inſectationem infert virgini multam infamiam, §. *injuria*, *Inſt. de injur.* & *eſt text. in l. apud. Labeonem*, §. *appellare.* & §. *aliud ff. de injur.* ſecus ſi non freqventer in ſectetur, ſed aliqvando gratia ſolatii & ludi honeſti: Et hoc verum, qvando interpellat de luxuria virginem honeſtam, ſecus ſi veſte meretricali eſſet induta, qvia tunc eam appellans & inſectans non tenetur injuriarum, *d. l. item apud Labeon.* §. *ſi. qvis virginem, ff. de in jur.*

CAPUT XLIII.

Virginem deflorans, qva puniatur pœna?

DE Jure Civili pœnam lex Julia de adult. arrogat ſtupratoribus, ſi honeſti ſunt, publi-

blicationem partis dimidiæ bonorum, si humiles, corporis coercitatione cum relegatione, §. *item* l. *Jul. Inst. de public. judic.* licet, ut inqvit, *Jul. Car.* §. *stuprum non servetur.* De jure Canonico Clericus propter stuprum cum virgine commissum punitur pœna depositionis, & est commun. opin. ut dicit. *Grilland. de diverf. crim. lib. 3. q. 7. post num. 2.* Laicus autem committens stuprum cum virgine, tenetur eam dotare & in uxorem accipere, si ipsa & pater consenserint, ubi verò non consenserint, solummodo dotem solvere tenetur, si vero stuprator renuerit, tunc prius verberibus tractatus in monasterium detruditur pœnitentiam acturus, *c. 1. & 2. de adult.* Lex divina præcipit, ut corrupta virgo dotetur & in matrimonio habeatur, *Deut. 53.* Verùm copulativa illa ob rationes, qvas adfert *Wesenbec. in Pandect. ff. ad tit. ad leg. Juliam. de adult. num 21.* in alternativam resoluta est. Aut ducatur violata aut pro ejus conditione dotetur, *c. 1. ubi Dd. Extr. eod.* qvod ad eam qvantitatem redigi solet, qvam dedisset in dotem verisimiliter corruptæ pater. Id seqviaur *Papo lib. 22. tit. 9. Aresto* 9. & ita in facti contingentia consuluit *Chass. conf.* 40. & hoc idem etiam servatur in Hispania, ut attestatur *Anton. Gomes. sup. l.* 80. *Tauri, num. 7. in fin.*

CA-

CAPUT XLIV.

Qva pœna puniatur ſtuprans virginem per vim?

CApite punitur, §. *fin autem per vim, Inſtit. de public. jud. Dd. ibid. Jaſ. in §. omnes autem num. 24. Inſtit. de action. leg. 3. §. præterea, ff. de vi publ. l. mariti 29. §. fin. ff. ad leg. Jul. de adult.* De vi publica punitur, cujus pœna eſt deportatio, qvæ ſucceſſit in locum ejus, qva aqva & igni reo interdicebatur, *l. qvi dolo. 10. in fin. ubi gl. ff. ad l. Jul. de vi pub. §. item lex Julia, Inſtit. de publ. judic. l. ſi qvis viduam, ff. de qvæſt.* hic addend. ad conceptionem non reqviri voluptatem ſeu ſemen mulieris, qvod etiam Phiſici tenent, ſecundum *Bertachin. in Repertor. lit. S. verb. Stuprum n. 6.*

CAPUT XLV.

Qva ſit poena puniendus ille, qvi defloravit, ſeu deflorare conatus eſt puellam nondum viripotentem?

IN hoc dubio variant Dd. *Antonius Gomezius ex cap. 1. de adult.* infert, qvod ſi aliqvis major & pubes ſtupravit & cognovit per vim aliqvam virginem immaturam, minorem & impuberem, tenetur pœna ordinaria delicti, modo ipſa puella ſit viripotens, & poſſit corrumpi. Si verò maſculꝰ ſit minor & impubes, non tenetur, licet ſit viripotens & malitia ſuppleat ætatem ex Saliceto *leg. impunit. Cod. eod. de pœn.* Raro tamen

contingit ante duodecimum annum ætatis. Unde *gl. in sum. 2. q. 1.* meminit pueri, qvi cum esset novem annorum, nutricem impraegnavit & autoritate, D. *Gregorii libro 4. dialog. cap. 10. D. Hieronym. testatur in epistola ad vital.* presbiterum se audivisse, qvendam puerum fecisse gravidam nutricem, ubi subdit Salomonem in 10. anno genuisse Roboam. Achaz in 11. anno procreasse Ezechiam. *Cœlius Rhodig. lib. 8. antiq. lect. cap. 8. Igneus ad l. 1. §. impubes num. 9. ff. ad Syllan. Vincentius* Carocius *de minor. excus. qvæst. 20. num. 6. 7. Ripa de nocturno tempore cap. 23. Julius Clarus lib. 5. sentent. §. stuprum num. 9.* distingvit inter humiliores & honestiores, illos in metallum damnari, hos verò in insulam relegari, ut est *textus expressus in l. si qvis aliqvid 28. §. qvi nondum viripotentes ff. de pœn.* & secundum hanc opinion. consuluit *Signo. cons.* 107. in fine tamen dicit, se semper fuisse in voto, qvod ubi solum esset conatus ad deflorandum non puniretur pœna mortis, sed alia citra mortem gravi, puta triremium perpetuo vel ad decennium, ubi vero frangeret pudenda, nullo modo evadere deberet pœnam ultimi supplicii. Bald. indistinctè dicit esse decapitandum in l. *si qvis non dic. ult. column. in vers. ex hoc concluditur.* C. *de Episc. & Cler. & per Johan. Andr. in cap. 1. de desponsat. impub. Joh. Fab. in §. item lex Julian. Inst. de pub. judic. Gabriel. Sara in addit. ad Matthes. sing. 99. n. 5. Æmilius Maria Manolessus in addit. ad repertor. Bertachini in verb. stuprum, n.* 8.

CA-

CAPUT XLVI.

Qua pœna puniatur raptor virginis?

IMp. *Justinianus in* l. *unic. c. de rapt. virgin.* raptores pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos decernit, etiamsi qvis saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit, hominatqve crimen detestabile, nec homicidii crimini dissimile, ut nulla raptor fori præscriptione gaudeat, nullamqve appellandi licentiam habeat, ut nec raptor eam legitime sibi conjungere possit, nec sit facultas raptæ virgini vel viduæ, vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere, qvoniam nullo modo, nulloqve tempore datur à Cæs. Serenitate licentia eis consentire, qvi hostili more in rep: matrimonia studeant sibi conjungere, nec pater raptum filiæ raptori remittere potest, *Nov.* 143. *c.* 1. *Nov.* 150. §. *item lex Julia, vers. fin. autem per vim, Inst. de pub. judic.* sed de jure Canonico potest raptor raptam ducere in uxorem *Jacobus Butrig. ad dict. leg.* 1. *Cod. de rap. virg. per gloss. in c.* 2. *de hæret. in* 6. *gloss.* 20. *dist. de libell. per. c. tua* 36. *qvæst.* 2. *de puellis. Johan.* Cald. *in consil. & in cap. fin. de raptor. & in Spec. de dispensat.* §. *Nunc de dispensatione Episcopi vers.* 29. *alias* 28. Cave tamen, inqvit, *Bertachin in repertor. verbo raptor. n.* 10. qvod loqvitur in alia Materia, qvod nota pro amico liberando à pœna, & *Salic. post gl. in d.* l. 1. sed perdit bona, licet matrimonium

 teneat,

teneat, *Salic. ibi, c. pen. c. fin. de raptor. Hippol. Marsil. in l.* 1. *n.* 228. C. *de rap. virg.* qvo in loco concludit, multisqve exemplis comprobat in hoc jus Pontif. civili anteferendum, *Æmilius Maria Manolessus in addit ad repertor. Bertach. dict. loc. Vincent.* Caroc. *de minor. in delict. excus. q.* 35. & D. Hieron. se opposuit concilio determinanti, qvod rapta nõ posset raptori conjungi, ostendens hoc sacris litteris repugnare *Exod.* 22. *& Deut*, 22. propter qvod concilium revocavit sententiam, ut testatur *gl. in c. de libellis d.* 20. *&c. elicitur* 36. *q.* 2. *c. tria. c. si autem, &c. c. si placuit. Pa. in d. c. cum causa de rap.* tenet, qvod si præcessit tractatus determinatus de matrimonio & ob hanc causam abducit, non committi tur pœna de jure Canonico. Si verò prædictus tractatus non præcessit, etiamsi puella fuit voluntaria, committitur pœna 27. *q. ult. lex illa ar.* 35. *q.* 1. §. *ex hoc*, & obligatur ad restitutionem non solum subtracti, sed etiam lucri, qvod habuisset ille, sub cujus potestate erat, secundum Dominum *Johan. de Platea Instit. de action. qvæ ex delict. nasc.* §. *interdum.*

CAPUT XLVII.

An transactio super raptu fieri possit?

Est *qvidem l. pen. si qvis servus, C. pro qvib. caus. servi libert. accip. ibi.* (Aut pactione transmissum) ex qva super raptu videtur permissa transactio, eaqve sententia est Johannis Antiqvi gloss. & est etiam textus pro hac opinione *in l. qvi cœ-*

tn

tu. §. *qvi vacantem, ff. ad l. Jul. de vi Publica ibi.* (Etsi pater injuriam suam precibus exoratus remiserit,) Hęc tamen sententia Johannis cōmuniter reprobatur à Dd. & probabiliorem horū esse opinionem contra Johannem affirmat *Alciat num.* 24. *qvam* disputando sustineri posse putat *Jason. num.* 14. qvam etiam Montalvus probavit *in l. partit. col.* 2. *vers. item nota, solum Baldum allegans.* Horum adversus Johannem duæ sunt rationes. Prior illa est, qvod gravius sit crimen Raptus adulterio, *d. l.* 1. C. *de rapt. virg.* Cum igitur in adulterio, non sit licita transactio, neq; in raptu, qvi gravior illo est, licere debet, vulg. *l. nec in ea ff. de adult. vers. sed qvi. occidere.* Posterior ratio ab illis sumitur ex text. *in d. l. unic. vers. pœnas, in fin.* C. *de rapt. virg.* ubi parentes, qvi transigunt super raptu filiæ, deportatione plectuntur, sed si ex *l. transigere, C. de transact.* dispositione legitimè transigerent, minimè punirentur, vulg. *l. Grachus, C. ad. l. Jul. de adult.* Sunt tamen plures, qvibus Johannis opin. relata in *gl. placuit,* magis existimantes licere, super raptu transigere, hanc enim opin. secuti sunt *Oldrad. & Franc. Accursius. qvos retulit Albert. n.* 19. qvi *n.* 20. affirmat, se credere Johannis opinionem esse veriorem eam seqvutus, qvam *Bartol.* etiam tenet *num.* 11. *Angelus n.* 4. *&* 8. *Fulg. num.* 3. *Salicetus num.* 8. *Alex. num.* 12. qvi affirmant, hanc esse veritatem, & esse hanc opin. communem, affirmat *Jas. num.* 13. *Rimin. col.* 6. communemq; esse testantur *Curt. Senior n.* 33. *Purpur. num.* 67.

eam

eam seqvuti, licet Purpur. articulum hunc disputabilem esse pro utraqve parte affirmet, commun.esse hanc opin. præterea testantur *Alc.num. 23. Curt. Jun. n. 25*. *Claud. n. 21*. eam seqvuti testantur *Gregor. in l. regni. gl. de adult Diegas Villalpando ib. gl. 17. n. 6*. tenet etiam hanc opin. *in d. l. qui cœtu, §. qvi vacantem, &c. n. 1. Baldus in d. l. pen. C. pro qvibus caus. servit.* & hanc opinionē, qvod ex Cyno constat, tenuit. *Petr. de bella Pertica*, & referunt eam nonnulli ex recentioribus *Jac. Butrig.* & præter superiores testantur eam esse communem *Aymon. Cravetta. de antiq. tempor. folio parvo, num. 133. num. 24. Boerius decisione 91.* Qvorum eæ rationes sunt præter illa duo jura, qvæ jam allegavi, qvod textus *in d. l. transigere*, qvæ adulterium solum excipit, vident innuere in omnibus aliis, regulam permissivam locum habere, *l. nam qvod liqvide. §. fin. ff. de pœn. legat. l. Lucius. §. pluribus. ff. ad Trebel. l. qvæsitum, §. deniq. ff. de fund. instr. qvam hic allegavit Baldus.* Secunda ratio est, qvoniam in raptu non adsunt eædem rationes, qvæ sunt in adulterio, qvoniam crimen raptus non adeo freqvens est, sicut adulterium, qvod passim committitur, etsi rarò illud in judicii telam deferatur. Nec ob huic opin. *text. d. l. unic. vers. pœnas de rapt. virg.* Qvoniam etsi lex parentes puniat, non ex hoc videtur infirmare transactionem, qvoniam transactio valeat ad imponend. finem processui, licet transigentes puniantur. Ita illi *l. unic. resp. Bart. in præsent.* & esse ejus intellectum communem affirmat *Alex.*

num.

num. 12. Sicqve habentur utriusqve opin. rationes. Verior tamen mihi videtur negativa: nam qvod *leg. si qvis serv. versic.* Aut pactione transmissum, *C. pro qvib. caus. serv.* attinet. Resp. non sunt ea verbi legis dispositiva, sed enunciativa, sive enarrativa ad morem transigentium propter pecuniam respicientia, & sic non affirmant neq; approbant transactionem. Idem Resp. ad ult. l. *qvi cœtu. §. qvi vacantem ibi.* Etsi pater injuriam suam precibus exoratus remiserit, *ff. ad l. Jul. de vi publ.* nam ex ea apertè patet, non esse illam transactionem ex auctoritate legis, alias non admitteretur extraneus etiam post qvinqvennii præscriptionem ad rei postulationem, ut *in d. l. item qvia precibus.* ad transactionem incitatus pater attenta gravitate hujus delicti & pœna transigentium super eo. Nec obstat, qvod non tanta sit freqventia hujus delicti sicut adulterii, qvia illa non est causa cur transigere non liceat secundum Dd. sed qvia adulteriũ est crimen cæteris gravius & detestabilius, nam ut Paul. 1. *Cor.* 6. carnis detestans flagitia dicebat: omne peccatum, qvodcunqve fecerit homo, extra corpus est, qvia autem fornicatur, in corpus suum peccat: nam etsi, inqvit eo, loco Theophylactus, videatur, cum hominem trucidamus, corpore id facinus admitti, non tamen universum ex eo corpus sordescit, possumus namqve vel lapide vel ligno vel alio qvopiam tormento ictus infligere & nihil corpus hoc inqvinare, veruntamen nullo pacto licebit sine corpore fornicari, in qvo

fit,

fit,ut illud omninò commaculetur. Qvid igitur in omnibus peccatis adulterio gravius est? *c. qvid in omni, 32. q. 7.* Non abs re igitur Accurs. qvædam, inqvit, crimina àtrocia sunt, qvædam atrociora, qvædam atrocissima ut adulterium, qvod tam ægrè fert maritus, ut molestius id patiatur, qvam proprii filii mortem, & libentius, ut *Hieronym. in Amos c. 8. ait.* audiat uxorem interfici, qvam pollui, adeò ut minus malum sit occidere & furari, qvàm adulterari. Neqve obstat illa exceptio solius adulterii, *in d. l. transigere*, qvia licitum est extendere delicta ad similia imò & ad graviora & majora, qvale est crimen raptus, *argum. l. si qvis non dic. Cod. de Episc. & cler. l.* 1. *C. de rescript. l. in suis ff. de lib. & posth. l.* 22. §. 3. *ff. de adult. Dion. Gothofr. in exposit. d. l. Transigere, vers.* Potest hoc loco etiam qværi, utrum de raptu transigere licet, qvem audivi Myrtilletti. Cum igitur de adulterio prohibita sit transactio, de raptu multo magis prohibita censetur, latius de hoc puncto egi in centur. qvæstion. ex jure desunt, qvæ qvandoqve supremo auspitio lucem visura est.

CAPUT XLVIII.

Qva poena puniatur virgines fricantes sese?

IN fœdo illo & contra sexus naturam mulierum inter se coitu ejusqve pœna *Clarus lib. 5. sentent. §. Fornicatio n. 28. vers. inter mulieres adducit l. fœdissimam 20. C. ad leg. Jul. de adult. ut & Petrus*

trus Binsfeld. in tractat. de confess. malefic. c. Dubium hic moveri potest. vers. cum nihil afficiatur, circa med. p. mihi 228. in eadem est sententia, in qva lege pro hoc crimine impositam pœnam mortis esse volunt, & dicit Clarus, esse communem opinionem allegans *Antonium Gomezium super legem 80. Tari n. 34.* ubi maxime, qvod salvo exellentissimi D Practici judicio dictum esse volo, hallucinatus mihi videtur, nam nullo verbo mulierum inter se coitus meminit ea lex, sed de illis mulieribus, qvæ ultro se stupro dedunt, ut & Glossa ibi tenet, loqvitur, id qvod patet à contrario in iis verbis: Non earum, qvæ per vim stupro compressæ sunt. Ubi opponuntur per vim stupratæ, & qvæ ultro sese prostituunt, qvæ oppositio non procederet inter per vim stupratas, & inter sese coeuntes. Dicitur igitur fœdissima neqvitia *in pr. d.* l. earum, qvæ pudorem suum alienis libidinibus prosternunt, eò qvod ultro poscunt, qvod alias ab ipsis rogatur, & ut gl. exponit, qvæ mulier sponte committit stuprum cum aliqvo. Qvo vero modo illa fricatio fiat, tacere qvam exprimere melius est, ne virginibus memoria & cogitatio ejus rei daretur. *Gomezius plura refert*, qvibus id opus à virginib. exerceatur.

CAPUT XLIX.

Num virgo menstrua non patiens, sana sit?

RESp. *Paulus JC. lib.* II. *ad Sabinum in l.* 15. *ff. de ædil. edict.* Qvæ bis in mense purgatur, sana

na non eſt. Item, qvæ non purgatur; niſi per ætatem accidit, decimo tertio ſiqvidem anno ſtatim virginibus menſtrua fluere incipiunt, ſecundum Ariſtot. in Problem. qvæ ſi emaneant, puellas magni & periculoſi morbi manent, qvibus plurimæ morti præmaturè traduntur. Sed qvid de ea, qvæ urinam facit? *Ulpian. in l. 14. ff. de ædil. edict.* Reſp. non ob eam rem ſanum non eſſe qvem, qvod in lecto ſummo, vinoqve preſſus, aut etiam pigritia ſurgendi urinam faciat, ſin autem vitio veſicæ collectum humorem continere non poteſt, non qvia urinam in lecto facit, ſed qvia vitioſam veſicam habet, redhiberi poſſe (tanqvam morboſum) & verius eſt.

CAPUT L.

An virgo, cui os olet, ſana ſiet?

IS, cui os olet, an ſanus ſit, qvæſitũ eſt. *Trebatius* ait, non eſſe morboſum alicui os olere: Veluti hircoſum ſtrabonem, hoc enim ex illuvie oris accidere ſolere, ſi tamen corporis vitio id accidit, veluti qvod jecur, qvod pulmo aut aliud qvid ſimiliter dolet, morboſus eſt, *l. qui clavum, ff. de ædil. edict.* ubi vox Strabonem, qvod vitium oculorum eſt, variè exagitata à doctiſſimis viris, *Scip. Gentilis in l. Apulei Apologiam, num.* 115. *verſ.* Nihil minus, qvam oris illuviem libero & liberali viro competere.

CA-

CAPUT LI.

Quæ causa, qvod virginis primo menstruum fluxum habentis camisia in ignem projecta eum sistat?

UT refert *Michael Papa in sua mirac. medicin. pag.* 1. *fol.* 196. 197. *Coler. Ocon. pag.* 6. *lib.* 18. *cap.* 116. Virgines primum menstruum in puro linteo observant, multis enim probesse ferunt. Sed illud de Camisia superstitiosè creditur, & à qvibusdam cum experimento observatum memini, ast cum damno puellæ maximo, illa etenim successu temporis exaruit mortiqve holocausto oblata est. Ratio, qvæ dari potest, occulta est, & è secretis secretioris Philosophiæ petenda. Fortean summa antipathia inter ignem calidum & inter menstruum sangvinem frigidum in causa est. Salamandra enim serpens frigidissimæ naturæ in igne vivit & potens est contra incendia, adeo ejus inter omnia venenosa vis maxima est: vivit mediis flammis sine consumtione pariter & dolore nec aduxionem ab igne recipit, sed ipsum incendium mitigat & extinguit ut dicit *Isidorus lib.* 12. *Bartolus*, *Anglicus de propriet. rerum lib.* 18. *de angue. Plinius lib.* 10. *cap.* 47. huic, inqvit tantus est frigiditatis rigor, ut ignem extinguat sicut glacies, & nota hic singulare mysterium mythologicum, qvod serpens primus sexum fœmineum suo veneno infecerit, & diabolus suam interea superstitionem in hominibus augendo confirmandoqve qværi-

tat, in reprobum ducit sensum, ut nec miseræ puellæ misereantur, sed ignem morte ipsius extinguant, more antiqvorum, qvi ob aliqvam similitudinem victimas aliqvando mactabant, ut eqvum Soli ob celeritatem, ut est apud *Ovidium lib. 1. Pastor.*

Placat eqvo Perses radiis Hyperiona cinctum
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Sic Cereri aliqvando porca offerebatur ac cædebatur, qvod esset id animal inventis ipsius Deæ infestum, ut ait idem *Ovid.*

Prima Ceres avidæ gavisa est sangvine porcæ,
Ulta suas merita cæde nocentis opes.

Sic Bacchus, qvia caper infestum sit animal suis inventis, ejus cæde lætari creditus est, ut ait *Virgilius lib. 2. Georgicorum.*

Non aliam ob causam Bacho caper omnibus aris
Cæditur ----

Unde deductam illam superstitionem puto cum menstruus sangvis qvodammodo frigefaciat & languidum reddat corpus virginis, ita & ignem ejusqve calorem, non vi propria, sed harmonica & cœlesti extinguit & sopit. Et vel orta est hæc superstitio ab antiqvis, qvod cum ereptum ignem mortalibus rursus in terram detulerit Prometheus, de qvo Horat. in 1. Carm.

Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit
Post ignem atherea domo
Subductum, &c.

&

& fœminam ſcilicet omnium humanarum calamitatum originem & ſceleſtum omnino animalis genus invenerit, ut autor eſt *Menander* ſuaviſſimus Poeta, ut ſic eodem invento ipſius fœmina videlicet furtum ejus nimirum ignis ereptus extingveretur & deleretur. Mythologica hæc.

CAPUT. LII.

An honeſta virgo pro defenſione attentatæ pudicitiæ violentum ſtupratorem licitè occidat?

TRadunt *gl. & Dd. ad l. ut vim atq; injuriam 3. ad verſ. nam jure ff. de juſt & jur.* etiam ob tutelam rerum ſuarum permiſſam eſſe defenſionem & occiſionem dummodo cum moderamine. *l. 1. C. unde vi. l. 4. §. cum igitur. ff. de vi & vi armat.* Si illud in rebus terrenis & ſoli, qvur non mage in ſummo illo bono Virginitatis tutandæ & conſervandæ, ut pote qvæ Paradiſum replet, & ſola poteſt animas præſentare Deo, & eſt principium aliarum virtutum, *gl. in c. cauſam, in fin. in verb. privilegio. De prop.* procedat? accedit, qvod minus bonum eſt contemnendum propter conſervationem majoris boni, ſicut ad conſervationem vitæ aliqvis projicit merces in mari, ſed virtus caſtitatis eſt majus bonum, qvá membrum corporale. Ergo cum qvis licitè ſibi poteſt amputare virilia propter conſervationem caſtitatis, multo magis alterum ad tutandam virginitatem interficere poteſt, & S. *Hieronymus in c. non eſt noſtrum 22. q. 5. dicit,* Unde & in

persecutionibus non licet mihi propria manu perire absqve eo, ubi castitas periclitatur. Sed ponitur ibi secundum qvosdam Dictio *Absq;* inclusivè sicut ibi: Pulcræ sunt genæ tuæ absqve eo, qvod intrinsecus latet, sic & dictio *usq;* etiam inclusive ponitur *13. qvæst. 2. c. Ebron.* Adstipulatur qvo ad se non posse occidere, *Graff. decis. cass. consc. pag. 2. lib. 3. cap. 29. num. 57. Actius de infirmit. Rubric. 49. n. 43.*

CAPUT LIII.

Num virgo ob furtum sit suspendenda?

COnstitutio illa Impp. qva fures ob qvinqve solidos furcis addicuntur, nullum sexus discrimen facit: verùm consvetudo, qvæ pro lege non immeritò observatur *l. de qvibus. ff. de ll.* *non ita strictè* cum virginibus agit, sed vel alia eas coërcet pœna, puta relegationis vel gladii, in qvibusdam tamen locis etiam suspenduntur, ast inferius colligatis vestimentis, ut vidi aliqvibus locis.

CAPUT LIV.

Legatum virgini num corruptæ debeatur & præstetur?

HIc sane distingvendum puto. Num intuitu virginitatis, num verô affectione, qvam erga eam habuit legator propter consangvinitatem, affinitatem vel amorem factum sit legatum. Priori casu legatum non præstari cessante conditione legati, posteriori deberi duco argumento

mento §. *siqvidem 29.* §. 30. § 31. *Institutionibus de legat.* Hinc non probo, qvod Baldus in casu: Si maritus leget uxori mille si vitam servaverit viduam, at qvingentos casu, si nupserit, determinat, qvod erunt propria ipsius uxoris transeuntis ad secunda vota, *in leg. 1. C. de secund. nupt.* motus ratione, qvia ita dicendo maritus videatur licentiare uxorem de maritando se & transeundo ad secunda vota, qvo casu licentia mariti faciat cessare pœnas transeuntium ad secunda vota. Mihi nulla eo legato licentia data videtur, sed potius prohibitio, nam non est casus insolitus mulieres ad secunda transire vota, ut si prohiberetur, licentia sive memoria potius delinqvendi daretur, qvalem putabat Socrates cum de parricidio pœnam nullam statuisset, dicens se non cogitasse tales inveniri homines. Qvia autem mulieres semel submissæ virili jugo incontinentiores sunt multo virginibus: puto potius esse prohibitionem ex alternativo illo legato. Mille si non secundo nubat. Qvingentos si nubat, in primo continetur prohibitio, in altero est concessio.

CAPUT LV.

Num si virgo damnatum qvempiam ad mortem petat in maritum liberet ipsum à morte?

ID olim *Vestalibus* erat concessum, ut scribit *Alex. ab Alexandro libro 5. Gen. dier. cap. 12.* Tantæ enim dignationis fuere; qvod si dum foras

 va-

vadunt, ad capitale qvisqvam supplicium traheretur, si obviam fieret, ipsum tunc mortem oppetere aut novissimo exemplo affici non decebat. Et hodie *S. R. E. Cardinalib.* concessum est, si dum ad supplicium ducitur damnatus, Cardinalis obviaret & poneret capellum suum super ejus caput, pœna omnino ei remittitur, ita *Capoll. in caut. 2. in prin. M. Anton. Blanc. pract. crim. caut.* 1. *n.* 2. *Paul. Castrens. in l. addictos. D. de Episc. aud. Paris. de Puteo in tract. Syndic. in verb. pœna, vers. an si primo*, ubi dicit, idem esse in filio regis, qvi si obviat condemnato ad mortē, potest eum à morte liberare, qvod tamen respectu filii regis reliqvit sub dubio, rationibus per eum adductis, id tradunt *Dd. ad d l. addictos, Jul. Clarus* 1. *sent.* §. *ult. qvæst* 98. *num.* 5. qvoad Cardinales æqviparantur regibus, & in iis ferè residet tota majestas reipubl. Christianæ. Qvo ad punctum nostrum, refert *Papo* 24. *Artesio* 10. *artic.* 14. exemplum, idqve in Hispania usitatum addit: qvorum consvetudo forte derivata ex *can inter opera caritatis 20. ext. de spons. ad d. l.* 27. *C. ad l. Jul. de adult. & Chas. in consvet. Burgund.* §. 2. *in verb. S'il n' agrace notat*, se nullam hujus rei rationem afferre posse, nisi fortè qvis censeat, matrimonio injecto majorem pœnam indici, qvam si mors esset indicta. Semel memini factum Marpurgi in provincia nostra Hassia.

CA-

CAPUT LVI.

Num mulier post partum virgo dicenda siet?

ORtum dedit Terent. in Hecyr. act. 3. sc. 3. ibi. Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio, qvo improbo. Sciendum est hoc: Apud majores in distincte virgo dicebatur & Mulier. Hinc Clinia adolescens apud Terent. in Heaut. de Antiphilina virgine solicitus: Sed vereor, inqvit, ne me absente hæc mulier corrupta sit. Et Virgilius lib. 11 Æneid. De Camilla virgine:

Advenit qvæ vestra dies muliebribus armis
Verba redargueret.

Sic in Bucolicis

Ah virgo infelix, qvæ te dementia cepit.

Cum tamen constet, Pasiphaen, de qva Poëta loqvitur, ex Minoe ante nivei amorem tauri filios suscepisse. Verùm propriè id haut fit, sed vel habito respectu & regressu ad tempus, qvo virgo fuit, vel ad tempus futurum, qvo virgo desinit esse. Vel ob suspicionem & dubium, qvo nescitur, num mulier an virgo sit, alias mulieris appellatione etiam virgo continetur, *l. 3. ff. de verbor. significat.* Illud igitur Terentii: Nam vitium oblatum est virgini. Refertur ad tempus præteritum, olim videlicet, qvando virgo erat, & oblatum dicitur qvasi non expectatum & nolenti virgini, qvasi qvæ falli posset. Alterum, sed vereor ne me absente hæc mulier corrupta sit, refertur ad suspicionem & dubitationem, ubi Cli-

nia propter dubium & ſuſpicionem Virginem haut nominare audet. Illud Virgilii De Camilla refertur ad tempus futurum, qvo ipſa Camilla, etiamſi virgo deſierit eſſe, nihilominus per ſua arma celebris & nota erit futuris ſeculis. *Alterum*: Ah virgo infelix, refertur ad tempus præteritum, qvo virgo fuit, cum objiciat ipſi dementiam prioris temporis, qva capta fuit. Proprie igitur mulier poſt partum virgo haut dicenda erit excepta B. Maria, qvæ ſecundum communiſſimam omnium Theologorum ſententiam ante partum & in partu & poſt partum ſancta & immaculata virgo permanſit.

CAPUT LVII.

An virgo nolens nubere, gaudeat privilegiis nuptarum?

BAldus *in l. imperialis. C. de nupt.* tenet, qvod ſic, verba l. ſunt. Sed etſi tales mulieres poſt divinum reſcriptum ad preces earum datum, ad matrimonium venire diſtulerint, ſalvam eis nihilominus æſtimationem ſervari præcipimus, &c. *gl. ibid. ad verb. Diſtulerint.* Idem & ſi nunqvam venerint, ſic *& l. repetendi, C. de condit. ob cauſ.* ſic ergo latè extenditur conceſſio, ſic & *l. ſi. ff. de conſt. pe. & l. qvidam conſulebat, ff. de re judic. & l. ſi qvando. De bonis vacant.* prædictam autem interpretationem licet facere, etiamſi juraverit contrarium. Unde ſeqvitur. *Auth. qvod eis*, &c. *Bertachin. in repertor. in l. M. verb. mulier. num. 42. & in lit. V. verb. Virgo, num. 7.* Virginitas enim re-

replet paradiſum & ſola poteſt animas præſentare Deo, & eſt principium ali arumvirtutum, *gl. in c. cauſ. in fin. in verb. Privilegio, de probat. & ibi Panorm. in 2. col. in fin. in verſ. ult. gl. qværit, per Felin. in dict. cap. cauſam.*

CAPUT. LVIII.

An virgo per vim ſtuprata Deo posſit conſecrari?

STuprum voluntarium punitur in utroqve, id eſt, in mare & fœmina. Violentum vero non in patiente, *text. in leg. 20. tit. 9. C. ad leg. Jul. de adult.* usqve adeo, ut per vim ſtuprata nullam patiatur infamiam, nec de adulterio, nec de ſtupro accuſari poſſit, text. & Dd. ibid. licet ipſa ſine præfinitione temporis ſtupratorum perſeqvi poſſit *l. marti in fin. ff. eod.* Et adeo in violatæ exiſtimationis eſt, ut nec nuptiis illius aliis interdicatur text. ibid. in fin. & virginitatem recinere cenſeatur *cap. propoſita 32. qvæſt. 2.* licet non poſſit in monaſterium recipi, & ut virgo Deo conſecrari cal. Juvenculas & ibi *Canoniſt. 26. qvæſt. 1.* qvia non agitur de peccato ſed de ſacramento, niſi recipiatur hujusmodi vitiata cum diſtinctione aliqva, omittendo aliqvid ex ſignis virginitatis, *verſ. Thom. 4. ſent. diſt. 38. q. 1. Elbertus Leoninus in proceſſ. criminal. ad leg. 20. C. ad leg. Jul. de adult. Summa Raimundi lib. 3 cap. 2. & ibi Guihelm. Rhodonenſ. in annot.*

CAPUT LIX.

Utrum si starent simul duæ puellæ, honestum sit dicere : Illa est casta?

RESP. Qvod non, qvia exclusivè altera pungitur & detegitur non casta, *Rebuff. in can. omnis utriusq; sexus in ultimo nobili in 7. fallentia. Vincent. Caroc. de revelat. confess. quæst. 39.* Limito ego, si ambæ duæ sint notæ, tunc enim videtur una excludi, secus si una siet incognita, tunc in dubio de nota & ejus castitate videtur loqvens sentire.

CAPUT LX.

Num mutatio vocis in puella arguat virginitatis amissionem?

ARistotel. *libr. 7. de animal.* Incipientibus, inqvit, Venerem vox transit in sonum virilem, abstinentibus verò è contrario. Ratio videtur esse, qvod ætatis mutatio, qvæ in masculo regulariter fit per septenarium, in fœmina per senarium, ut *Clemens Alexandrinus ex Solone notavit* 6. στρῳματιῶν, ante qvam ætatem Venus non exercetur, plerumqve & vocis mutationem importet. Alia ratio: qvod in coitu, qvi incipientibus, & nondum expertis dulcis esse solet, eoqve freqventior, arteriæ dilatentur, sicqve vox sonora magis reddatur propter nimium pruritum, & intemperantiam, uti videre est in brutis animalibus, cervis & asinis, qvi in coitu totam sylvam vociferatione & clamore complent. Accedit, qvod vox sit nuncius cordis.

Bald.

Bald. in tractat. Schismatis 12. col. sicqve arguit integram hautesse virginitatem, exemplo est olla, sive campanula, qvæ tota & integra minorem sonitum pulsata reddit, è contra fracta aut rima accepta obtusiorem & duriorem; accedit qvod lætitia, qvæ in coitu summa est, dilationem tum cordis tum & spirituum faciat, ut pulcre tradit ex *Hieronym. Fracastorior in lib. de Antipath. & Sympath. Vinc. Alsarius Ligur. in lib. De invidia & fascino veterum,* Lucæ *impresso p. 25.*

CAPUT LXI.

Cum gemelli masculus & fœmella simul nascuntur, uter prior natus censeatur?

IN dubio, primo masculus tanqvam robustior præsumitur *argum. l. si fuerit* 10. *in fin. ff. de reb. dub.* ubi tradunt Bart. *Socin. &* Castrens. *& idem Bartol. in l. si extraneus, num.* 3. *ff. de condict. cau. dat. caus. non sec. Guido* Pap. *in tract. de præsumt. n.* 5. *in fin. Dec. in l.* 2. *num.* 44. *ff. de R. J. Tiraq. in tract. de primog q.* 17. *opin.* 7. *&* 8. *n.* 1. Mascard. *de probat. concl.* 1087. *num.* 1. *& ibi* plures allegati, qvos refert *Gregor. Rolbag. in certam. masculo, acie virili c.* 13. *n.* 10.

CAPUT. LXII.

Num proniores in Venerem ferantur virgines qvam viduæ?

EUrides: ἀλλὰ θυγατὴρ κτῆμ' ἐστὶν ἐργῶδες πατρί. Verum filia laboriosa est possessio patri

tri. Ut *Muson.* A filia liberamur re difficilis & molestæ custodiæ. Maxime enim pronæ in Venerem feruntur virgines, utpote qvæ magis expetant eam voluptatem experiri, cujus hactenus fuerunt expertes, si ad eam invitentur *Tiraqvell. l. 9. connub. num.* 117. & *Aristot. libr. 7. animal. hist. cap.* 1. Svadet puellas tum maximè custodiendas esse, cum menses habere incipiunt. Est verum secundum aliqvos, qvod virgines magis appetunt coitum, qvam conjugatæ, qvia dulcius putant, qvod nunqvam expertæ sunt. & tamen postea comperiunt, eam voluptatem esse, sicut sunt cæteræ hujus mundi, qvæ momento vix durant, cum non possit durare qvantum una Ephimera vel interdictum de glande legenda, qvod durat triduo vel qvantum Papa Gregorius Mediolanensis successor Cœlestini, qvi duravit qvindecim diebus prout hæc 4. Epist. refert *Rodofr. in rubr. ne sede vacante, col.* 1. vel qvantum sponsæ mensis Maji, qvæ durant uno die, l. 1. *C. de Maiuma lib.* 11. ubi Jacob. Rebuff. ponit formam antiqvitus observari solitam vel qvantum durat strena, qvæ durat 1. die Januar. *gl. in auth. C. de. consil. in verb. Januarii, Sylva Nuptial. Nevizan. lib. 2 num.* 13. Verum contrarium verius est, incontinentiores videlicet esse viduas conjugalis istius beneficii compotes factas & adhuc memores, qvam virgines, qvæ dulcedinem istam nondum fuere expertæ. Hinc & *L. Apuleius in Apol.* Non tamen libenter in ipso ætatis suo flore tam diu vidua. Et ibi

Scipio

Scipio Gentil. in not. n. 668. Impatientius enim viduæ, utpote expertæ, à conjugio abſtinent, Juniores præſertim. Id qvod & ſacratiſſ. Imp. Juſtin. animadvertit & cenſuit *in tit. C. de indicta viduitate tollenda*, addit rationem, cum enim mulieres ad hoc natura progenuerit, ut partus ederent & maxima eis cupiditas conſtituta in hoc ſit l. 2. *d. tit.* Unde & tempus elugendi ſuos maritos mulieribus præſtitutum erat decem menſium propter turbationem ſangvinis l. *librorum* 11. *ff. de his qvi not. inf.* ex qvibus patet, incontinentiores ſemper habitas fuiſſe viduas virginibus.

CAPUT LXIII.

Qvare virgines in qvibusdam locis proniores ſint ad Venerem & luxurioſiores, qvàm in altis?

PTOLOMÆUS ſcribit, propterea qvosdam, qvod eorum natura primo Zodiaci Trigono cognata ſit, qvo Aries, Leo, Sagittarius, continentur, nefanda qvædam committere & abominabile tamen omnino nihil ſe deſignare putare, ut qvi ſignis ſubjecti ſint ab antica parte maſculis, à poſtica fœmineis. Verùm contra Ptolomæum, diſputat Glycas, annal. part. 2. injuſtus ſic eſſet Deus qvi Sodoma per ignem in cineres redegit. At fieri neqvit unqvam, ut juſtus ille ſit injuſtus. Alia igitur ratio qværenda erit. Luxus cauſa erit: nam is ejusmodi flagitia gignere conſvevit. Idcirco Moſes Iſraelitis

elitis præcepit: Ubi comederis ac biberis, caveto ne fortè Domini DEI tui obliviſcaris. Etiam præſtantiſſimus ille Medicorum Galenus, voluptatem ac delicias oſtendit eſſe præpoſteræ illius Veneris & proclivitatis ad eam cauſam, qvùm ait: In Myſia noſtra, qvæ Pergamo finitima eſt, raró qvis fœminam adulterii facinore ſe obſtringentem reperiat & rarius etiam protervos homines, qvi dediti ſint iis amoribus, qvorum ne nomen qvidem aperiendum eſt. At Romæ propter abundantiam deliciarum, qvæ iſtic minimè ſunt inſolentes, proclive eſt hujusmodi patrare. Unde exclamat Marſ. qvod defecerunt ætates, & illud qvod ante ſcribere ſoliti ſunt autores, *in leg. ſi infante, in pr. de jure deliberandi*, circa vitia & defectus in qvindecimo anno, faciunt nunc infantes in qvinto, unde ludere ad taxillos & alios ludos prohibitos & decipiunt ludentes ſecum. *Idem in leg. ſi qvis re*, C. *eod.* qvales ſunt illi, qvos Lombardia, Normandia & Roma generat *gl. in l. ſeqvitur, in verb. Animam ff. de uſuc. Vantius de nulli: ſent. & defect. mand. num. 6.* Sic urbe tot in Veneta ſcortorum millia cur ſunt? Cauſa eſt copia & abundantia deliciarum. Verè enim Venetiæ à *Jaſone in l. ſi inſul. 1. ff. de V. O.* Paradiſus deliciarum appellantur. Hinc Germani, qvibus omnium mater non ita delicias ſuppeditat, qvum & frigidiori ſub cœlo habitent, nec ita delicatè vivunt, frigidi & ſegnes in Venerem feruntur. Cum reliqvæ gentes Itali, Galli, Hiſpani, Turcæ, belluino qvodam modo

modo furentes in Venerem proruant. Ejusmodi igitur homines Sodomitæ in saturitate panum, qvemadmodum Literæ sacræ loqvuntur, salaciter luxuriando, non qvod tali, vel tali trigono subjecti essent, ad concubitus nefandos devoluti & ab igne sunt absumti. Luxus igitur & delicata vita in causa est. Ubi enim omnium rerum abundantia, ibi lætitia gaudiumqve omnia replent, timor fugit, sicqve omnia in pejus ruunt. Luxuriant enim animi rebus plerumqve secundis. Id qvod & in diversis Germaniæ nostræ partibus cernere licet: qvo enim terra fertilior est, eò homines neqviores.

CAPUT LXIV.

De variis virginum in variis Italiæ locis, dotibus, & vitiis externis.

COllegit subseqq. Nathan Chytræus in deliciis variorum itiner. præcipuè Italicæ nationis.

Senenses pulcræ.
Florentinæ delicatæ.
Perusinæ elegantes.
Cajetanæ formosæ.
Consentinæ obstinatæ.
Beneventanæ rusticæ.
Bononienses arrogantiusculæ.
Mutinenses benignæ.
Cesenates rapaces.
Genuenses salaces.
Placentinæ difficiles.

Me-

Mediolanenses urbanæ.
Pedemontæ procaces.
Veronensis gratiosæ.
Brixienses diligentes.
Formianæ speciosæ.
Lucenses castæ.
Pistorienses faciles.
Romanæ graves.
Capuanæ superbæ.
Neapolitanæ sollicitæ.
Brundusinæ inertes.
Ferrarienses avidæ.
Ravennates humanæ.
Urbinates affabiles.
Vicentiæ constantes.
Parmenses avaræ.
Papienses lucri cupidæ.
Laudenses superstitiosæ.
Cremonenses sumtuosæ.
Tervisanæ zelotypæ.
Bergomates astutæ.
Aretinæ tenaces.
Puteolanæ bellæ.
Venetæ petulantes.
Cremenses fallaces.

CAPUT LXV.

Virgo nupta qvo tempore sponsa dicenda?

SPonsorum appellatione non solum eos venire, inter qvos brevi nuptiæ futuræ sint, sed etiam

etiam eos; qvorum nuptiæ recens fuerint celebratæ, docet omnino communis usus loqvendi, *Ripa vero in tract. de nocturn. temp. c.* 33. eos sponsos appellat, qvorum non futuræ sint nuptiæ sed celebratæ, sed recens. Addit ex Canonibus sacris *in cap. sponsus & sponsa, distinct* 23 ubi sunt hæc verba: Sponsus & Sponsa cum benediction. acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant; declarando tamen, ut ibidem declarat *glos. in verb. Virginitate.* ut scilicet illud sit de consilio, non autem de præcepto *ex Joh. Neniz. in sua sylva, lib.* 4. *in verb. Est nubendum, num.* 79. *vers. & communiter.* qvi scripsit, cavere omnino debere sponsum, qvalem se prima nocte sponsæ suæ significet, an simplicem & bonum hominem, an callidum & prudentem virum, talem enim sæpius consuevit mulier virum habere in posterum, qvalem prima nocte sibi persuaserit.

CAPUT LXVI.

Num Johannes Evangelista fuerit sponsus in nuptiis illis in Cana Galilæa, Joh. 2. c.

ARbitrati sunt qvidam, Johannem Apostolum & Evangelistam fuisse sponsum illum de nuptiis specialiter vocatum à Domino; sed nullam habet probabilitatem, qvamvis id plures habeat auctores, tenet *Cantipratanus lib.* [a] *cap* 29 §. 3 testatur id expresse libellus in Gallic lingua editus, cui tit. *La vie de JEsus CHrist, pag. mihi*

E. 3. cujus apertam refutationem vide in *Joh Molan l. 4. de pict. c. 20. & Cæsare Baronio 1. Annal' Eccles. ad annum Christi* 31. Multis imposuit hac in re præfatio August. tit. tract. in Joh. Tanti est cognovisse veros librorum auctores Coluener. in not. ad Cantipr. Verum cum textus non nominet sponsum, nec nostrum augurari erit. Nec credibile est Christum ideò comparuisse, ut avocaret eum à statuc onjugali, sed potius contrarium, ut confirmaret & benediceret sua præsentia sanctum illum statum, ut pote qvi in Paradiso à Deo ipsomet institutus erat, qvod patet ex eo, qvod primum suum miraculum ibi fecerit, aqvam in vinum optimum vertendo. Canitur alias in festo S. Johan. Evangel. & est formula precandi in oratorio Lateranensi S. Johannis Evangelistæ Romæ:

Vers. *Valde honorandus est beatus Johannes.*

Resp. *Cui Christus in cruce matrem virginem virgini commendavit.*

CAPUT LXVII.

Cur in lege antiqva virginitas non commendabatur?

QVæri potest, cur in antiqvo populo Dei non commendabatur integritas virginalis, & nunc post adventum Christi deserta eremi virginitatis liliis decorantur. Una ratio propagatio fuit humani generis & maxime populi Dei. Secunda qvia rudis ille populus ad litteram maledictionem sterilitatis metuebat, *Ex.* 23. Unde filia Jephtæ virginem se morituram expavit & à pa-

à patre deflendi virginitatem suam tempus tantum trium mensium postulavit *Jud.* 11. Beatissima verò virgo Maria, superqvam reqvievit Spiritus sapientiæ & intellectûs, virginitatem Deo prima omnium vovit, & sterilem à fructu bonorum operum, legis maledictione plectendam ostendit. In cujus rei figura Christus post ea ficui non habenti fructus male dixit & aruit, *Matth.* 21. sed & discipulis planè dixit: Omnis arbor, qvæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

CAPUT LXVIII.

Virginitas cur lilio comparetur?

ET beata qvidem virginitas lilio comparatur, tum propter candorem niveum, tum qvia ex sex foliis repandis constat, ut cordi primò deinde qvinqve sensibus corporis ab omni contagio illibatissimè caveatur. Et bene folia ista repanda dicuntur, qvod prominens & apertum significat: qvia licet omnis gloria filiæ regis ab intus qvantū ad exigentiam exigatur: tamen qvia Dominus in Evangelio jubet, ut opera nostra ad exemplum luceant proximorum, necesse est, ut compositio forinseca sensuum ad commendationem virgineæ dignitatis ordinatissimè famuletur, *Cantipr. libr.* 2. *mirac.* c. 29. §. 4.

CAPUT. LXIX.

Qvæ causa, qvod virgo primitias arboris decerpens, fructus ejus arboris fissura notet?

NUm qvod virgines qvodammodo impuræ & immundæ censentur ob menstruum illum fluxum, qvi segetibus, frumentis, herbisq; noxius est? Num qvod Eva in damnum omnium nostrum fructûs de vetito ligno in Paradiso contra prohibitionem Domini decerpserit qvod puto verius, ut ad hodiernum usq; diem admoneamur transgresſionis illius & reatus, in qvo per culpam Evæ sumus. Unde & virgines ad primitias rosarũ decerpendas juvenes adolescentes invitare solere scio, ut in posterum sine fissuris nascantur. Hieroglyphicum qvid cape. Contrariũ tamen tenebat D. de Castro deprægnante, qvod illa admittenda sit ad decerpendas primitias frugum, ratione mythologica, ut fiet fœcunda instar arboris, juxta Psalm. Erunt filii tui instar ramorum olivæ, &c.

CAPUT LXX.

Qvare pulices puellis, virginibus, imo sexui foemineo inimici magis sint qvam juvenibus adolescentibus?

NUm qvod pellibus & tegminibus ovinis pleræqve sint circumdatæ, in qvibus latibula qværitant sua? Num qvod puellæ & fœminæ majora venandi pulices otia habeant, qvum ve-

vestes gerant inferius apertas, cum contra Juvenibus semper caligæ sunt solvendæ? Num qvod tenera magis & leviora habent corpora virgines, qvæ plena cruore lacerare magis possunt, qvam juvenes? Num pœnę loco, ut infirmitas earum ex eo conspiciatur qvod parvꝰ pulex tam amara lues sit & inimica puellis? ad qvod & Ovidius videtur alludere in suo carminę Pulex:

Parve pulex & amara lues inimica puellis

Num qvod virgines semper habeant inguina humida, sicqve non longe absint pulices à fonte, id qvod & prædicto in carmine Ovidius innuit:

Ausus es interdum per membra libidinis ire,

Qvod & secutus facetus Poëta Seb. Schefferus lib. 2. Epigr. p. 107.

Acjus exagitat pulicum muliebria cœtus
Corpora, securos & sinit ire viros.
Scilicet hi tribuunt escam tantummodo, potum
Illa simul vivo tradere fonte solent.

CAPUT LXXI.

Qvare deteriorem odorem puellæ virgines de se spargant qvam juvenes adolescentes?

DE Domitore illo mundi Alexandro M. scriptores referunt, corpus ipsius à natura odorem Moscheum vel instar nucis myristicæ sparsisse, ut & vestimenta ejus odore plena astantibus nares impleverint. Id qvod mirandum naturæ miraculũ in mirãdo mundi Domitore æstiman-

nandum est. Deterioris autem odoris puellarum ratio est impuritas sagvinis, qvæ ex defectu & imbecillitate istius sexus oritur, accedit venenosum illud menstruum, qvo vexantur, qvo laborantes etiam solo halitu specula inficere, maculas illis innuere, teneros fascinare oculos dicuntur, cujus qvidem rei aniculæ non paucæ fidem faciunt, qvarum impuritate multi pueri effascinati gravissimum discrimen adeunt, sæpè etiam acerbam subeunt mortem, pecudes partu & lacte privantur, eqvi macrescunt & emoriuntur, segetes sine fructu metuntur, arbores arescunt, ac deniqve omnia pessum ire videntur, perfectior autem & fortior, ut est natura sexus masculini, eò majori & meliori etiam odoris sacrificio naturæ sacrificat, hinc *Bernh. super. Cant. sermone 71.* Odor bonus Testimonium bonum. Hinc & Dæmonibus præter lumina & nidores Cæsarum victimarum cantus etiam & odores gratisunt. Iccirco Medea, utpote venefica sacrorum rituum peritissima cum ventis sacrificaret *apud Apollonium Rhodium, libr.* 4.

-- procul. illa è montibus altis
Deduxere feram sylvestrem qvo illa cupivit.

Et Homer. lib. 1. Iliad. pro depellenda pestilentia nidores victimarum Apollini etiam obtulit in his:

Si vult caprarum si vult nidoribus ille
Obvius agnorum fieri ac depellere pestem.

Hinc

Hinc Dæmones ſexum fœmineum magis aggrediuntur, eiqve majores ſtruunt inſidias ex odore malo ad malum proniorem & decliviorem ducentes.

CAPUT LXXII.

Qvare melius poſſint currere virgines qvam juvenes?

NUm qvod natura ſexus hujus imbecillitati in aliqvo gratificari voluerit, ſicqve celeriori donarit curſu, qvo facilius fugam eripere, ſibiqve conſulere & ſe conſervare poſſit? Num qvod impedimenti nihil habeant, ſicut Amazones, qvæ mamillas abſcidere, ut agiliores eſſent ad pugnam, qvarum & una Procella à velocitate ſic dicta fuit. De Atalanta etiam refertur, qvod corporibus, viribus & celeritate pedum, non ſolum fœminas, ſed etiam Homines anteierit Natal. Comes Mytholog. lib. 7. c. 8 memoratur de eadem, qvod victa fuerit ab Hippomene curſu, dum malis tribus Heſperidum colligendis retardata fuiſſet: qvam rem ſic teſtatur Arabius:

Ἕδνα γάμων ἔρριπλες, ἢ ἀμβολίην ταχύτητος·
Τῦτο γέρας κύρη Χρύσεον ἱππομένυς,
Ἄμφω μῆλον ἄνυσεν, ἐπεὶ καὶ παρθένον ὁρμῆς
Εἴργεν, καὶ ζυγίης σύμβολον ἦν παρέης.

Num dotem magis, an tardandi præmia curſus
Aurea ab Hippomene mala puella capit?

Malum utrumq; fuit, tardavit namq; puellam
Acursu, & nodos nexuit in Veneris.

Nam fuit multorum antiqvorum mos, uti nuptias virtute comparandas præstantium mulierum proponerent. Sic Antæus rex Libyæ fiam Alceim, vel, ut alii maluerunt Barcen, victori cursus proposuit. Sic Danaus filias. Sic Pisander Camirensis sorores, ut ait Pherecydes. Sic Hippodamiam propositam ferunt. At qvod in templô magnæ matris moræ impatiens, nulla habita Deæ reverentia cum Hippomene victore concubuit, Hippomenes in Leonem ipsa in Leænam conversa est.

CAPUT LXXIII.

Qvare clarior vox virginum puellarum, qvam juvenum?

Cum sermo manifestet animi qvalitatem, *l. is qvi*, §. *Divus, ff. de tut. & curat. dat. ab his.* Item vox est nuncius cordis, *Bald. in tract. Schism. 2. col.* Clarior illa vox Virginum & sexus imbecillitatem & fragilitatem & animi inconstantiá denotát, item subjectionem arguit. In juvenibus adolescentibus contra dura & aspera vox & cor durum mageqve constans arguit, itemqve imperium in fœminas. *Unde Arist.* 1. *Pol.* Silentium mulieri præstat ornamentum, & homines sonis, ut æra tinnitu dignoscimus. *Qvint. lib. 11.* item pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia, minoribus enim majora monstrantur: vultu enim & oculis dissimulari non potest conscientia. *Hieron. sup. 12. Proph. lib. 2.*

CA-

CAPUT LXXIV.

Qvibus coloribus, qvo ad vestimenta, uti debeant virgines?

SI in uno aliqvo omnipotentia & magnificentia DEI prælucet certè ac maximè in diversis coloribus elucet, ſtellæ rubeſcunt, ſol & luna clareſcunt, herbæ vireſcunt, roſæ variis coloribus diſtinctæ ſunt, unus tamen color alii præſtat. Prius autem qvam ad condecentiam perveniamus, colores principales ſpeciatim recenſebimus. Eſt color albus, niger, ruber, flavus, croceus, viridis, Mixti, citrinus, purpureus, violaceus ſubviridis, ſubcitrinus, glaucus, ſpadiceus, &c. Qvi autem mage exornet virginis habitum, & qvalis: dubitari poſſet. Num ruber. Non, qvia denotat tyrannidem, & effuſionem ſangvinis. Sic Tamerlanes, qvando urbem obſidione cingebat, primò caſtra & tentoria alba metabatur gratiam pollicens & promittens, altera die rubra oſtendebat, tyrannidem in effuſione ſangvinis minans. Tum qvia & ignis illius coloris eſt, omnia conſumens. Unde & ruber iſte color in Iride mundum igne periturum denotat ſecundum Chaldeos, meminit & Imp. Juſtin, rubri coloris in Inſtit. §. interdum furti tenetur, ibi panno rubro fugavit armentum. De Oblig. qvæ ex delicti. Tauri pannum rubrum ferre non poſſunt, hinc Ovid lib. 12. Metam.

Haud secus exarsit qvam circo Taurus aperte
Cum sua terribili petit irritamina cornu
Phœniceas vestes.

Num flavus? Non qvia proditorius censetur color, fortean qvia citius deficit, aut qvia auri color est, cujus gratia nihil non perpetratur, juxta illud: Auri sacra fames qvò non mortalia pectora cogis? hinc & proditor Judas flavo pallio depingitur. Et Judæi in plerisqve civitatibus, ubi certis signis notati incedere tenentur, flavi coloris circulo uti coguntur. Sic Francofurti ad Mœnum. In Italia Patavii Antenoris & Romæ flavis pileis. In terris sereniſſimi Domini Venetiarum deferunt biretum crocei vel lutei coloris, ut ab omnibus dignoscantur, qvod introductum est in eorum ignominiam & opprobrium, aut ab eis sit cavendum. *Marqvard. de Susannis, de Judæis, pag.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. Item Monetarii flavis palliis de consvetudine incedere tenentur, ut attigi in Comment. *ad tit. de dignitatib. C. lib. neq; ad Dn. Johannem Bleymollerum Variscum.* Muriones itemqve Æthiopes apud nos flavo vestiuntur colore utpote contemtibili & despecto. Unde & insignia eorum, qvi facinus aliqvod perpetrarunt, hocce colore in dedecus & infamiam perpetuam notantur. Num purpureus? Non, qvia denotat superbiam, eo enim solummodo Imp. antiqvi utebantur, *l. purpura, & tot. tit. C. de vestib. olofer. & aurat. & de intinctione sacri muricis, lib.* 11. Num niger? Non, qvia triste notat, hinc inferi eorumqve habitacula nigra di-

dicuntur, noctes atqve dies patet atri Janua Ditis, hinc & lugentes nigro incedunt vestitu. Et Manichæi tenebras ob nigredinem, à malo principio creatas arbitrabantur. Hinc & prænominat' Tamerlanes tertio die nigra tentoria ostendebat internecionem usqve ad unum minando, nulli parcendo. Num glaucus? Videtur qvod sic, qvia cœlicus hic color est, qvotidie nos admonens cœlica & superna qværere. Unde & constantiam veteribus denotabat, qvando Germanos cæsiis sive glaucis oculis laudabant. Num spadiceus? videtur qvod sic, qvia non ita luxuriat, sed commixtus est, sicqve aliqvo modo gratus censetur. Num viridis? Maximè: qvia jucundissimum anni temp9 eo cingitur & ornatur, omnes herbæ medicamina morborum gramina & pascua campi nutrimenta pecorum, hocce insigniuntur. Num albus? Optume, Maxume: Simplex enim iste color purusqve simplicitatem & puritatem candoremqve animi significat: hinc & Angelorum proprius *Matth. 25.* Ex qvibus liqvet, viridem & album colorem maxime condecere virgines. Alba etiam veste ornari solebant, qvi candorem animi & hilaritatem præ se ferebant, ut in conviviis, *Cic. in Vatinium.* Cum ipse Q. Archius epuli Dom. albatus esset. Hodie qvoqve apud Italos virgin. desponsatæ, qvas vulgus vocat Fiancees albis tunicis uti solent ad puritatem qvandam & integrum pudorem ostentandum. *Baysius de revestiaria, c. 9. de lanarum & vestium coloribus.*

CA-

CAPUT LXXV.

Qvi crines exornent Virgines?

QVamvis omnes colores mirabilem Dei omnipotentiam repræſentent, cum tamen & ſua habeant naturalia principia, ſemper aliqvi habiti ſunt in honore, alii verò in deſpectu. In virginibus autem, utpote qvæ longam alere tenentur comam, eaqve plus æqvo ſuperbiunt, qvis placet? Ruber num, Non, qvia præterqvam, qvod malum ac perverſum denotat, animum, ſuperabundantiâ menſtrui arguit ſangvinis, Num niger? videtur eum probare Solomon Eccleſiaſt. in Canticis ſuis, qvo benivolum ſelego Lectorem. Etenim matronæ & ſpectatæ pudicitiæ mulieres nigro capillo, & longe lateqve fuſa toga ad talos demiſſa, ſtolaqve & flammeo ac vittis & reticulo, qvo capita velarent, utebantur. Cum meretrices flavum capillum haberent, *Alexand. ab. Alexandro Gen. dier. lib. 5. cap. 18. H*odiernis moribus maximè probantur & laudantur flavi crines: coloribus aureis, flavis, albeis, &c. tingendi & mutandi crines formulas, tradit *Weckerus in libr. 5. cap. 6. de ſecretis.*

CAPUT LXXVI.

Virgines comæ primitias olim, cum matrimonium iniiſſent, deabus conſecrabant.

SCribit Julius Pollux lib. & cap. 3. Virgines, qvum matrimonium iniiſſent, comæ primitias

mitias Deabus suis consecrasse. Author est Pausanias lib 2. qvod Trazenæ puellæ ante nuptias detonsam comam templo illatam Hippolyto dedicabant. Idem Pausanias in Corinthiacis tradit, in Sicyonia esse ὑγιείας, hoc est, sanitatis simulacrum, qvod haud facile conspici potest qvum undecunqve comis, qvas mulieres Deæ illi obtulere, detonsis veletur. Erat autem devotæ deditionis & servitutis hoc signum. Servis enim olim comam & barbam nutrire vetitum erat. Unde legitimus apud *Aristophan.* δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις; i.e. Servus qvum sis, comam nutris? aliam etiam ob causam antiqvitus radebant barbam & Diis offerebant, ut sc. seipsos mundi & purificati dedicarent. Hac ratione sacerdotes Ægyptios totum corpus rasisse & depilasse, testatur *Herodotus in 2.* *qvod item ex Diodoro Siculo lib. 2. cap. 4.* elicitur. Qvi mos & Hebræis freqvens fuit, ut habetur in *Levit c. 14. Baruch. 6.* In aliqvibus item Ecclesiis, præsertim Syriæ & Ægypti tàm virgo, qvàm vidua, qvæ se Deo vovissent & seculum calcassent (inqvit Hieronymus epist. 48.) crimen monasteriorum matribus offerunt desecandum non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter & velato, nec id qvidem ut Vestales imitentur Romanorum virgines, qvæ incisos sibi capillos ad arborem loton suspendebant, sed aliis ex causis, qvas Hieronymus recitat. Imò & propter mysterium: cum enim in signum subjectionis dati sint illis capilli, Christo jam desponsatæ in

liber-

libertatem vindicatæ, neqvicqvam amplius viris debent. Nec de his dicit *Apostol.* 1. *Cor.* 11. Mulier, si comam nutriat, gloria est illi, qvoniam capilli pro velamine dati sunt illi, de illis enim, qvæ viro non sunt obligatæ, Paulus loqvitur. Porrò, si turpe est mulieri tonderi vel decalvari, velet caput suum. Sacro jam velamine illarum cum caput obducatur, capillis, qvibus tegantur, non indigent, & cum nec capillorum cultu viris placere cupiant, qvæ Christo tantum morum probitate student esse gratæ, eo dispendio pulcritudinis cœlesti sponso magis redduntur acceptæ. *Cæsar. Baron. in thes. antiq. Eccles. tom.* 1. *c.* 269.

CAPUT LXXVII.

Qvare non ita multum bibant virgines, ut juvenes masculi?

NUm qvod non ita sunt calidæ naturæ sicut masculi? Num qvod imbecillioris sunt naturæ? Num, qvod non ita sunt consvetæ? verius: consuetudo etenim eas à conviviis arcet, nam & apud Romanos bibere vinum illis prohibitum erat *ex l.* 12. *Tab.* Unde & Ignatius, qvod uxorem, qvod vinum bibisset, baculo ante dolium interfecisset, absolutus legitur, hinc & oscula originem sumserunt, ut ita sentirent, num vinum redolerent.

CAPUT LXXVIII.

Num ex longo & acuto naso præsumenda siet virgo iracunda?

PRæsumtio hæcce communiter recepta est. Se-

Secundum physionomicos. Nasus enim longus & aliqvantulum subtilis significat hominem audacem, curiosum, in factis iracundum, vanum citò convertibilem: ad utrumqve debilem & ex facili credentem. Cujus nasus fuerit valde acutus in puncta & mediocris inter longum & curtum, grossum & subtilem, significat hominē citò irascibilem valdè sui sensus, facilè rixosum, & dedignosum sagacem, debilē, malitiosum, seductorem, minacem & memorem. Cujus nasus fuerit nimis longus & in puncta plus subtilis qvā grossus & convenienter rotundus, significat hominem in loqvendo audacem, in agendis probum, facile injuriosum, fallacem, invidum, tenacem, in fide secretum, cupidum alieni & multis modis latenter malitiosum, ut recenset excellentissimus rerum naturalium perscrutator *Michael Scot. in Physionomia ad Fridericum Rom. Imp. c. 4. de Naso.* Sed qvæ causa istius præsumtionis? Num qvia ubivis locorum impingant, ex qvo ita facile irascantur. Fortean & pudor in causa est: defectus enim sive excessus naturæ semper invidiam & iram excitat, ut pulcre deducit *Vincentius Alsarius Ligur. in lib. de invid. & fascino Veter.* Fortean, qvia acutiorem & perfectiorem olfactum habent, & sic qvemvis aëra facilius & citius ad se recipiunt, ex qvo citius & facilius ad iram commoventur & bilem, sicut de canibus referunt naturæ perscrutatores, qvod olfactu cæteris animantibus præstent: hinc & mage iracundi in reliqva feruntur animalia.

CA-

CAPUT LXXIX.

Qvo ingressu condeceat virgines incedere?

QVum multum augurii qvoad qvalitates animi ex moribus externis sumatur, maximè subjicit ingressus. Passus pedum enim eundo si fiant tardi & ampli, significant hominem habentem malam memoriam grossi ingenii, turbidi intellectus, tenacem, pauci laboris & non facilè credentem omnia. Cujus passus eundo fiunt veloces & curti, significant hominem velocem in agendis citò imaginantem, vicem teneræ capacitatis. Cujus passus fiunt ampli & discordanter viam rectâ non tenentes, significant hominem simplicem & grossi nutrimenti ac sagacem in malo, ut pater de vulpe. *Michael Scotus in physionomia, cap. 97.* Ast virgines qvis mage condecet? Num celer? non, ne videantur mobiles & leves luxuriosæqve si celeri planta plateas terant. Num tardus? Non, ne videantur ineptæ & segnes ad regimen domesticum. Moderatus igitur probatur moderatum denotans animum, ad bona qvævis pronum. Pudicè igitur incedant puellæ virgines. Nullus enim ita cautè unqvam se gessit, qvin carperetur à malitia, nec virgo ita pudicè vitam instituit, qvin vel ex oculi nictu vel vestigio per viam imprudentiùs facto à libidinoso adolescente in suspicionem violati pudoris venerit. Cum Tullia Ciceronis filia concitatius incederet qvàm deceret fœminam, contra

Piſo gener lentius qvam deceret virum, ambos eodem dicto taxavit Cicero filiæ præſente genero dicens: *Ambula ut vir.*

CAPUT LXXX.

Qvare luxus & ornatus convenientior virginibus qvam adoleſcentibus?

QVum naturâ imperfectior ſit ſexus fœmineus minoresqve ei animi dotes conceſſæ, externis ſeſe extollere & exornare geſtit, cum fibulis ac baltheis auratis gemmatisqve incedit, qvi luxus virginibus congruentior qvam adoleſcentibus. *Forma* etenim *viros neglecta decet*, ut canit Ovid. & vino vendibili non opus eſt ſuſpenſa hedera. Ut igitur facilius emtorem inveniant puellæ, comam exornare, faciem fucare, mollibus & expolitis incedere veſtimentis, qvo juvenes adoleſcentes alliciant, illisq; retibus capiant, ſumma illis cura eſt. E contrario juvenis molliter incedens & delicioſè vitam colens magnopere improbatur, ut refert *Herodianus lib. 5. de ſuis tempor ib. De Imp. Macrino*, qvo benivolum ſelego Lectorem. Comparantur igitur ejusmodi excultæ puellæ Templis Ægyptiorum, qvæ extra ſplendido ornatu fulgent, interius autem niſi ſimia vel felis invenitur.

CAPUT LXXXI.

Num ornatus ad occultandam morbi turpitudinem virginibus permiſſus?

ORnatus mulierum licet sæpe reputetur illicitus, ut per summistas in vers. ornatus: tamen ubi fit ad occultandam turpitudinem ex morbo provenientem non improbatur ex D. *Thom. 2. 2. q. 169. art. ult. in fin.* aliud enim est fingere pulcritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex accidenti aliqvo provenientem, ut ex morbo, hoc enim licitè fit, ut per *Thabienam post D. Thom. citatum in verb. Ornatus, col. ult. Actius de infirm. lit. O. in fin.*

CAPUT LXXXII.

Qvare amantes pallescant?

QVamvis amor utrumqve afficiat sexum, fœmineum tamen ardentius urit. Palloris autem causa in amorosis est, qvia præ amoris magnitudine æstuantis dilatati cordis spiritus evaporant, propter qvorum nutrimentum & restaurationē natura calorē ab exterioribus ad interiora revocat, & sic superficiem cutis per subtractionem calidi sangvinis discolorat, juxta illud:

Palleat omnis amans, color hic est aptus amanti.
B*artol. Anglicus de propriet. rer lib.* 19.
de colorib. c. 12. *de pallido colore.*

CAPUT LXXXIII.

Num virgo ad sanitatis conservationem actum conjugalem admittere debeat?

NOn posse absqve veniali peccato dixit *Turr. Crem. in cap. qvicqvid, vers. qvinto potest.* 32. *q.* 2. coi-

2. coitus autem cum non conjuge penitus est illicitus etiam ad vitandam mortem ex commun: *Viv. decis. 323. n. 18. lib. 2* ubi laudat Ludovicum Francorum regem. qvi mori maluit qvam ita se à amorbo liberare. Ratio, est, qvia qvamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen intentio malà efficitur, cum ex aliqvo sanitas intenditur, qvod non est ad sanitatem principaliter ordinatum, sicut si ex sacramento baptismi sola corporalis salus qværeretur, ut *dicit Cardin. à Tur. Crem. in loc. cit. Aetius de infirm. c. 44. n. 29. usq. ad n. 33. exclusive refert, Fulgos. in l. fin. ultra fin. ff. de pignor. act.* fuisse Episcopum servantem castitatem, cui affines & medicus suaserunt coitum, ur liberaretur ab ægritudine, & ita seqvutum est: cumq; fleret & consolaretur ab affinibus credentibus eum hoc facere ex pœnitentia delicti: respondit, se non flere peccatum, sed qvod citius non inceperat.

CAPUT LXXXIV.

Num virgo, ut propriam sanitatem recuperet possit sine peccato medico id petenti sui corporis copiam facere?

ET non posse colligit ex Episcopo *Benzono de faga lib. 1 pag. 100. versic. tertia conclus. Aetius de infirmit. rubr. 49. n. 42. in verbo Iudicis.* nam gravissime peccant Medici, carnalem copulam vel simplicem pollutionem consulentes & eis obedientes à mortali non excusantur. *Summa Toleti in prac. 6. cap. 13. & 14. De peccato contra naturam.*

CAPUT LXXXV.

An pro sanitate possit virgo Deo polliceri iter vel pegrinationem ad S. Jacob?

INnoc. *in pr. c. Scriptura. ex. de voto*, dicit non obligari, imo etiam verificata conditione putat rectorem loci, cui facta est promissio oblationis non posse agere ex ea uti illic ita, qvia Simoniacum dicit esse intendere à Deo, vel Sanctis emere sanitatem, *cap. Studeat. 1. qvæst. 1.* Verùm pro contraria sententia contra Innocentium multæ rationes adducuntur ab *Abb. in d. cap. scriptura, n. 5. ubi post Hostiens. dicit*: Votum valere, nec esse Simoniacum, qvia omnia sunt Dei, & sic non datur proprium pro sanitate. Ergo cessat Simonia, qvæ sine expresso pacto non committitur, & cum Deo nullum pactum intervenit, sed solum pollicitatio, & si mentalis attendatur, vix est homo (*dicit Abbas, & ante eum Archidiac. in cap. scimus, circa fin. 12. qvæst. 1.*) qvi pro Deo aliqvid faciat & non speret remuneratione͂, qvam ipse promittit secundum opera se redditurum, *Matth. 25.* ideo, ne tota Christianitas, qvæ in hisce similibusqve votis versatur, simoniaca sit: hæc ultima opinio tenenda est, cum *Abb. ubi supr. ubi Apostill. dat concordantes Ant. Arch. Jo. de Ligu. & Host. & dicit Archid.* Theologos communiter hanc opin. seqvi; *Vide Thom. Act. de infirm. Rubr. 45. per tot.*

CA-

Caput LXXXVI.

De planctu virginitatis filiæ Jephtah.

Historia eſt in libro *Judicum c.* 11. ubi Jephtah victoria contra filios Ammon potitus vovit Domino, qvod ex domo ejus ſibi occurreret, qvando cum pace à filiis Ammon rediret, in holocauſtum. Redeunti Jepthah occurit filia unica cũ tympanis,&c.qvę percepto voto patris petiit 2. menſes ad plangend.ſuam virginitatem. Qvalis hic planctꝰ fuerit,qværitur? Num qvod virgo & innocens ex voto patris mori teneretur? Videtur id textus innuere,qvando dicit: Et virum ignorabat. An autem vere immolarit pater ipſam, dubitatur. Qvidam volunt non immolaſſe eam,ſed cultui divino dicaſſe: verum textus aliter arguit, primo qvia planxerit ſuam virginitatem,& pater regreſſæ à montibus, fecit illi ſicut voverat. Item: Et erat conſvetudo in Iſrael, ut filiæ ſingulis annis exirent ad plangendum filiam Jephtah, per 4 dies. Tum etiam videtur in judicibus & regibus qvod poſt magnas res geſtas etiam magnam perpetrarunt ſtultitiam ad evitandam nimiam ſuperbiam. In eadem ſententia eſt *Glycas Annal. part.* 2. Cum unde mos imponendi, &c. & dicit: Deum alios monere volentem, ut non absqve conſideratione vota conciperent, jugulationem hanc non impediviſſet, nam ex pendere ſecum ipſe prius debuerat Jephtah,fieri fortaſſis poſſe,ut vel canis vel aſinus, vel aliqvid aliud immundum ex indicatione ſe-

 gis

gisanimal ipsi primum occurreret. Sed priori opinioni assentitur. *Albertus M. de muliere forti c. Res.* 20. §. 1. lit. B. ubi dicit, filias naturæ, qvæ animum & voluntatem ad propagationem naturæ ponunt hoc arbitrantes optimum jocundari, scilicet in filiis & marito significari per filiam Jephtah, qvæ duobus mensibus suam virginitatem flevit in montibus, eò qvod semen super terram non relinqveret. Andreas Osiander in d. c. putat Jephtah. distinctivè vovisse, ut qvicqvid primo egrederetur domo ipsius, aut servitio cultus divini deputaretur (aut si idoneam sacrificii materiam præberet, immolaretur.) Sciebat etiam Jephtah ex lege, qvod etiam inter animalia non omnia ritè possent Domino sacrificari; multo igitur minus hominem immolare voluisse videtur. D. Chytræus super hunc loc. Sentiunt, inqvit, aliqvi, Jephtham non interfecisse filiam sed cœlibem DEO consecrasse, ut virgo sine marito & liberis seorsim ab aliorum hominum & æqvalium consortio reclusa vitam finiret. Circumiens enim filia Jephthæ in montibus non amissionem vitæ seu mortem suam, sed virginitatem perpetuam, qvod absqve marito & liberis victura esset, deplorat, sicut Hannam matrem Samuelis sterilitatem suam, qvod nullos Dei cultores procrearet amaris lachrimis deflevisse legimus. Nec in historia dicitur, Jephthā filiā in holocaustum mactasse, sed tantum fecisse ei sicut voverat, sc. ut virum non cognosceret, sed perpetuam virginitatem servaret. Sunt enim

voti

voti *Jepthah* 2. membra in contextu Hebræo: Qvod egressum fuerit de foribus domus meæ, erit domini & offeram illud holocaustum. Qvo loco conjunctionem non copulativam sed disjunctivam esse, (ut in dicto. qvi percusserit patrem & matrem pro aut matrem) morte morietur, ostendunt, qvasi dixisset Jepthah; aut immolabitur domino holocaustum, si ejus generis erit, ut immolari possit (homines autem mactare minimè licebat) aut si non offerri licebit, erit alioqvin Deo consecratum. Et consentaneum est, Jephtah de hac difficili causa sciscitatum fuisse Sacerdotes domini, qvi ipsi neqvaqvam autores filiæ immolandæ esse potuerunt. Deniq; talem virum, cujus pietatem ac fidem Epist. ad Hebræos honorifice celebrat, & qvem Spiritus Domini rexisse scribitur, tam tetro & abominando filiæ parricidio se polluisse verisimile neqvaqvam est.

CAPUT LXXXVII.

De voto virginitatis apud Dardanios?

CAssandræ Templum in Italia fuisse juxta Salpem paludem & oppidum Dardanium appellatum autor est Lycophron. In hoc si accolarum qvæpiam virgo parentum, ut fit interdum Virginitatis amore, nuptialibus renuncians votis, sive ob oris deformitatem aut aliud hujusmodi qvippiam sibi traditum perosa virum confugisset, sui posthac erat juris & inde illam abstrahi invitam pro summo scelere habebatur, qvę post-

modum detonsis crinibꝰ & pullas induta tunicas faciemq; coloribus qvibusdam delinita, qvo turpior videretur, per omnem ætatem virgo perseveranter manebat. *Nicol. Leonicus de var. histor. lib. 3. cap. 43.*

CAPUT LXXXVIII.

Num raptus virginum in choreis à filiis Beniamin possit excusari?

Jud. 21.

VIdetur textꝰ excusare ex eo. Non enim rapuerunt eas jure bellantium atq; victorum, sed rogantibus ut acciperent non dedistis, & à vestra parte peccatum est. Verum non omnia qvæ referuntur, etiam excusantur, cum sæpissime loqvatur Scriptura non secundum rei veritatem, sed secundum existimationem illius qvi aliqvid facit, ut de Razia loqvitur *2. Macch.* 14 Qvi seipsum interfecit, & tamen Scriptura ex hoc videtur eum excusare, qvia ibi dicitur: Eligens potius nobiliter mori qvam subditus fieri peccatoribus, ut & in aliis exemplis. De Samsone *Heb.* 11. Samuele 2. *Reg.* 28. Sic & hic raptus non excusatur à sacra Scriptura, sed ex consilio filiorum Israel, ut habet textus, Cœperuntqve consilium, &c. Numeri vero 31. Dominus jubet cunctos interficere, qvicqvid est generis masculini etiam in parvulis, & mulieres qvæ noverunt viros in coitu jugulare. Puellas autem & virgines fœminas omnes reservare, qvarum fuere numero captæ 32000.

CA-

CAPUT. LXXXIX.

Qvare puellæ virgines in via præcedant matres, filii vero adolescentes seqvantur patres?

COmmunis ratio datur, qvod matres certæ sint & certiores de suitate liberorum qvam patres, *l. 5. ff. de in jus voc. Dec. in l. imperium. de jurisd.* cum pater incertus sit & juris præsumtione, *l. filium, de his qvi sui vel alien.* non vera & certa probatione ostendatur, *l. Lucius Titius, de condit. & demonstrat.* Hinc Telemachus apud Homerum Minervæ qværenti, an Ulyssis sit filius, respondit: Mater me qvidem ex illo natum dicit, attamen ego nescio: nondum enim aliqvis suum ipse novit genitorem *Odyss. lib.* 1. hinc & vulgo qvæsiti literis *S. P.* qvasi sine patre notabantur, ex qvibus deinde propter initium congruens Spurii dicti sunt & mulieri prægnantem se asserenti creditur, ut tradunt *Dd. ad reg. jur. si qvis prægnant.* 187. *de Reg. jur. & notat Angel. in l. illud. per gl. ibi si pars hæred. pet.* & creditur matri dicenti suum filium legitimum, *not. in l. fin. ff. de probat*, cum secundum JCtum *in l. si miles*, §. *defunct. ff. ad l. Jul. de adult.* mater possit esse adultera & nihilominus filium legitimum habere ex marito. Et mater est certior patre, *Instit. de success. cogn.* §. *vulgo.* qvod verum secundum *Bartol. in d. l. 4.* nisi in his qvi exponuntur ad hospitale, cum eorum etiam mater sit incerta sicut & pater. Secunda ratio potest esse, qvod majori cu-

ra observent magisqve diligant matres liberos suos qvam patres, qvippe cum matribus dictum sit: Cum dolore natos paries, plus enim filius in procuratione à matre qvam à patre accipit, nec aliter sperma hominis qvam fides ad citharā hoc est, qvam instrumentum ad materiam esse, existimat Galenus, *ut refert Socin. in cons. 1. col. vers. cum ergo, vol. 1 Joan. de Lignano in Libell. de amicitia q. Qvis magis diligat? fol. 12. col. 3. Anton. Vacun. in l. 3. fin. ff. de his qvi sui, qvos refert Arius Pinell. in rub. D. de bon. mat. p. 2. n. 12 in fin. & seqvitur Petr. Gothofr. in Dialog. de amoribus lib. 8. c. 8. Gregor. Rolbag. in certam. masculo fœm. cap. 3. n. 14. 15. 16. 17.* Tertia ratio potest esse Qvod magis diligant matres filias qvam filios propter sexus sui similitudinem. Qvarta ratio est, cum major castitas reqviratur in sexu fœmineo qvam masculino, *l. si qva illustr. Cod. ad SCtm. Orfitian.* majori etiam cura custodiendæ erunt filiæ, Unde & Muson. A filia liberamur e difficilis & molestæ custodiæ. Et Euripides ἀλλὰ θυγάτηρ κτῆμ' ἐστιν ἐργῶδες πατρί. Verū filia laboriosa est possessio patri. Qvinta ratio esse potest, qvod gravitas qvædam in comitatu consideratur, gravius autem hodiernis moribus est in eundo satellitum cohortem à tergo alere, qvam ante sepræmittere. Antiqvitas enim & nostri Germani principes & domini præeqvitabant, servis à tergo seqventibus, verum cum Imp. Albertus propè Moguntiam ex perfidia & instinctu à suis servis trucidaretur, mos in contrarium versus est, ut

ut servi præeqvitent, Domini vero subseqvantur.

CAPUT. XC

Qvare primum præponatur & distribuatur in mensa cibus virginibus & puellis?

HOcce moris est ubivis gentium, ut in mensa & in conviviis primitiæ ciborum virginibus à præcisoribus offerantur. Qvare? Num qvia antiqvi sationem frugum inventionemq; omnium leguminum Cereri tribuêre? *Natal. comes in Mytholog. lib. 5, c. 14. de Cerere.* Num qvia Vesta à Jove virginitatem perpetuam & primitias omnium qvæ Diis offerrentur ab hominibus poposcerit? *idem lib. 2. c. 1 de Jove.* Num qvod in eo habeatur ratio gloriæ virginitatis, qvæ semper apud omnes gentes magni æstimata fuit? Num qvod habitus fuerit respectus ad appetitum illum muliebrem, qvi insatiabilis penè est, moræqve impatiens?

CAPUT XCI.

Cur Magi præstigiis suis virgines & pueros castosq; adhibeant?

MAGI sane, ut simpliciores sub prætextu pietatis & castitatis magis decipiant, volunt, qvod spiritus & Dæmones propter similitudinem maximè diligant virgines pueros & castos. Similitudo enim dilectionis est causa, ipsi namq; non coëunt, qvia nullus Dæmon suapte natura mas est vel fœmina. Unde in qvit Galeotus Mart.

Mart. de doctrina promiscua cap. 10. Qvum Deos placare intendimus, castitatem servamus, secundum illud:

Hac casti maneant in relligione nepotes.

Qvod etiam tetigisse Poëta videtur, ait enim

Et spissis noctis se condidit umbris
Apparent diræ facies inimicaq; Trojæ
Numina magna Deûm.

Nam Venere præsente (ea namqve Deorum & spirituum visionem prohibet) nihil viderat. Sic nonnulli Magiam imitantes qvum furem in Phiala aqvæ vel speculo apparentem noscere exoptant, virgunculas aut infantulos impollutos eligunt, ut ea simulacra conspiciant, qvæ impollutus minimè videt. *Hisce* magicis ineptiis olim Didium *Julian.* *Cæsarem* delectatum fuisse tradit *Ælius Spartianus in ejus vita.* Fuit, inqvit, in Juliano hæc amentia, ut per Magos pleraqve faceret, qvibus putaret vel odium pop. deliniri, vel militum arma compesci. Nam & qvasdam non convenientes Romanis sacris hostias imolaverunt, & carmina profana incantaverunt, & ea qvæ ad speculum dicunt fieri, in qvo pueri præligatis oculis incantando vertice respicere dicuntur, Julianus fecit, tumqve puer vidisse dicitur, & adventum Severi & Juliani decessionem &c.

CAPUT XCII.

Qvid significetur per illam picturam, qva unicornu in sinu virginis reqviescens pingitur?

In

IN lib. 4. de nat. rer. habetur, qvod in deserto, in qvo unicornu illud ferocissimum animal in morte hominum grassatur atqve ferarum, puella virgo relinqvitur. Unicornu adveniens omni ferocitate deposita, casti corporis pudicitiam in virgine veneratur & reclinans caput in sinu virginis soporatur. Virgo manibus apprehenso flexibilem reddit & animis moderatum, ita qvod qvandoqve capitur & occiditur vel ad spectaculum exhibetur. *Cantipr. lib.2.mirac.c.29. §. 32. Isidor. lib.12. Bart. Anglicus de propr. rer. lib. 18. De Rhinocer. Natal. Comes lib.4. de venat.*

Virginis amplexum cupiit fera bellua (nam sic
Fama refert) somnumq; capit placidamqve qvietem
Virginis in gremio optata somnoq; soluta
Funibus invenit sese vinclisq; ligatam.
Seu natura dedit secreti semina amoris
Virginis, atq; feræ est atrox innata cupido.
Sive alia est ratio: tamen hac adducitur arte, &c.

Hinc freqventer ejus captura in templis depicta cernitur. Sed qvid per eam picturam hieroglyphici intelligi volunt? Christum eo significatum accipiunt, qvi unicæ potestatis est, qvia non potest potestas, qvæ comparatur ei, & potestas ejus potestas æterna, qvæ non auferetur. Sed illa pulcerrima mulierum Maria virgo stirpis Davidicæ in deserto mundi à filio Dei mediante angelo paranympho inventa est, cujus pulcritudinem virtutum & sapientiam & pudicitiam

am casti corporis veneratus illectus est, & in sinu uteri virginalis caput altissimæ suæ divinitatis humiliter inclinavit, in qvo novem mensibus soporatus, in tantum à sua ferocitate deflexus est & animo moderatus, ut se capi permitteret & occidi manibus Judæorum, Indeqve resurgens & ascendens in cœlum ante conspectum paterni vultus & civium supernorum in gloriam solemnis victoriæ, qva contra dæmones triumphavit, admirabile voluit spectaculum exhiberi, nisi enim templum Mariæ repertum esset purissimum; Deus in terris non conspectus nec cum hominibus versatus fuisset. *Glycas annal. part.* 1. *C. diei Sexti* creata, *ad qvod & alludit Albertus M. in libr. de muliere forti c. Coph.* 19. §. 1. *lit. FFF. ubi Rhinocer.* id tribuit, qvod capiatur in gremio virginis, qvia prima veritas descendit in uterum virginis.

CAPUT XCIII.

Qvid significetur per 10. *virgines partim sapientes partim fatuas? Mat.* 25.

COmparat Christus regnum cœlorum Decem virginibus, qvæ accipentes lampades suas exierunt obviam Sponso. Qvinqve autem ex eis erant fatuæ & qvinqve prudentes, sed qvinqve fatuæ acceptis lampadibus non sumserunt oleum secum, prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus & veniente Sponso fatuæ sapientibus dixere: Date nobis de oleo vestro, qvia lampades nostræ extin-

tinguuntur. Resp. prudentes, ne forte non sufficiat nobis & vobis, &c. Per Lampades Lutherus ibi sine oleo intelligit bona opera absqve fide, ea extinguuntur, vas olei autem est fides in conscientia in gratiam, qvæ facit bona opera, qvæ consistunt. Ut autem hic oleum nulla alteri communicat: sic qvilibet sua fide vivet. Potius per Lampades intelligerem fidem. utpote qvæ incomprehensibilis est sicut ignis. Hinc Christus: Luceat lux ea vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, per oleum utpote tangibile & perceptibile bona opera, ut enim oleum penetrat & conservat lampades, sic bona opera fidem concomitantur. Hæc Theologica Theologis relinqvo. *Albert. M. de muliere forti C. Res*, §. 1. *lit. D. & E.* exponit, per virgines sapientes filias gratiæ significari, qvæ & castitatem habent in corde & corpore & habitu & Sancta intentione & in humilitate Christo serviunt habentes ducem & vexilliferam gloriosam Dei genetricem, & filium ejus agnum immaculatum. Per virgines fatuas significari filias legis, qvæ timore & vana intentione non Deo, sed laudi serviunt timentes vituperari ab hominibus, si votum castitatis, qvod voverunt, irritum facerent.

CAPUT XCIV.

Qvid per perpetuam virginitatem Minervæ antiqvi fabulosè significare voluerint?

De-

DEa *Minerva* semper virgo fuisse creditur: hinc Homerus in hymno in Venerem de virginitate ejus:

---- Minerva
Aurea non illi Veneris sunt munera cordi:
Prælia sed placuere, feri sed munera Martis.

Et dicta illa fuit ab Ægyptiis sibi perpetuam virginitatem indixisse, qvia præstiterit temperantiam. Hæc semper virgo existimata est, qvoniam voluptates omnes gravissimæ sunt sapientiæ adversariæ ac Venus præcipue, qvæ memoriam, bonitatemqve ingenii maxime debilitat. Et Minerva, qvæ purissima est pars ætheris, è qva nulla nascuntur animalia, cum perpetuam obtinuerit virginitatem, Vulcanum amore sui captum repellit, qvi semen in terram effundit ac inde monstrum nascitur, ut fabulantur antiqvi de Vulcano. Qvid. hoc est portenti? Natura illa ætheris superioris ad inferiora usqve corpora ita pura non descendit, sed calor ille, qvi generationem adjuvat, impurus est & in materia crassa commistus, qvare semen Vulcani in terram decidens multiplicia gignit animalia, qvæ res per variam Erichtonii formam indicatur, turbulentus enim ignis & in materiâ commistus ubiq; Vulcan. est intelligendus, qvi aptus est rerum generationi.

CAPUT XCV.

Qvid per perpetuam Dianæ virginitatem antiqvi significare voluerint?

FIngitur *Diana* ab antiqvis, qvod mares omnes

mnes aversata fuerit, quia viderat quæ passa erat mater, cum obstetricata est, impetravit ergo à patre Jove, ut perbetuam virginitatem servare posset, ut apparet ex his *Callimachi carminibus*;

Δός μοί παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν
Da mibi perpetuo ut simvirgo, da pater alme.

Homer. in hym. in Venerem.

Dianæ haut potuit mentem pervinoere amore
Alma Venus.

Cum virginitatem perpetuam servare, viis ac portubus præesse, à tot Nymphis sociis observari impetrasset à Jove, in sylvis perpetuò ferè degebat, ut mariam consvetudinem devitaret, quare & venatrix dicta est, & nemorum atq; montium custos existimata, ut ait *Horat. lib. 3. carm.*

Montium custos nemorumq; virgo
Quæ laborantes utero puellas.
Ter vocata audis adimisq; letho
Diva triformis.

Præfecta fuit præterea parturientibus, ut intelligeret, quantum malorum cumulum devitasset, cum virginitatem expetivit, ut licet ex his Callimachi versibus intelligere, ubi se nunquam in urbem adituram dicit, nisi cum à parturientibus vocabitur.

Urbes accedam solum ac sum tecta virorum,
Pressa dolore gravi nisi cum me fæmina partus
Auxilio arcesset.

Multiplex deniq; officium fuit Dianæ, quippe cum virgines pertæsæ jam virginitatis ut ejus Deæ, cujus hactenus in tutela fuissent, iram de-

vitarent, consueverint in canistris sacrificia ad Deæ templum deportare ejus numinis veniam postulantes, quod à Græcis χανηφορεῖν dicebatur, neq; eos canistros nisi illæ ferebant, quæ ad nubilem ætatem pervenissent, de qua consvetudine meminit Theocritus in Pharmaceutria. Deniq; cum ita uterus excrevisset gravidis puellis, ut sveta zona uti amplius non possent, eam zonam mos fuit in templo Dianæ λυσιζώνε cognomento zonam solventis scillicet quod fuit apud Athenienses deponere, quare postea dictum est, zonam solvere, pro eo quod est gravidam fieri, quod patet ex his carminibus Apollonii lib. 1.

Prima soluta mihi est postremaq; zona, quod ipsa
In vidit multos natos Lucina misella.

Mos fuit apud Plateenses, antequam nuptias celebrarent, Dia nam cognomento Eucliam placare sacrificiis, quod cum esset virgo putaretur habere odio matrimonia, de qua consvetudine meminit plutarchus in Aristide. Sed hæc fabulosa de Diana. Sensa verò explicantur: Virginem dixere, quod Veneris usus obsit plurimum hujusmodi hominibus cum illorum natura venationibus, aliisq; exercitationibus naturalem calorem adjuvantibus maximè conservetur ac vigeat.

CAPUT XCVI.

Quid per perpetuam virginitatem Vestæ antiqui indicare voluerint?

FErunt antiqui Poëtæ, jovem Vestæ proposuisse,

fuisse, per quam adeptus erat imperium, ut quod mallet, eligeret: ad hanc prius virginitatem popoſciſſe, deinde primitias omnium quæ diis offerrentur ab hominibus, Ariſtocritus lib. 2. Ariſtophanes in Veſtis. Sed quid per Veſtam intellexere veteres? Hocce. Duæ creditæ ab antiquis Veſtæ, per antiquiorem Saturni matrem terram, at per juniorem, ignem purum ætheris ſignificarunt: ut teſtatur Ovid. lib. 6. Faſt.

Veſta eadem eſt & terra ſubeſt vigil, ignis utriq;
Significant ſedem terra focusq; ſuam.

Cum igitur æternus ſit ignis æthereus, jure optimo æternæ fuit vocata Veſta, ut eſt aput Horat. lib. 3. carm.

Ovid. lib. 6. Faſt. flammam ipſam veſtam fuiſſe appellatam ſenſit, ut patet in his:

Nec tu aliud Veſtam quam vivam intellige flammam
Nataq; de flamma corpora nulla vides.

Divinus Plato de Jove in Phadro.

Magnus ſane dux in cœlo Juppiter, volucrem impellens currum primus incedit, omnia coordinans atq; curans hunc ſequitur Deorum ac Dæmonum exercitus in duodecim partes diſtributus: ac Veſta ſola in atrio Deorum permanet: hucusq;. Quis vero magnus eſt ille Deus Juppiter, niſi quem ſolem appellamus? *Is* ſiquidem velociſſimum currum impellit, & dum convolvitur, ſequitur illum ſtellarum exercitus, quæ Dii credebantur, in 12. partes ſigniferi circuli diſtributarum. Veſta autem ſive terræ moles in atrio harum ſtellarum & in medio mundi

immoda consistit. Dicitur Juppiter datus fuisse vestæ educand. quoniam cum animalia & plandæ exterra procreentur, tum crebrior elementorum mutatio fit circa terram, circa quam existunt vabores, à quibus putavit Thales quod ætherea regia aleretur. Hanc Vestam Deam fuisse ignem vel ab initio Romæ præcipua religione cultam argumento sund illa, quæ ad Vestalium perpetuam virginitatem Pertinebant. Cum igitur terra sola ex omnibus naturalibus corporibus immobilis existens in medio totius orbis sublimis tanquam in aëre consistit, neq; in aliquam mundi partem declinat, quare Ovid. lib. 6. Fast.

Terra pila similis nullo fulcimine nixa
Aëre subjecto tam grave pendet onus.
Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem.
Quiq; premat partes angulus omnis abest.

Hinc meritò propter immobilitatem suam credita fuit ab antiquis perpetua virgo, utpote qua virginitate hocce in mundo sublimius quid haut esse potest, in ea enim vivimus nos gloriosè, ut etiam *Bald. dicit in cap. causam de probat num.* 17. Hinc & vestalium virginum ordo aput Romanos perpetuam virginitatem colendo, perpetuum ignem servabat & custodiebat, eo ipso puritatem & gloriam virginitatis ostentando, hinc malum omen extinctio istius ignis credebatur. Imo in tanto honore habebantur propter votum perpetuæ virginitatis Vestales, ut damnatum ad mortem, si fortuito ob-

obveniſſent caſu, liberarent. *Alex. ab Alexand. 5. Gen. 12.*

CAPUT XCVII.

Quid per virgines illas ſtatuas Bantheon illud Romæ ſuſtinentes architecti ſignificare voluerint?

CElebres ſunt aput Architectos Columnæ: Dorica, Jonica, Corinthia & Compoſita: ut autem in virgine laudatur forma gracillis, hinc Terentius *in Eunuch. act. 2. ſcen. 3.* Si quæ eſt habitior paulo pugilem eſſe ajunt, deducunt cibum, reddunt curatura junceas, &c. Ita in maſculo propaturQuadrata. Ad puritatem Deorum, quos cunctos Pantheon illud complectebatur, ſignificandam, architecti virgines, quæ illud ædificium ſuffulciendo ſuſtinerent, ſuppoſuiſſe, dubio procul ad puritatem cordis, quæ in cultu Deorum requiritur maximè, reſpicientes, & vocabantur Caryatides. Sed notum eſt ex Vitruvio, unde primum Caryatidum uſus in ædificia tranſierit. Caria, inquid, civitas Peloponeſi cum Perſis hoſtibus contra Græciam conſenſit. Poſtea Græci per victoriam glorioſè bello liberati cummuni conſilio Caryatibus bellum indixerunt. Itaq; oppido capto, viris interfectis, civitate deleta, matronas eorum in ſervitutem abduxerunt, nec ſunt paſſiſtolas neq; ornatus matronales deponere: uti non uno triumpho ducerentur, ſed æterno ſervitutis exemplo gravi contumelia preſſæ pœnas pendere viderentur pro civitate, ideo qui tunc

Architecti fuerũt, ædificiis publicis designarunt earum immagines oneri ferundo collocatas, ut etiam posteris nota pœna peccati Caryatium memoria traderetur. Latius de iis *Ludovicus Demontiosius in libell. Gallus Romæ hospes in 2. part. p 2.*

CAPUT XCVIII.

De bonis nominibus puellis virginibus imponentis.

PRæsumi quemq; eo magis niti, quo per nomen sibi impositum quodamodo duci significatur, pulcrè & latè tractat illustris JC. *Joannes Ferrarius Montanus*, sanguinis fœdere mihi junctus, quem honoris causa allègo, *in praexercitam. judiciorum lib. 2. c. 3.* Magnum siquidem est & pulcro & honesto nomine vocari, proinde *Joannes Andreas in cap. gravis, de deposit.* commendat uxorem suam Constantiam, quæ dicere solebat: Pulcra nomina filiis emi debere, modo alicubi venderentur, & verè. Nam & Julianus ait: prætorem exigere, ut honesti nominis conditio impleatur, non autem eá, quæ famosæ sit & turpis nomenclaturæ, *in l. facta. §. si in dando* [*meo judicio*, *§ si vero nominis*] *ff. ad SCtum Trebel. ubi Accurs quoq; super verbo conditio*, de suo nomine oppidò gloriatur Accursium, videlicet, quod est honestum nomen dicit, quia occurrit & succurrit contra tenebras juris civilis. Et pulcrum esse honesto celebriq; nomine appellari, abunde scribunt *Cyn. Salic. & alii in l. cunctos pop. C. de Sum Trin. & fid. Cathol.*

quam

quam & ipsam inter alias causam esse, quam ob rem *P. M.* solent in coronatione sua mutare nomen, *Abbas* scribit *in c. cum secund. de præbend.* Quapropter si plures sunt depræhensi, qui furti insimulentur æq; suspecti, tunc de eo primum quæstio est habenda, qui turpius nomen habet, quasi ad hoc propensior ad delicta existimetur, sentit *Petrus Gerardi de petra sancta in singul.* 75. *ad ea* quæ tradit *Bart. in l. fin. ff. de quæst.* addo *in signem Fr. Casonum de indici, & torment, c.* 13. *n.* 5. *pag. mihi* 82. *Angel. in summa Anglica in verbo Argumentatio*, §. 3. *per tot. attigi & ego in proæmio Institut. ad vocabulum Pius.*

CAPUT XCIX.

Qui fiat, quod lis sit cum forma magna pudicitiæ?

DIsputavit hanc quæstionem Jenæ *And. Schæpfferus seqq. causis* 1. *n.* 1. quod mulieres, quæ formosiores, plerumq; sint præditæ corporibus musculosis, calidis spiritibus & sanguine refertis, quæ omnia, quia Venerem provocent & extimulent, planè non est dubium, N. 8. Tanta verò mollities est & imbecellitas sexus muliebris, ut illam naturæ pravitatem & ἀδυναμίαν sæpenumero comprimere non possit aut edomare sciat, hinc Naso epist. 18.

Ut corpus teneris sic mens infirma puellis.

N. 11. pulcritudinis tanta vis est, ut omnium propè quos habet spectatores, desiderium excitet, voluntatem adjungat, amorem sibi conciliet

ciliet

ciliet: hinc Propert. Formosam raro non sibi quisq; cupit.

N. 12. At vero magno cum periculo custoditur, quod multis Placet, ut ait Mimus, seu ut habet Hieronymus: Difficile retinetur quod multi petunt Bene Phocylites καὶ λ⸗ δυσήρητον ἔφυ παίδων τοκέεσι. Et perquam eleganter Seneca. Fœminæ quæ malam faciem habent, sæpius pudicæ sunt: non animus illis deest, sed corruptor lib. 2. controv. 1.

N. 13. præterea mulieres, quibus speciem corporis eximiam natura liberaliter indulsit, ob hoc ipsum nimis superbæ sunt & in solentes, adeò quidem, ut sui ipsarum admiratione penitus obcæcatæ, nemini non se præferant, reliquas fœmellas omnes superciliosè despiciant, nequicquam vel Deum vel homines pensi habeant. Inde Ovid.

Fastus inest pulcris sequiturq; superbia formam.

Et Menander in Monostichis.

Formosa mulier plena res est suPerbiæ.

N. 14. Secundas formas decent superbiæ, ubi uber, ibi tuber, addo: *ubi Helena, ibi Troia, ubi amor, ibi oculus.*

C. 4. num. 19. Quin & hoc certum est, materculas ab omnibus laboribus & curis domesticis suas studiosè submonere & arcere filiolas, metuunt enim, ne fortè maciem contrahant, & faciei sibi pravitatem affricent, si vehementius sibi corti rem familiarem patiantur: formam enim corporis assiduis minui laboribus & cor-

rum-

rumpi pronunciat Philosophus lib. 8. polit. n. 20. Aſt homines nihil agendo maleagere diſcunt, & amor ad illos, qui perpetuò torpeſcunt & liqueſcunt ocio, nec quicquam operis moliuntur, non aliter quàm ad flammam naphta transcurrit. Hinc Ovid. lib. 11. de amor. in Octav.

Quam platanus rivo gaudet quàm populus unda,
Et quam limosa canna paluſtris humo:
Tam Venus otia amat. ----
Otia dant vitia.

Et Seneca: Vis magna mentis, blandus atq; animi calor Amor eſt. juventa gignitur luxu: ocio nutritur inter læta fortunæ bona.

N. 23. Ut autem amor illis, qui Acheloia pocula boni conſulunt & vix atrum panem habent, quem ex heſterno jure famelici devorent, nihil ferè moleſtiæ creat, & negotii faceſſit, ita ingluvie, luxu & temulentia velut oleo, pice, ſulphure flamma libidinis fovetur, alitur & augetur. Vinum enim, quod ait Ariſtophanes, Lac Veneris, quæ ſine Cerere & Baccho friget. Et perquam celebris eſt illa veterum combinatio quadruplex. Periclitatur caſtitas in deliciis. Humilitas in divitiis. Veritas in multiloquio, Probitas in negocio.

N. 25. Accedit quod fœminæ, quæ formæ luculentia conſpicuæ ſunt, litteris dent operam, & cum alia ſcriptorum genera ſcrutentur, tum etiam inter ea libellos contrectent amatorios, hiſtorias ſpurcas evolvant, laſciviora poëmata

perlustrent, quas peccatorum ille cebras & occasiones cum non vitent, & libidinum flammis sæpe numerò corripiantur & infestentur.

N. 26. Accedit quod plerunq; ipsis contingit, quod apud Terentium Chereæ, qui fatetur se incitatum ad suum illud facinus pictura Jovis qui imbrem aureum demittens in gremium Danaes consimilem lusum luserat, *act. 3. scen. 5.*

Verum hæ rationes & causæ subsistunt ne omninò? 1. non videtur procedere, sequeretur enim formositatem ex sola crassitie esse æstimandam, cum & parvæ & graciliores reperiantur formosæ. Illa insuper mollities & imbecellitas communis est tam pulcris, quàm de formibus. Illud. N. 11. non omni modo procedit: pulcritudo enim causa non est amoris, alias sequeretur omnes teneri amore alicujus, quod non est: sed diversitas & diversum judicium amantium in causa est: sua enim cuiq; sponso sponsa placet, etiamsi siet deformissima: latius de hac causa egi in *Linea Amoris.* c. de visu. N. 12. Conceditur, & de formes si placent ut placent suis difficulter custodiuntur. N. 13. Etiam superbiunt deformes seq; haut minus pulcras somniant.

N. 20. Commune est illud, male agi nihil agendo tàm deformibus, quàm pulcris.

N. 23. Luxus itidem in gluvies, temulentia commune quidpiam est tàm deformibus quàm pulcris, modò suppeditet Plutus.

N. 25,

N. 25. Pro ratione facultatum & honorum itidem commune eſt deformibus ac pulcris, dare operam litteris, incidere in turpes lectiones, &c. Duco igitur famam illud malum maximè in culpa eſſe deſiderii illius, quo pulcriores minus caſtæ laudantur. Ubi etenim præ aliis pulcrior quædam virgo invenitur, omnes de ea colloqui, plæriq; eam inſectari, plæriq; ejus amicitiam adfectare, pudicitiam ejus attemptare, & poſteà minimè ea potiti, increpare, convitia in illam conjicere, tamquam minus caſtam criminari, & neſcio quid de ea in volgus ſpargere, hinc volgus ſpargere, hinc volgus pulcram minus caſtam credit, litem illam pudicitiæ cum forma affirmat, ideoq; ſi qua fiet pulcra, facilius in ſuſpicionem incidit.

CAPUT C.

De virginum veſtitu olim.

ZOna mulieres olim induebantur. Unde ἔυζωνοι dicuntur à Poëtis. Virgines quidem tanquam propugnaculo & tegmine pudoris utebantur, unde Solvere zonam pro eo quod eſt virginitatem eripere. Porro virginibus olim ejusmodi erat veſtium uſus, quas à re ipſa *φαινομηρίδας* appellabant. Quales etiam nunc ſpectamus in Nympharum picturis, quibus brachia detecta fœmora quoq; apparent. Ejus veſtis originem inde ductam puto, quod per initia caprinas pelles ad lumbos utrinque cinxerint ab hume-

humeris nodatos corio crurum anteriorum. *Scalig. ex Th. Zving.*

CAPUT CI.

Urbes perquam celebres à virginibus nomen sortitæ.

Athenæ civitas totius Græciæ clarissima nomen ducit ab Athi Granici regis filia: quæ in præsentiarum mutato rerum cardine Cethina dicitur in perexiguum vicum redacta.

Corsica à Corsica muliere, cujus taurus, cum ex continenti Insulam tranasset, nomen quod habet retulit.

Campaniæ illa urbs celeberrima, Neapolis hodiè quæ dicitur, primùm Parthenope fuit appellata, quo nomine una Sirenum fuit, editiore in colle ad ultimum maris sinum ibi sepulta, perinde ut & ab alterius sepulcro Leucosia dicta est. Quæ sane urbs posteaquam frequentius habitari cepisset; veriti Cumani (quos ex Chalcide & Cumis ortos Phythecusas primum sedes tenuisse: de in Cumas in Italia condidisse Strabo memorat) ne patria sua desereretur, Parthenopes iterum destruendæ consilium cepere, quo facto non ita multò post, immani grassante pestilentia oraculo moniti ut novam urbem instaurarent, longè splendidius eam refecerunt, & ex verbis oraculi arrepto nomine Neapolim id est, novam urbem appellarunt.

Gaieta celeberrimus Campaniæ portus ab Æneæ nutrice sic nominatur.

Lavi-

Lavinium ab ipsius Æneæ uxore Lavinia sic dicta.

Virginium est arx in Umbria/ quæ est sexta Italiæ regio.

Virgium est oppidum in *Liguria Transappennina*, quæ est nona Italiæ regio procul dubio ambæ à virgine nominatæ.

In Germania ad Albim est Metropolis Magdeburgum à virgine sic dicta. Venerem namq; ibi coluere antiquitus, ut etiam num gestat in insignibus virginem cum serto super Burgo.

Est & montana urbs Marieburgum, à D. Maria nomen sortita: altera Mariæburgum in Borussia, &c. Johannes Olorinus in Ethograph. mundi parte paster. pag. 43.

Et solent hodie urbes, oppida, castella, arces, & fortalitia, quæ nondum hostium vi oppugnata & capta fuere, adhucce virgines appellari.

CAPUT CII.

De stirpius, plantisve à Divis vel sanctis virginibus denominatis.

B*Arbarea vulgo*] S. Barbaræ herba à virgine sic dicta. *Tragus lib. 1. c. 32. Lonic. lib. 5. c. 197. Ryffius in Dioscor. lib. 4. c. 28. Fuchsius hist. c. 285. Dodonæus histor. Gall. lib. 1. c. 61. Harchius in Enchirid. pag. 253. Favardus in Gale. de stirp. lib. 8. c. 167. Historia general. p. 650. Gesn. de col. stirp. fol. 62. Thalius in Harcinia p. 811. Toxites in Onom. Philos. Pag. 261.*

S. Cata-

S. Catarinæ herbæ] Al. Balſamina fœmina. In Italia Balſamina altera *Anguillara epiſt. 13. Lonic. lib. 5. c. 178. Dodonæus hiſt. Gal. lib. 2. c. 83. Ryffius lib 3. c. 58. Herbarum imagines Egenolphi p. 178.*

S. Claræ herba] *Lobd. in Icon. & herb.*

S. Guyteriæ herba] *Cluſius in hiſtor. Hiſp. lib. 2. c. 65. Hiſtor. gener. lib. 5. c. 5. Johan. Bauhinus.*

S. Helenæ radix] *Cluſius in deſcr. peregr. ſtirp. p. 32. Catologus Francoſ. p. 64. hiſtor. general. pl. lib. 18. c. 46.*

S. Kunigundis herba) officinis eupatorium. *Tragus lib. 1. c. 165. Matthiolus in hiſtor. Germ. lib. 4. c. 41. Toxites in Onom. Philoſ. 219. Fuchſius hiſt. c. 101. Schwenck. in theſaur. Pharm. lib. 1. p. 10. Lonicer. lib. 5. c. 277. Amatus in Dioſcor. lib. 4. enar 61.*

S. Mariæ arbor. S.] *Luminare majus Jacobi de Manliis ſup. Ung. de arthanita. f. 58.*

S. Mariæ calceolus] *Dodonæus hiſt. Lat. Pemp. 2. lib. 1. c. 22. p. 180. Cluſius in Pannon. lib. 2. c. 32. p. 273. hiſtor. general. lib. 10. cap. 29. Geſner. de col. ſtirp. f. 64. p. 2. Wirſung. in judice. Winkler. in chron. ſtirp. initio Dodonæus hiſt. frum. c. 91. Fuchſius hiſtor. c. 201. Toxites in Onom. Trog. lib. 2. c. 3. Reformat. Worm. ſect. 1 fol. 31.*

S Mariæ Carduus] *Toxites in Onom. Phil. p. 354. Fuchſius hiſtor. cap. 16. Reformat. Worm. ſect. 1. pag. 25. Friſchlinus in Nomenclat. cap. 32. Apollo rad. 1. ſup. El bamech. fol. 106. Eucharius Roslin. in herbario Germanico anni 1533. fol. 121. hiſtor. general. lib. 14. cap. 22. Harchius in Encherid. ſimplic. pag. 241.*

Ama-

Amatus in Diosf. lib. 3. enarrat. 7. Gesner. de hortis fol. 251. pag. 2. Cordus in Dioscor. lib. 3. cap. 10. Matthiolus lib. 1. Epist. Anguillara epist. 8. p. 151 Favardus in 6. Galen. de simpl. 11. Job. Agricola de med. herbarum lib. 1. Catalogus Francof. p. 18. Lonicerus in histor. lib. 5. cap. 26. Tragus lib. 2. cap. 107. Adversaria pag. 166. Camerarius in horto p. 35.

S. Mariæ chirothecæ] *Histor. general. lib. 7. cap. 10. Aloysius Mundella in exam. simp. Ruellius lib. 3. c. 37. Cornarius in Dioscor. lib. 3. cap. 43.*

S. Mariæ Claves] *eadem herba cum S. Mariæ calceolis.*

S. Mariæ flores] *Cardus in Dioscor. libr. 1. cap. 7. Catalogus Francof. pag. 65. Frischlinus in Nomencl. cap. 31.*

S. Mariæ fumus] *Clusius in Pannon. lib. 3. cap. 34.*

S. Mariæ herba] *Luminare Majus Jacobi de Manliis in Martiaco hist. gen. lib. 5. cap. 48. Dodonæus hist. Gal. lib. 2. cap. 62. Fuchs. hist. cap. 111. Anguillara epist. 13. Coldombergius Ruellius lib. 1. c. 32. Cordus lib. 2. c. 191. Lobel. observ. pag. 174. Cornarius in Dioscor. lib. 2. c. 147 Toxites in Onom. Phil. p. 378. Pand. mor. c. 354. Cæsalpinus de pl. lib. 12. c. 12. Matthiol. in comment. in Dioscor. lib. 3. c. 35. hist. gener. lib. 5. c. 50.*

S. Mariæ lac] *Dodonæus hist. Gal. lib. 1. c. 83. Cæsalp. de pl. lib. 13. c. 31.*

S. Mariæ lachrymæ] *Amatus Lusitanus in Dioscor. lib. 3. c. 155. Clusius in hist. lib. 2. c. 180.*

S. Mariæ lilia] *Gesner. de hortis, p. 247.*

S. Ma-

S. Mariæ Linum] *Schuenck. in thes. Pharm. lib. 1. c. 13. Matthiolus in histor. Germ. lib. 4. c. 117. Dodonæus hist. Gall. lib. 1. cap. 53.*

S. Mariæ manus] *Cardiaca Lonic. lib. 5. cap. 227.*

S. Mariæ Mentha] *Matth. in histor. German. lib. 5. c. 36. Eucharius in herb. fol. 139.*

S. Mariæ pallium] *Harchius in Enchir. simp. p. 232. Catalog. Francofurt. Matthiol. in hist. Germ. lib. 4. cap. 109. Tragus lib. 1. c. 184. Fuchsius hist. c. 234. Dodon. hist. Gal. lib. 1. cap. 96.*

S. Mariæ pyra] *hist. gen. lib. 3. c. 7. Gesn. de hort. fol. 282.*

S. Mariæ Rosa] *vulg. Rosa Hierichuntina Cæsalp. de pl. lib. 2. cap. 23. Lonic. lib. 5 cap. 329.*

S. Mariæ Sigillum] *Monachi in Mes. dist. 1. cent. 11. Amatus in discor. lib. 4. c. 5. Jac. de Manliis in Luminari majori in Triphera Saracenia fol. 6. Apollo rad. 1. in dyasatyrio 2. fol. 33. Matthiol. in Diosc. lib. 4. c. 5. Cesalp. de pl. lib. 10. c. 49. Fernelius meth. med. lib. 6. cap. 9. hist. gener. cap. 5. lib. 13. Schwenckfelt. lib. 1. thes. pharm. p. 40. Lobel. observ. pag. 344.*

S. Mariæ stramen] *Winckl. in chron. stirp. Jun. Tragus lib. 1. c. 166. Matthiol. in histor. germ. lib. 4. c. 93. Lonicerus hist. lib 5. c. 323. Cornarius in Dioscor. lib. 4. cap. 8. Harchius in Enchir. simp. Amatus in Disc. lib. 4. enar. 97.*

S. Mariæ tribulus] *vide supr. S. Mariæ carduus.*

S. Marthæ poma venenata] *M. Funæe hist. Ind. accid. genuus lib. 2. c. 8.*

S, Othi-

S. Othiliæ, herba] *Consolida regalis Toxites in Onom. phil. p.357.*

S. Virginis chlamys] *Clus. de pl. Hispan. lib. 2. c. 19.*

S. Virginis Lilia] *Gesner. de hort. Germ. pag. 247.*

S. Virginis Linum] *Clus. in Pannon. lib. 2. cap. 37. pag. 130.*

S. Virginis Mentha] *Clus. in nomencl. Pannon.*

CAPUT CIII.

De mari, fluminibus & fontibus à virginibus denominatis.

HErcynna] Scripsit Pausanias in Bœoticis, Proserpinam adhuc Parvulam ad capiendum anserem, quem invita de manu demiserat in antrum cavernosum ingressam, quo ansere à lapide, sub quo se occultaverat retracto statim fluvius ex eo loco emersit, qui fuit nominatus Hercynna, *Nat. com. in Mytholog. lib. 3 c. 16. de Proserpina.*

Hellespontus] Est Hellespontus angustum mare Helles & Lyandri juvenis casu nobilitatum Asiam ab Europa septem stadiis tantum disterminans. Helle filia regis Atamantis Thebarum, insidias novercæ cum Phryxo fratre fugiens, arietem aurei velleris conscendit, ut eo modo Colchos veheretur. Quos cum per mare ferret aries, contigit ut Helle puella perterrita caderet in Pontum; qui inde sumsit nomen.

Pirene] Famulantur Poëtæ Dianam per imprudentiam venando Cenchriam Pirenes Nymphæ filium interemisse, quare cum Pirene eum lugeret tantam vim lacrimarum profudisse, ut in fontem sui nominis sit conversa.

CAPUT CIV.

De Aqua virginis Romæ.

Est Romæ inter celebres aquas in urbem ductas *Aqua virginis*. Ad ortum ejus in agro Lucullano puellæ imago ad fontem stetit, ut Frontinus testatur. Agrippa ædilis capit in via Prænestina longè à Roma miliaribus 8. & illa hodie est dicta *Fons Treio*. Restituta à Nicolao Quinto opere arcuato quadrati lapidis, per campum Martium nunc fluit, ex agro Tusculano, qui à Lucullo olim possidebatur. Ovid. lib. 3. Fastorum ait: eos qui in campo exercerentur, ea sudorem & pulverem abluisse:

Nunc ubi perfusa est oleo labente juventus
Defessos artus virgine tingit aqua.

Plinius lib. 31. Quantum inquit tactu Virgo tantum præstat Martia haustu: hanc videlicet bibenti salubrem, illam natanti & lavanti comodam significans. Virgo cæteris frigidior fuit, quod Ovidius scribit 3 de arte & eandē poëtice Liquorem virgineum appellat de Ponto, & aquā Virgineam in Fastis hæc etiam Aqua Augusta appellata fuit, ut auctor est aliquot locis Dion. Aquæ virginis ductus est ille quem vocat vulgus Ponte de Treio Jud. antiquitates Romæ M. Andreæ

dreæ Palladii, cap. 9. de aquis ductis intra Romam, & cap. 11. de aquæductus quas ex Italico in Latinum transtuli, cum Rome degerem. In ejus aquæductu marmor inclusum, hunc Indicem incisum continet.

TIBERIUS CLAUDIUS DRUSI FILIUS CÆSAR, AUG. Ductus aquæ virginis destinatos per Cæsarem à fundamentis novos refecit ac restituit.

In hortulo verò Angeli Colotii antequitatis viri studiosissimi Tiburtino lapite sculpta hujusmodi leguntur. TIBER CLAUDIUS DRUSI FILIUS CÆSAR. AUGUSTUS GERMANICUS PONTIFEX MAXIM. Trib. Pot. V. Imp. XI. P. P. Cos. design. IV. Arcus aquæductus virginis disturbatos per C. Cæsarem à fundamentis novos fecit & restituit.

Ædicula, inquit Frontinus, fonti apposita hanc virginem pictam ostendit. Alii autem virginem appellatam tradunt, quod quærentibus aquam militibus. Virguncula venas quasdam monstravit, quas secuti ingentem aquæ modum invenerunt. Barthol. Marlianus in Topograp. Romæ deaqua virginis lib. 6. cap. 15. & lib. 7. cap. 16.

CAPUT CV.

Quid per tres Charites virgines manibus inter se junctis pictas veteres singnificari voluerunt.

Templa Gratiarum in medio urbium loco constituebantur, in quibus tres charites virgines manibus inter se junctis pingere soliti sunt veteres hac specie, ut una faciem ad intuentes converteret; duæ vero reliquæ aversam à nobis ad beneficii autorem referrent. Qua imagine, & à Deo mutuis officiis homines inter se devinctos ac copulatos esse, & ad pietatẽ Deo debitam pertinere gratitudinem erga bene meritos, significarunt, & quidem pro uno beneficio in nos collato geminas à nobis gratias vicissim persolvi ac restitui debere. Exuscitant autem nos ad habendam memori mente & voce declarandam bene meritis gratiam, hæc sapientissimorum hominum monita & vetustissimæ imagines. Nudæ igitur figurantur & sine nodis, qui amici animos solutos ac nudos & apertos inter se habere debent. Finguntur etiam ridentes, ut doceamur voluntaria esse debere nostra in amicos obsequia. Juvenes itidem & virgines & perlucida vesto, quia vera amicitia consistit in rebus honestis. Item consertis manibus in se redeuntes instar chori,

qui ordo beneficii per manum transeuntis, nihilominus ad dantem revertitur & tunc pulcerrimus est, dum cohærescit & vicissim revertitur. Hilares sunt, quales esse debemus in dandis, accipiendisq; beneficiis. Juvenes quia & beneficii accepti gratia & recordatio non debent senescere.

CAPUT CVI.

Quæ Regiones, urbes, loca, &c. subsint signo Virginis?

INter signa cœlestia sextum obtinet locum Virgo: ut autem secundum Astronomos cuilibet signo certa subsunt loca inferioris hujus mundi, quæ â signis magni & superioris mundi reguntur. Regiones virgini subjectæ sunt:

Achaia, Assyria, Babylonia, Corinthia, Creta, Croatia, Græcia, Mesopotamia.

Urbes hæ virgini subjectæ sunt.

Aretium, Basilea, Brundusium, Corinthus, Cumæ, Hierosolyma, Lutetia, Papia, Rhodus, Segnia, hinc vers.

Virgine sub casta felix terraq; mariq;
Est Rhodos Ioniaq; urbes & Dorica rura
Arcades antiqui celebrataq; Curia fama, &c.

CAPUT CVII.

Quæ membra hominis subsint virgini?

SEcundum Gnosticos & Planetarios virgo in homine tenet ventriculum & intestina. Quando Sol virginem permeat, pulcrum tempus est, humiditates multæ in campis. Ipsius virginis signum in universum quidem humidum perhibetur ac tonitruosum, divisum tamen habetur hujusmodi, ut quæ antecedunt, partes sint calidæ, corruptioniq; accommodatæ, quæ mediæ, temperatæ, quæ ultimæ, humentes ac pluviæ: partes verò septentrionales ventosæ, quæ tamen in austrum tendunt, moderate, &c. Quando luna in virgine est, non prodest prædictis membris mederi, sive ferro tangere, nec Venere uti, nec litigare, nec in igne laborare, prodest viduas ducere, emere & vendere pannos animalia & alia gravia, conducere mercenarios. ablectare pueros, peregrinari versus meridiem, tabellarios mittere, cum scribis mercatoribus & artificibus negociari, societates inire, pueros ad scholam & alia artificia subtilia mittere, au-

aurum & argentum tingere, monetas cambiare & mutuò dare, mercantiam exercere, officia ſuſcipere, arbores inſerere, agros colere, ſeminare & quicquid tellus requirit agere.

CAPUT CVIII.

Planeta ſive conſtellatio pueri puellaq; nati nataeve ſub virgine.

SIgnum ipſum virginis ſterile putatum eſt, hinc Græci dicunt ἄγονον: hoc eſt, infœcundum parumq; omninò genitale, quin etiam ab artium humanitatis ſtudiis Anthropides vocatum eſt: efficit enim natos bonos, honeſtos, verecundos, delitioſos, litteratos, eruditos, myſteriorum atq; arcanorum gnaros, computatores rationales, diſpenſatores morum inſtitutores, ſcribas, negocioſos, curioſos, qvæ virtutes hominum ſunt propriæ. Quin etiam ut hominis ipſius initia ærumnoſa ſunt, etenim infans cum primum terram attigit, in fletum prorumpit: ſic, qui naſcente virgine in lucem veniunt, primos vitæ annos difficiles ac ſolicitudinis & laborum plenos exigunt: poſt vero ætate progre-

diente fructus vitæ uberes consequuntur cum honore & laude. Johan. Jovian. Pontan. de reb. cœlest. lib. 5. c. 6.

Puer natus intra 15. Augusti & 14. Septembris est naturæ & proprietatis signi Veneris complexionis Mercurii: melancholicus, frigidus, siccus, fœmineus, communium sensuum, pulcri capitis & faciei, brevis frontis, simplicies nasi, acuti visus, longi corporis, pedum canonicorum morum probatorumq;, brevis iræ, sapiens, durus in verbis, honestus, purus, facilè ad quævis movetur, facile credit: post mediam ætatem exurgit.

Primus genius fortunæ ejus est simplex & timidus. Summam fortunam innuunt ipsi Regiones Meridionales & Occidentales, Septentrionales sunt mediocres, non adeò in fortunatæ. Ast à Solis ortus cardine sibi caveat, hic minatur ei infortunium & periculum vitæ.

Omnes colores sunt ipsi fausti, exceptis spadiceo, viridi, nigro, jecorino, qui sunt infausti & mali ominis. Summa fortuna sunt ipsi Terræ nascentia & omnia aëria, aqueaque, ast omne quod

ex

ex igne prosilit, sive eo paratur, infortunium minatur: Morbus corporis est, Carceres patietur, capitis dolore afficietur: aurium, oculorum, cordis, ventriculi intestinorum, febrium, sensuumq; tormenta subibit, mortis ejus signa erunt & causæ, siccitas stomachi & ardor capitis.

Puella nata intra prædictos dies, ut plurimum ejusdem naturæ erit, est levis cordis, fortunata nimium consultrix, pudica: labor ejus in discendo multa subtilia. Post multa tentamina pervenit ad honores à duobus viris per mulierem, quæ proderit ipsi per aliquod tempus irascitur parentibus suis læsionem in capite sentiet & multa variaq; pericula morborum.

CAPUT CIX.

Cur aput veteres signum Virginis vitem aversari credebatur?

SAne prudens attamen superstitiosa antiquitas, quum animadverteret vinum nimium & immoderatum præcipuum esse nequitiæ fomentum, in illa persvasione fuit, signum Veneris vitem

aversari. Cavendum enim, ut Orpheus monet, ne Luna signum virginis percurrente vitem seramus, eam enim odio prosequitur ad indicandum virgines vinum, non secus ut virus, fugere & vitare debere: nam qui spiritu impletur, habet prudentiam, verecundiam & castitatem, qui vino, insipientiam, furorem procacitatem & libidinem. Si igitur virgo nimium vini sorbet, ab eo absorbetur. Quælibet igitur virgo aspiciens Lunam signum virginis percurrere sibi imaginetur: hoc est, à vino esse abstinendum, aut si valeat, de collo pendentem lunam, virginem subradiantem ex auro vel argento gestet, quotidianum castitatis suæ admonitorem & custodem.

CAPUT CX.

Unde cera membrana & mel virginis dicatur?

UT puritas virginitatis semper summo in honore habita fuit, sic omnia prima & primitiæ rerum puriores quodamodo censentur & reputantur. Hinc mel quod primitus apes mellificant, ut & cera à sua puritate & integritate Mel

& Ce-

& Cera virginea nominantur, ut & membrana ex juvenculis, &c. confecta membrana virginis dicitur.

CAPUT CXI.

Virgines laudatæ in Sacris

QUanquam ut superius dictum, magna sit lis cum forma pudicitiæ, fuerunt tamen quædam mulieres sanctæ & pulcræ exterius, & tamen non vanæ, quia pulcritudinẽ suam mundo in concupiscentiam non ostenderunt: hinc laudat sacra pagina à pulcritudine filias hominum, Gen. 6. ibi: videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulcræ, sumserunt sibi uxores, de quibus latius egi in *libel. de Gigantibus cap. 3.* §. Laudatur & à pulcritudine *Rebecca cap. 24.* ibi Rebecca puella nimis decora, virgoq; pulcerrima & incognita viro. §. Laudantur & à pulcritudine filiæ Jobi *cap. ult.* ibi non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Jobi in universa terra, quæ appellatæ sunt Dies & Cassia & Cornu stibii, sive cornu conversionis; quibus nominibus voluit Job consignare memoriam utriusq; fortunæ

næ suæ prospere & adversæ *Glos. ibidem.* §. Laudatur & à pulcritudine Judith ista heroina. *Jud. c. 10.* ibi. Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat, & ideò Dominus hanc in illam pulcritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret, itidem considerabant faciem ejus, & erat in oculis eorum stupor, quoniam pulcritudinem ejus mirabantur nimis. §. Laudatur & à pulcritudine Virgo Regina Esther, libr. *Esther capite secundo* ibi. Esther pulcra nimis & decora facie: itidem erat formosa valde & incredibili pulcritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur.

Laudatur & in cap. 1. libri Esther rejecta & repudiata illa regina Vasthi à pulcritudine ibi. Erat enim pulcra valde & præcepit rex Asuerus, ut introducerent, eam, ut ostenderet cunctis populis & Principibus pulcritudinem illius.

A pulcritudine toties commendat sponsam suam Salom. in *Cant. cap. 1.* Nigra

gra sum, sed formosa. O pulcerrima inter meliores! pulcræ sunt genæ tuæ, sicut turturis, collum tuum sicut monilia. Ecce tu pulcra es amica mea. Ecce tu pulcra es, oculi tui columbarum, c. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, cap. 4. Quàm pulcra es, oculi tui columbarum, absq; eo quod intrinsecus latet. Tota pulcra es amica mea & macula non est in te, c. 6. Pulcra es amica mea mea, svavis & decora sicut Jerusalem. Pulcra ut Luna, electa ut Sol, cap. 7. totam commendat à gressu, ab umbilico, ventre, collo, oculis, naso, capite & coma, &c. quæ omnia mystica sunt plenissimum incomprehensibilis amoris Christi erga sponsam suam, & vicissim sponsæ erga Christum sponsum continent argumentum. Maxime autem commendatur & supra omnes alias B. virgo Maria, quæ ante partum, in partu & post partum mansit virgo.

CA-

CAPUT CXII.

Virgines culpatæ in Sacris.

INcrepantur in ſacris filiæ illæ duæ Lothi ob inceſtum cum patre commiſſum, *Gen. 19.* §. Redarguitur Dina filia Liæ oc curioſitatem, quod egreſſa fuerit, ut videret mulieres regionis illius, & ſic raptum & ſtuprum perpeſſa fuerit, *Gen. 34.* §. Culpantur neglientiæ quinq; illæ virgines fatuæ, quæ acceptis lampadibus non ſūſ ferunt oleum ſecum & ſic noviſſime venientes excluſæ ſunt, *Matth. 25.* §. Redarguitur etiam ſaltatrix iſta puella filia Herodiadis, quæ præmonita à matre pro precio jurato promiſſo, poſtulavit caput S. Johan. Baptiſtæ, *Matth. 14.*

CAPUT CXIII.

Virgines laudatæ ab Eccleſiaſticis hiſtoricis.

VIrginum laudatarum ob martyria & confeſſiones ab Eccleſiaſticis Scriptoribus numerum exhibent *Faſti Eccleſiæ Legenda Sanctorum*, quarum cum tantus nume-

numerus sit ut nimis longum foret eas omnes hicce recensere, benivolum Lectorem eò remitto. Carolus enim Magnus cum omnium sanctorum numerum colligi jussisset, ad singulos ferè dies ultra 300. invenit, ob id institutum est Festum *omnium Sanctorum*, & in ejus festivitate octavo cantatur de virginibus, & lectionem de virginibus legit unus ex pueris, Octavum etiam responsorium dicunt de virginibus, scilicet. Audivi vocem quod cantatur à quinq; pueris coram altari B. Mariæ virginis, si fuerit ibi Candelas in manibus, tenentibus, ad præsentationẽ quinq; prudentum virginum lampades ornatas & accensat habentium. *Guilbelmus Minatensis Episc. in Rationali divinorum officiorum lib. 7. De festo omnium sanctorum p. mihi 254. & lib. 8. de virginibus p. 262.* §. Non minimum numerum sanctarũ & canonizatarum virginum unica historia S. Ursulæ testatur, quæ 11. millia virginum in turba sua socia habuisse prædicatur. Goltwurmin *fast. Eccles. fol. 281.* §. Et virgines sanctæ sup Impp. paganis acerbissima tormenta & martyria sustinuere ut san-

cta

cta Domicilla, Margarita, Catharina, Agnes, Cecilia, Agatha, Lucia, &c. de quibus *Basil. Gradi de Ragusa in tract. Della virginita, cap. 20.* §. Habuit & Philippus unus ex 12. Apostolis duas filias, quæ in virginitate consenuerunt. Et altera filia ejus, quæ in spiritu sancto conversata est, Ephesi quiescit Lucas in Actis Apost. sic: Venimus Cæsariam & in domum Philippi Evangelistæ ingressi, qui unus erat ex septem, mansimus apud illum. Erant autem huic quatuor filiæ virgines prohetantes. *Eusebius hist. Eccle-siast. libr. 3. cap. 31.*

CAPUT CXIV.

Virgines laudatæ à profanis Scriptoribus.

A Speciosa forma præ aliis maximopere commendatur Helena illa Trojani belli & excidii primarii causa. §. A pulcritudine & celeritate cursus laudatur Atalanta, quæ corporis viribus & celeritate pedum non solum fœminas sed & homines anteibat. *Nat. comes in Mythol. lib. 7. cap. 8. de Atalanta.* §. Laudatur

datur & ab eruditione filia Accursii. §. Laudatur & Johanna Lotharingica illa virgo à fortitudine, de qua superius. §. Laudatur summopere ab utraq; militia Elisabetha illa Angliæ regina, quæ post diuturnum regimen in vivis desiit esse §. Laudatur à servata virginitate Kunegundis Henrici Imp. conjunx §. Celebratur & Virginia virgo, quam pater Virginius Icilio uxorem desponderat, quamq; Appius unus ex decemviris vitiare tanquam servam satagebat, ob idq; à patre peremta. Historiam enarrat Livius, cujusq; in tubitatam fidem facit multæ antiquitatis marmorea tabella cum hujusmodi inscriptione Romæ in S. Maria Monticelli extante.

D. M.

Virginis filiæ meæ carissimæ Virginiæ nimiam ob pietatem propriis meis manibus interremtæ, proh dolor, quantum fuit carissima in anno XVI. juventutis ejus menses. V. D. III.

Hodierno seculo vigent laudibus stupentæ eruditionis Elisabetha westomia Anglica virgo, quæ carmina ad imp. Rudolphum & alios doctissimos viros scripsit & Juliana Morella Barchin. vir-

go, quarum superius honestam fecimus mentionem.

CAPUT CXV.

De Sibyllis virginibus divinantibus.

Dicit S. *Hieronymus* inter gentiles solas Sibyllas virgines donum prophetiæ à Deo adeptas fuisse propter virginitatem. Marcus Varro decem ponit Sibyllas in lib. de cultu divino, hunc sequuti *Lactantius Hieronymus. Augustinus.* Ex communi tamen relatione Duodecim numerantur Sibyllæ, quæ viderunt gloriam incarnationis dominicæ & plurima de Christo prædixerunt: ut

Sibylla Persica] *cujus meminit Nicanor in vita Alexandri M.*

Sibilla Lybica] *de qua Euripides.*

Sibylla Delphica] *de qua Diodorus Siculus, Plinius, Eusebius, & S. Hieronymus.*

Sibylla Cumæa] *de qua Virgil. lib. 6.*

Sibylla Erythræa.]

Sibylla Samia] *cujus meminit Eratosthenes, Eusebius, & S. Hieronymus.*

Sibylla Cumana] *alias Amalthea.*

Sibyl-

Sibylla Hellespontiaca]

Sibylla Phrygia] *alii dicunt Cassandram regis Priami f.*

Sibylla Tiburtina] *alias Albunea.*

Sibylla Europæa.]

Sibylla Agrippa] *de quibus numero decem tantum est videre apud Lactantium lib. 1. c. 6. divin. instit.*

De carminibus & vaticiniis earum, & an ipsæ Sibyllæ fuerint salutem consecutæ, videat benivolus Lector *Memorabilia mundi Matthiæ Quadi part. 1. de Sibillis Marquard. de Susannis in tract. de Judæis part. 3. c. 1. n. 56. 57. 58. & 59.*

CAPUT CXVI.

De puellis Virginibus in mares mutatis.

Contingit interdum fœminas in mares mutari: nunquam vero mares viri in fœminas mutantur, repugnante scilicet natura, quæ semper expetit dignius & indigniori resistit, nec fabulosum hoc est, est enim clarissima & vera Hippocratis & Galeni sententia, habere etiam mulieres suos testiculos & genitalia

talia æque atq; viros, atq; ob id non minus etiam quam viros castrari posse, quemadmodum eas in Lydia castrari affirmat *Aliciatus in l. Spadonum ff. de verb. sign. & lib. 4. antiq. lect. cap. 10. & lib. 20. c. 14.* quamvis in maribus genitalia membra propter caliditatem expellantur, in fœminis verò propter frigiditatem intus retineantur. Plures ita conversæ leguntur. Hippocrates scribit, Phætusam Pythæi uxorem in marem fuisse conversam, barbam, hirsutum corpus, & vocem asperam habuisse. Idemq; Namysiæ Georgippi uxori in Thasio occidisse. *Plinius lib. 7. nat. histor. cap. 4.* inquit, Licinio Crasso, & Caio Cassio Longino Coss. ex virgine puerum effectum Cassinum appellatum: quod etiam confirmat *Gellius lib. 9. noct. Attic. c. 4. Livius lib. 4. secundi belli Punici.* Q. Fabio Maximo & M. Claudio Marcello Coss. ait, Spoleti virum ex muliere factum fuisse. *Lucius Mutianus* prodit Argis vidisse Arescusam mulierem masculum Ariscontem appellatum, evasisse, barbam emisisse ac uxorem duxisse & Smyrnæ similem puerum agnovisse. Et in Aphrica nuptiarum die Lucium, Cossorium

civem

civem Tisdridanum ex fœmina in marem fuiſſe verſum. Amatus Luſitanus Medicus cenſ. 2. curatione 39. ſcribit: in Luſitania in oppido Eſueica Martham Pacchecam primorum menſtruorum loco Priapum emiſiſſe, & ſic in marem verſam virilem togam ſumſiſſe, Emanuelem appellatum qui ad Indos profectus poſtea dives & clarus in patriam reverſus uxorem duxit. *Bapi ſta Fulgoſ. in libro rer. memor. ſcribit* Neapoli Ferdinandi regis tempore Ludovicum Guernam civem Salernitanum quinq; habuiſſe filias, quarum primas Franciſcam & Carolam, cum ad decimum quintum annum perveniſſent, virilia emiſiſſe, unde mutato habitu Franciſcum & Carolum fuiſſe appellatos & pro maribus tractatos: Et idem *Fulgoſius* dicit: Sub eodem rege puellam prima nocte, qua cum viro ſuo concubuit, genitalia membra protuliſſe, domumq; reverſam in judicio dotem ſuam repetiiſſe & exinde marem fuiſſe habitum. De aliis fæminis in mares converſis ſcribit *Marcellus Donatus lib. 6. De medica hiſtoria mirabili, ut teſtatur Johan. Benedict.*

 in

in tractat. de furt. §. animo lucrandi, num. 207. Matthias Quad. in memorabil. mundi part. 1. fol. 46. Gregor. Rolbag. in certam. masculo fœm. in acie viril. cap. 8. recenset. Johan. Pontan. de reb. cœlest. lib. 10. cap. 5. se vidisse & perquam cognitum etiam ab eruditis viris habere: Cajetana muliercula viro piscatori nupta, cum quo annos complures Veneris res miscuerat, ut Antonius Panhormita piscatoris amicus referre adolescentibus solitus est, post quartum decimum annum è muliere in virum transiit exorto repentè in muliebris naturæ loco virili pene. Quo facto, quod conditionis perpuderet suæ; ut qui à viris pariter mulieribusq; rideretur, è civili vita ad vitæ genus religiosum transiit, vixitq; in monasterio, in quo ipse eum novit, vitæ suæ reliquum, sepultusq; est Romæ in Mariæ ad Minervam Templo: aliud exemplum idem refert de Æmylia mutata in virum, & addit: Hoc naturæ cœlestiumq; agitationum effectus mirari magis possumus, quam quomodo fiant, eorum rationem singillatim reddere. *Severinus Pinæus Carnutensis Parisis in Chirurgia*

rurgia Magister primus planè non credit sexus mutationem, seu filiæ in filium vonversionem, *in tr. de notis virginitatis Problem. 2. p. mihi 56.* quo benivolum selego Lectorem.

CAPUT CXVII.

Quid portendant somnia de virginibus?

QUamvis somnia fallaci ludant temeraria nocte & pavidas mentes falsa timere jubeant, aliquid tamen divini & vaticinii in iis latere, sacra pagina satis superq; demonstrat *Genes. 28. Genes. 41. Matth. 1.* Plura alia exempla suppeditant Biblia *Genes. 20. 31. 37. 40. 46. Num. 12. Jud. 7. 1. Sam. 3. 28. 2. Sam. 7. 1. Reg. 3. 28. Esth. 1. Job. 7. 33. Dan. 1. 2. 3. Joel. 2. 2. Macchab. 15. Matth. 2. 27. Act. 2. 16.* Sic etiam ex somniis varias observationes collegerunt Secretistæ & secretioris Philosophiæ perscutatores, ut indicant libelli somniorum & interpretationes eorum. In quibus somnia de virginibus delicias, voluptates & gaudia omniaq; læta portendunt. Amatores enim ple-

rumq; somniant amasias, amplexus & oscula blandaq; colloquia. *Phil. Melanchthon de divers. gen. somn.*

CAPUT CXVIII.

An omnes fuerint virgines in turba & societate S. Ursulæ?

UT Legenda habet, undecim millia virginum in societate ejus numerantur. Verùm, cum & juvenes adolescentes reges in ea cohorte fuerint, ut patent ex bustis in templo S. Ursulæ Coloniæ Agrip. ad Rhenum, minor autem eorum numerus fuerit, à majori denominationem sortita est argum. §. *Gallinarum, &c. Instit. de rer. divers.* ut & modicum in S. Scriptura non reputatur: argument. quod Matth. scribit Christum in cruce noluisse bibere: alter vero scribit. Et cum gustasset, &c. ibiq; gl. Unde quamvis totus exercitus numerus Virginum nuncupatur, hoc tamen non est tantum intelligendum de sexu fœmineo, quia quam plures Episcopi & alii sancti Martyres interfuerunt, qui etiam castam vitam duxerunt, sed propter

pter excellentiam, quia maxima multitudo fuere virgunculæ, ideo exercitus Virginum nuncupatur. Poteſt etiam dici, quod propterea dicitur Exercitus Virginum, quia beata Urſula fuit informatrix & principalis inſtauratrix hujus ſanctiſſ. exercitus. Hinc eſt, quod hodierna die in Cœmiterio, ubi reliquiæ ſanctarum virginum requieſcunt, nullus poteſt ſepeliri, quia ſi aliquis ſepeliretur, clauſo tumulo in craſtinum ſuper terram apparet: quia hæc terra de corporis ſanctarum virginum creditur ſanctificata, *prout inveni in paſſionali S. Urſulæ c. de 11. mill. virg. pag. 85. vid. Aubertus Miræus Bruxell. Canonicus in disquiſitione de SS. virginibus Colonienſibus.*

CAPUT CXIX.

Expoſitio l. 6. §. 1. l. 34. in fin. ff. de adulter. §. item lex Julia Inſtit. de publ. judic. ibi.

Stuprum in virginem committitur.

ACcurſ. *ex d. l. 34. §. adulterium 1.* [ibi ſtuperum in vidua vel virgine, vel

 puero

puero comittitur] colligit, stuprum committi ante pubertatem, adulterium post pubertatem tantum *ff. ad l. Jul. de adult. adducit. l. 36. C. ibi.* [Quoniam tale crimen post pubertatem incipit] sed reprehendit eum ibi *Gothofr. lit. M.* nam virgo ibi opponitur nuptæ, qualis pubes esse potest: & proprie *d. l. 36.* non loquitur de ætate excusationis à delicto, & dicit: Si minor annis adulterium commiserit, l. Julia tenetur, quoniam tale crimen post pubertatem incipit. Loquitur ergo in terminis excusationis: nam minores, quamvis alias in delictis beneficio II. excusentur, cum ipsos innocentia consilii tueatur. In hoc tamen crimine utpote gravi excusationem non merentur: nulla enim deprecatio adulterii pœnæ est, *l. 37. §. ff. de minor.* igitur addit. Quoniam tale crimen [non quod tum post pubertatem incipiat hoc crimen committi, sed quod non mereatur veniam etiam à minori perpetratum. Post pubertatem] inquit, subintellecto tamen: Si nupta fiet minorennis illa; alias est stuprum, ut sup. de quo latius egi in *cent. 2. quæst. 13.*

CA-

CAPUT CXX.

Expoſitio dicti Jobi cap. 31.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.

Simpliciter intelligendo hoc dictum, videtur omnis cogitatio, omnis converſatio, omne colloquium, &c. cum virginibus prohibita, ſic & nullus introitus ad matrimonia ineunda patebit? Verum ſincere intelligendum erit de prava in nobis concupiſcentia coercenda. *Syr.* 23. Domine Deus, Dominator vitæ meæ cuſtodi me ab oculo impudico & cuſtodi me ab oculis malis, ne patiaris me obbruteſcere in crapula & libidinibus, & cuſtodi me à corde impudenti. Ideoq; fœdus Jobi intelligitur pactum cum oculis ratione pravæ concupiſcentiæ, non veri & ſinceri amoris, qui nullibi prohibetur, cum & ipſe habuerit uxorem: ideoq; fomenta & irritamenta libidinum extra ordinem vagantia ſunt fugienda, non verò legitimus & conceſſus uſus *Syr.* 9. Fuge amicas, ne incidas in laqueos ipſarum.

CA-

CAPUT CXXI.

Expoſitio dicti Lichtenbergeri.

Virgines Germaniæ ornabunt ſeſe in die feſto ſertis ex lilio factis.

INter alia Vaticinia, quæ *Lichtenbergerus* edidit *& hoc habetur cap. 18.* quod Paracelſus ita in vatic. Lichtenberg. interpretatur. Virgines Germaniæ ſunt illi, qui ſunt annunciatores diei feſti & feſtarum, ſacrarumq; rerum, illi nimirum qui templis ſunt dicati: Hi Lilio obligabunt ſeſe, & diem ſuum feſtum ornabunt eo, nullos amplius operarios habebunt dies ſed liberabuntur, & iterum ad diem feſtum afferentur. In ſumma vaticinium hoc eſt. Scorpioniſtæ, hoc eſt, hoſtes Eccleſiæ conabuntur Lilium aggredi, aſt non vincent, & hicce lapſus Germaniæ viris feſtivis virga erit, hucusq; Paracelſus.

CAPUT CXXII.

Quæ Terra per virginem denotatur?

EN tibi *formoſa ſub forma Europa puellæ,*
Vivida fœcundos pandit ut illa ſinus.

Fidens

Fidens Italiam dextra Cymbrosq; sinistra,
Obtinet Hispanum fronte geritq; solum.
Pectore habet Gallos, Germanos corpore gestat,
Ac pedibus Graios Sauromatasq; fovet.

CAPUT CXXIII.

Expositio Vers. apud Catul.

Virginitas non tota tua est ex parte parentum est.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri.
Tertia sola tua est, noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.

SUnt Catulli ad Juliam, ne Manlio sit refractaria. Quæri autem hic posset, quare non tota sit puellæ Virginitas, cum ipsa volente servetur & tollatur. §. Et resp. Totam esse virginis quo ad inesse: pater enim & mater nihil faciunt ad virginitatem filiæ, nisi quod talem procreent filiam. Parentum ex parte esse, quo ad attinentiam, quia & parentum interest filiæ virginitatem illibatam esse: ideo fecit hos versic. Catullus ad Juliam, ne fiet refractaria marito suo Manlio, utpote cui parentes sua jura attinentiæ simul cum dote dederint: ideoq; nihil aliud innuere voluit, quam

quam totum jus & dominium: quod parentes habuere in filiam, maritum accepisse in uxorem. Cur vero prima pars adscripta fuit matri & non patri? utpote superiori? §. Dubium movet, nam si, ut ante dictum, maritus totum jus habet in uxorem, cur non etiam primas partes pater habeat in filiam? Posset resp. aliud esse quo ad maritum, & aliud quo ad patrem. Ille totum jus indivisum & solus habet in uxorem: hic vero divisum & ex parte tantum; cum & pars matri, utpote cui cohabitat pater, debeatur ex jure naturæ, quo magis matres amant liberos, quam patres. Imo magisq; puellas quam pueros majoriq; cura observant & custodiunt matres liberos, quam patres, inde fit, cum majus onus in procreando, in utero gerendo, pariendoq; mater sustineat, prima etiam pars quo ad attinentiam matri adscribitur, inde nullum præjudicium infertur patri, quæ enim sunt matris, primò reddenda sunt matri. Secunda demum pars patri, utpote qui præter agendum, nihil præterea oneris sustinet, adscribitur. Tertia ratio potest esse, quod sæpissimè infe-

inferioris gradus res in ordine præponantur, quo ex iis major superiorum dignitas elucescat. Ideoq; hic quo ad attinentiam suitas prælata est, & primus gradus matri, secundus patri, tertia & vera suitas ipsi virgini filiæ quo ad inesse & illis parentibus pars tantum competit: filiæ verò totum. Simile de facto proponitur in *l. 1. Cod. de dignitat. lib. 12.* Ideoq; svadet Catullus Juliæ ne refragetur, cum parentes suas partes dederunt genero, & ipsamet Julia ad domum mariti deducta, suum quicquid habet, marito obtulerit.

CAPUT CXXIV.

Expositio dicti-

In virginitate vivimus nos gloriosè,
In vera viduitate castè.
In matrimonio publicè.
In concubinatu impudicè, licet tolerabiliter.
Instupro damnabiliter.
In adulterio damnabilius.
In incestu damnabilissime.

E*st dictum illud Baldi in cap. causam de probat. num. 17.* In virginitate, inquit, vivimus

vimus nos gloriose. Quare? num quod ab initio eam nobiscum adferimus, multumq; laboris sit eam illibatam conservare? Sic, ex eo enim quod difficilius majoriq; cum labore conservatur & custoditur, major gloria existit. Accedit quod Apostolus 2. Corinth. 7. dicit. Ea quæ innupta manet, cogitat ea, quæ sunt Domini. Accedit can. effatum: Nuptiis terra repletur, virginitate Paradysus. Ut igitur præstat Paradysus terræ, sic major gloria inde oritur, quum facimus ea, quæ spectant ad gloriosiora.

CAPUT CXXV.

Expositio Levit. 21. cap.

Pontifex virginem ducet uxorem, viduam autem & repudiatam & sordidam atq; meretricem non accipiet.

INter affirmativa Mosaicæ legis præcepta & hoc ex Lev. cap. 21. num. 56. legitur. Verum quæ causa, quod Pontifex virginem tantum ducere debeat uxorem? Nonne majus misericordiæ opus in viduam ducendo & meretricem exerceret? nonne secundum DEI præ-

ceptum,

ceptum, fratris sui defuncti uxorem ducendo, viveret? Ratio hæc esse videtur. Cum DEUS opt. max. purum imò purissimum Ens sit & immaculatum, à puris quoq; cordibus & mentibus coli vult, sit ergo sanctus quia & ego sanctus sum Dominus, ibid. per virginem igitur immaculatam puritas mentis, castitas cordis intelligitur. Cum per viduam distractio, per meretricem contaminatio significetur. Ideò virginem ducere tenebatur, & erat allegoria ad Christum unum nostrum summum Pontificem & Ecclesiam virginem & sponsam totam pulcram & immaculatam.

CAPUT CXXVI.

De falsò credita cohabitatione puellarum in Paradyso à Mahometistis.

Adeo magna semper fuit æstimata virginitas ejusq; integritas ut & *Mahomet in Alkorano cap. 64.* ubi de Paradyso ejusq; deliciis refert, formosissimarum puellarum cohabitationem effinxerit. Illic quidem, inquid, credentes accubabunt tapetis sericis, stramentisq;

purpureis, omnibusq; sibi dilectis perpetuo potientur, ducentq; puellas formosissimas, ut sunt Hyacinthus & Margaritæ, ab hominibus atq; diabolis nunquam devirginatas nec menstruatas. Rationem reddit, si ullum oblectamenti in Paradyso genus isthic deesset, beatitudo minimè plena esset. Frustra ergo delitiæ adessent, si voluptas deesset. Verum Christi mysteriis & doctrina qui sumus verè imbuti, scimus longè aliam & majorem ibi voluptatem & lætitiam adesse, quàm quæ est in cohabitatione puellarum, quam nullus oculus vidit unquam, nec auris audiit ulla unquam, ibi enim non amplius nubent aut nuptui tradentur, neq; regnum cœlorum & beatitudo in cibo & puto consistet, sed gaudium nostrum erit assiduus aspectus faciei summi DEI, laudes & gratiarum actiones, &c. ut satis patet ex sacra pagina. Stultè igitur persvasit Mahometes suis Saracenis corpora glorificata & spiritualia, ut tunc erunt, mundanas istas delicias & præteritas referre & revocare, cum hæc exercitia spiritus animalis sint.

CA-

CAPUT CXXVII.

Expositio illius Hierem. Thren. 1. cap. Virgines ejus squalidæ sunt.

ALbertus M. *in libro de muliere forti exponit* de filiabus legis *c. Res* §. *2. lit. D.* quæ timore & vana intentione non DEO sed laudi serviant, timentes vituperari ab hominibus, si votum castitatis, quod voverunt, irritum facerent, & illæ sunt, de quibus hic Hieremias dicit, quia tales semper amaro animo sunt, quia spurcitiam exercere non audent, quicquid enim in corpore & habitu castitatis prætendunt, totum per hypocrisim & vanam laudem turpiori stupro exponunt. Istæ sunt virgines fatuæ, de quibus habetur, Matth. 25. quarum lampades extinguuntur, veniente Domino ad nuptias. Istæ sunt etiam, de quibus dicit Salomon Proverb. 11. Circulus aureus in naribus suis, hoc est, porcæ, Mulier fatua & pulcra: sicut enim porca circulum aureum stercori immergit, ita istæ pulcritudinem suam in falsa religione prætendunt, luxuria laudis & hypocrisis impiam & inquinatam reddunt.

CAPUT CXXVIII.

Exposit. versic. apud Gothfridum Viterbiensem Chron. par. 9.

Hunc ego non patiar, dixit Apollo locum.
Albis virginibus ulciscar dedecus illud.

Historia est: cùm Brennus profligatis Macedonibus, quasi spolia humana sorderent, animum ad Deorum immortalium templum converti, scurriliter jocatus: Locupletes Deos largiri hominibus oportere, statimq; Delphos iter vertens prædam religioni, aurum offensæ Deorum præferebat, quos nullis opibus egere, ut qui eas largiri hominibus soleant, affirmabat. Vindex Apollo: *Albis virginibus* inquit, *ulciscar dedecus illud.* Quid fit? Dum Delphos oppugnaret terræ motu portio montis Parnassi, in quo templum Apollinis positum esset aprupta Gallorum sternebat exercitum, & confertissimi cuncti non sine vulneribus hostium dissipati ruebant. Insecuta inde tempestas est, quæ grandine & vulgere saucios ex vulneribus absumsit. Ipse Brennus cum dolorem vul-

vulnerum ferre non posset, pugione vitam finivit. Evenitq; ut nemo ex tanto exercitu, qui paulò ante fiducia virium etiam Deos contemnebat, vel ad memoriam tantæ cladis superesset. Hinc:

Alpibus ingreditur dux ad Galatas rediturus,
Obruitur nivibus subito casu ruiturus.
Deperit in nivibus miles ubiq; suus.
Albis virginibus tunc ultus Apollo putatur.
Dum mediis albis nivibus dux ipse necatur.
Sic responsa Dei vera videntur ei.

CAPUT CXXIX.

A juvene & cupido credatur reddita virgo.

JUvenes in rebus venereis vix continentes reperiuntur: unde ortus ille versus *Gl. in l. si vero. §. si adolescens. ff. mandat.* quapropter contra eos suspicamur *cap. litteris. Extr. de præsumt. Aym. pulcrè cons. 321. lib. 2. Actius de infirmit. lit. I. sum. ult & D. Hieronym.* Impossibile est juvenem vitiis carnis non tentari, quem alegat Vincent. *Caroc. de minor. in delict. excus. q. 1.*

CAPUT CXXX.

Num verè inter miserabiles personas reponantur virgines?

REponit *Menoch de arbitr. jud. cas. 66. num. 1. & num. 3.* inter miserabiles, ultra infirmos & senes, etiam virgines *Vivius decis. 65. num. 3. & 5. ut refert Actius de infirmit. rubr. 13. num. 5. p. mihi 31.* Ratio, si petatur, quæ erit? Num quod sine tutore existant? Num verò quod cuivis suspectæ sint etiam ex unico oculi nictu? Num quod nihil per sese sine suspicione agere queant? Num quod castitatem, qua propius ad Deos accedunt, servant? quod verum puto. Verum cum castitatis virtus omnes alias superet, & à Diis summe colatur, non ex eo inter miserabiles personas censeri duco, sed potius exemtas, ut ea ratione iis succurratur. Nam concurrentibus virginibus; cum, secundum Actium, inter miserabiles personas præferatur is, qui majori dignus est misericordia, ut inter pauperes pauperior ibid. *num. 12.* quæ præferenda erit virgo? Cum una non magis virgo fiet quàm altera, quia, interna virtus est virginitas ut supra.

CA-

CAPUT CXXXI.

An virgo dici queat sterilis?

VIrgo, quæ diu virgo fuit, sterilis nullo pacto potest dici, cum sterilis Græcè ἄκαρπος dicatur, h. c. infructuosus & infœcundus per privationem. Ergo præsupponitur potentia, quæ quidem potentia concipiendi non est naturaliter in virgine, quamdiu virgo perseverat. Ideoq; præsumtio illa, quoad partus suppositionem, si mulier, quæ dicatur peperisse, diu fuit sterilis, de qua *Soc. Jun. in cons. 90. num. 19. vers. adest etiam lib. 2. & Boss. de partu supposito num 12. vers. & ita videtur & Mascard. concl. 1152. receptissima num. 9. vers. alia etiam præsumtio & Menoch. præs. 24. num. 11. vers. Secunda est conjectura*, nullius est momenti in ea, quæ diu fuerit sterilis, quæ diu fuerit virgo. Dicit *Polyd. Ripa in tr. de nocturno tempore rubr. 162. num. 9. 10. 12. 13. 14. 15.* & quidem duplici de causa, quarum ea est prior, quia diu virgo non dicitur diu fuisse sterilis, atq; ideò, si longo tempore virgo perseverans tandem viro subjiciatur, inde potius prægnans surrexisse

se præsumitur quàm partum suppo-
suisse.

CAPUT CXXXII.

Q. Cui sexui annumerandus Hermaphroditus?

RESP. *Ulpianus in l. quæritur 10.* ejus sexus æstimand. qui in eo prævalet, *ff. de stat. hom.* quod si magis incalescit in sexu masculino, pro masculo habend. fac. dictum *Bald. in l. fin. C. de suis & legit.* ubi vult quod Hermaphroditus, si magis incalescit in masculino, potest succedere in feudo, ad id fac. dictum Bald. in *d. l. quæritur* quod si, Hermaphroditus magis prævalet in masculino, tunc excludit fæminam, stante statuto, quod masculis extantibus fœminæ non succedant, hoc idem tenet *Baptista de S. Blasio in tr. de arbitr. q. 6. in fin.* Sed quid erit dicendum, si uterq; sexus æqualiter apparet in eo, ita quod non potest judicari, qui sexus magis prævaleat? Resp. Quia sexus masculinus præsumitur magis potens *argum. leg. si fuerit. §. fin. ff. de rebus dubiis.* Item, quod quis sit masculus,

eo

eo magis potens *argum. leg. si fuerit. §. fin. ff. de rebus dubiis.* Item, quod quis sit masculus, est magis dignum: *leg. in multis ff. de statu homin. §. singularum Instit. de rer. divis.* angelus tamen *in leg. de quib. col 3. ff. de ll.* dicebat quod Hermaphroditus, si asserit prævalere in masculino, debet id probare quando vult excludere fœminam à successione, stante statuto. Sed advertendum, quod dictum Angeli procedit, quando venit ad exclusionem alterius, & sic fœminæ, unde dicendum, secundum *Guilbelm. de Cuneo & Albert. in dict. leg quæritur*, quod totum stat in electione Hermaphroditi, qui optime cognoscit in quo sexu sit magis potens, & quo velit uti & illo utatur, quem magis in se prævalere sentit, & cum agatur de conscientia sua, & nullus ita bene scit, sicut ipse, unde debet stari electioni suæ, not. *in §. sed ista Instit. de act. & in l. juncta l. vidua C. de nupt. hoc Bapt. de S. Blasio in d. tract. de arbitr. q. 6. M. Ant. Blancus de compromiss. q. 2. num. 40.*

CAPUT CXXXIII.

Scorpio non tàm cito fœminas lædit ac virgines.

TRadit *Barthol. Anglicus de propriet. rer. lib. 18. cap. 96.* læthali JCti percutere Scorpiones virgines, quando eas ferint, similiter & fœminas, sed non tam cito. *Plinius lib. 11. cap. 26.*

CAPUT CXXXIV.

Apes non iciunt virgines.

TRadit *Andreas Picus in tractatu de Apib. p. 2. cap. 3.* Apes adversarii impuris & venereis hominibus. Idem, mulieres menstruatæ debent sibi cavere ab accessu apium: nam secundum naturam suam impellit mel sangvinem in homine, & si talis aut vulneratus non abeat, mortem expulsione sangvinis infert, *pag. 4. cap. 1. num. 1.* Rationem adfert idem *pag. 1. cap. 1.* Inter omnia animantia terræ mixtionis exsortes sunt apes, unde impuritatem in hominibus statim probant, eosq; severiter oderunt.

CA-

CAPUT CXXXV.

De Virgine serpenti adamata.

SCribunt historici serpentes deprehensos esse aliquando amasios puellarum, omniaq; & amoris & nequitiæ signa præbuisse. Extat memorabile exemplum apud Plutarchum de serpente, qui Ætolæ cujusdam virginis amore captus, noctu eam adire svetus, puellæ corpori circumfusus, hac atq; illac illabens, illam nunquam, neq; ultro, neq; invitus lædebat, opportuneq; sub diluculum recedebat. Quod quum ii, quibus puella curæ fuit, intellexissent, eam alio migrare compulerunt. Serpens per triduum & quatriduum non adesse, sed diligenter accurateq; circumire, illam quæritans, quam ubi mox invenit, casu illi obviam factus, non, uti solitus erat, mitis & blandus, sed asper & horridus in eam insiliit, manibusq; primum spira ad corpus astrictis, caudæ residuo fœmora flagellabat, levem quidem iram præ se ferens, sed quæ, licet indulgentia aliqua permixta esset castigationem tamen aperte demonstraret.

ſtraret. Ex hoc conſtat, non ſine cauſa ſerpentes veteribus Symbolum fuiſſe ſalacitatis & procacitatis. Hinc & Hebræi omnes conſentiunt, Diabolum DEO per mittente plurimum in genitalia & concupiſcentiam poſſe, dicentes allegorice Sathanam à Serpente verè ἀλληγορικῶς voluptatem, quæ in venerem incumbit ſignificat *Philo*, & Hebræi tradunt. Unde Araxam famoſæ libidinis fœminam, cujus *Diodorus meminit lib. 3.* fingebant fuiſſe ſemiviperam, humana videlicet forma umbilicotenus, reliqua viperina.

CAPUT CXXXVI.

De Aquila virginem adamante.

EXemplum inducitur cujuſdam *Aquilæ*, à pulcerrima virgine educatæ apud Seſton urbem, quæ quidem permiſſa à puella libero cœlo, gratias quotidie ei referebat, aves enim primo deinde venatu ſedulò aggerebat: atqui quum contigiſſet virginem mortuam efferri, gemebunda ſubſiſtit aquila, poſtremo in accenſum rogum ſe mittens

cum

cum puella simul conflagravit. Hujus rei testimonium affert Plinius, ne videatur res ficta & sine auctore esse, *Fr. Patricius de regno lib. 3. c. 7. de aucupio, &c.*

CAPUT CXXXVII.

Cur busso addatur virgini?

TRadit *Erasmus in colloq. peregrinatio religionis ergo* Bussonem addi vigini. Ratio est, quia hæc spurcitiem omnem, virulentiam, fastum avaritiam, & quicquid est terrenarum cupiditatum vicit, calcavit & extinxit.

CAPUT CXXXVIII.

De imaginibus facierum virginis, earumq; virtutibus.

SUnt in Zodiaco imagines sex atq; triginta juxta numerum facierum, de quibus, quod ait *Porphyrius*, scripsit olim *Teucer Babylonius* vetustissimus Mathematicus, post quem scripserunt de illis etiam Arabes. In prima facie virginis, ascendit figura puellæ bonæ, & vir jaciens semina, & significatio ejus est con-

congregandi divitias, dirigendi victum, arandi, seminandi, & populandi. In secunda facie ascendit vir niger indutus ex corio & vir habens coman, & tenens loculos, & significatio eorum est ad lucrum & congregationem substantiæ, & ad avaritiam. In tertia facie ascendit mulier alba & surda, sive homo senex innixus baculo, & significatio ejus est ad debilitatem & infirmitatem & damnamentum membrorum, & ad destructionem arborum & depopulationem terrarum.

CAPUT CXXXIX.

Num virgines puellæ unius modi vestimentis cum adolescentibus juvenibus indutæ agnosci queant?

CUm ex sexus discrimine ejusq; prævalentia solummodo discerni puellæ à pueris queant, *argum. l. quæritur ff. de stat. hom.* ex vestitu haut agnosci poterunt, *l. item apud Labeonem 15. §. si quis virgines, ff. de injur.* qualisquisq; enim extrinsecus videtur talis judicari potest, *l. 50. ff. locat.* Verum sapientissimus ille

rex

rex SALOMON novum, eumq; naturalem agnoscendi modum reliquit. Nam inter alia admiranda sapientiæ opera regina Æthiopum Nicaula Sabæa, cum Salomonem tentaret, etiam hujusmodi quiddam excogitavit. Formosos aliquot pueros, tam mares quam fœmellas uniusmodi vestitu & eadem tonsura quum exornasset, Salomoni eos exhibuit utriusq; sexus, discrimen in his ut indicaret, postulans. Tum ille jussis pueris facies suas abluere, naturam in utriusq; suam deprehendit, quum mares quidem viriliter vultus suos fricarent, fœminæ verò molliter ac delicatè. Illa verò obstupescens inquit: Majora vidi, quam auditu acceperim. Refert Michaël Glycas annal. part. 2. cap. Unde mos imponendi iis, qui ad munus aliquod persuffragia deliguntur, inolevit. Similem ferè & recentiorem commentatur Henricus Cornelius Agrippa in oratione de præexcellent. sexus fœminei. De lavatione manuum juvenum aquam turbidam fieri, ex lavatione verò puellarum, semper puram manere.

CA-

CAPUT CXL.

De Minervalibus sacris & pugna virginum.

QUod ad bellica fœminarum studia attinet; Herodotus author est, Machlyes & Auses circa Tritonidem habitare, quorum puellæ Minervali sacro velut in turmas divisæ, fustibus sese & lapidibus incessant, fassæ se patrium morem servare. Tum si quæ vulneribus occubuerint eas negari virgines fuisse, quæ omnium optima fortissimaq; judicata: sed eam Græco armorum apparatu & crista Corinthia in currum sublatam circa paludem multo suorum favore subvehi.

Sabell.

FINIS.